108
B
1

Digitized by Google




Digitized by Google

# INSTRUCTIO SYNODICA
## SEU SYNODUS
### PRO DIOECESIS NUSCANAE TYROCINIO,

*Juxta Sacras Sanctiones Digeſta*

AB ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. PATRE DOMINO

## D. CAJETANO DE ARCO:

In tres Partes concinnata; eique dicata, Præloque demandata

*A REVERENDISSIMO DOMINO*

## D. FABRICIO DE AURIA

Ejuſdem Archidiacono, & Vicario Generali.

NEAPOLI. Ex Typographia Joannis de Simone MDCCLII.

*Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# *ILLUSTRISS., AC REVERENDISS. PATER.*

SYnodicam Inſtitutionem Canonicæ Diſciplinæ Decretis, ſolidioriſque Theologiæ; tum ejus, quæ Orthodoxæ Fidei aſſerendæ, confirmandæ, vindicandæque inſervit, tum ejus, quæ Chriſtianos mores ex Evangeliis, cæterarumque Divinarum Scripturarum præceptis, Sanctorumque Patrum placitis, Conciliorumque inſtitutis informat; Dogmatibus, locupletiſſimum veluti penu, refertam, non ad Tyronum tantum captum, ſed ad provectiorum etiam uſum maximopere accommodatam, Te, Illuſtriſſime Præſul, Auctore, luculentiſſime concinnatam, tuæque Nuſcanæ Diœceſis univerſo Clero, Populoque ſollemniter in Synodo legitime congregata propoſitam, ratamque habitam, cum typis edere, quo major ex ea utilitas percipiatur, etiam ingenitâ ani-



Digitized by Google

mi Tui modeſtiâ renuente, decreverim; æquum eſſe exiſtimavi, eam Tibi ipſi, cujus labore, & induſtria perfecta eſt, tanquam Parenti Optimo, dicare, & offerre. Neminem quippe arbitror fore, qui hac de re me reprehendendum putet; aut officii hujus rationem curioſus exquirat; quæ multiplex unicuique conſideranti patebit. Primum enim, quemadmodum paulo ante indicavi, æquitatis ratio poſtulare videtur, ut qualiſcunque fructus ex alieno opere, atque labore promanat, Auctori ſuo referatur acceptus. Quamvis enim me ſocium Peregrinationis Tuæ quinquennio in Strongylenſi Præſulatu, deinde hunc conſecutus, etiam in opus Miniſterii hujus collaborare voluiſti; ex quo nullis meis id exigentibus meritis, ad Archidiaconatus dignitatem evehens, univerſo Clero Tuo honoris tantum gratia, non autem incorruptæ vitæ exemplo, morumque gravitate, quibus præditus eſſe debuiſſem, operoſi laboris præſtantia ânteire juſſiſti: in id potiſſimum totis viribus incubui, ut tantæ vacationi, divina gratia adjuvante, reſpondens, fidelis adminiſter adinvenirer; Tua tamen veſtigia ſemper premens, Teque Ducem ſecutus, ſi qua ex parte huic muneri pro meo modulo operatus ſum; id, quoniam Tui imitatione, & exemplo, Te veluti præeunte, ac viam præmonſtrante, perfeci; ad Te ipſum tanquam ad Ductorem, Præceptoremque meum, totum grato animo referendum.

Accedit; quod cum pro tanto beneficio a Nuſcanæ Diœceſis Presbyterio, ac Plebe gratiæ Tibi perquam maximæ eſſent agendæ, id a me fieri, Procuratorio veluti nomine, decebat. Equidem non ignoro, id Te, modeſtiſſime Præſul, non curare, minus exigere, imo & pigere, aſſuetum quippe omnia ad majorem Dei gloriam referre: Tuam ipſius negligere; & nullam putare quibuſcunque ex rebus optime geſtis ad Te pertinentem. Chriſtianæ namque Theologiæ peritiſſimus, cujus Magiſterio jamdiu ante Epiſcopatum adeptum, inſignitus eras, quamque aſſidue non Prædicationis tantum munere, quo optime fungi conſueviſti, ſed multo etiam magis vita, & exemplo docens, ſcis omnia bona a Deo nobis donante impertiri; ipſamque benefaciendi voluntatem illius eſſe donum, qui dat velle, & perficere: Adeoque omnia a Deo bona opera proficiſci, & ad ipſum tanquam ad Auctorem referenda. Itaque huic Operi Nomen Tuum præfigi omnino vetuiſſes; & ego quo par eſt

erga

Digitized by Google

erga Te obſequio, tacuiſſem, niſi neceſſitas legitimæ Auctoritatis ei impertiendæ coegiſſet. Eadem me Animi Tui ſumma moderatio cohibet, atque coercet, ne laudes Tuas effundam. Ampliſſimum ſane argumentum: in quo late mihi ſpatiari liceret; neutiquam verenti, ne non dicendi materia deficeret; ſed hoc tantum metuenti, ne ingenii mei imbecillitati tanta rerum dicendarum copia noceret, tenueſque vires meas iniquum pondus opprimeret. Deſinam igitur hoc loco, quamvis invitus, Deum Optimum Maximum exorans, ut qui te tot, tantiſque Apoſtolico miniſterio dignis ditavit talentis, idem, ut iis optime utaris ad Tui ipſius, Tuorumque Cleri, & Populi utilitatem, univerſæque Eccleſiæ hic militantis ædificationem, ſua divina gratia ſemper præveniente, adjuvante, ac tandem perficiente, concedat. Vale.

Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domini.

*Humillimus, & Obſequentiſs. Cliens*
Fabricius Archidiaconus de Auria.

## DOMINUS CAJETANUS DE ARCO.

*Anagramma Litterale Purum.*

## NUNC CERTO DAS ANIMAS DEO.

---

### *EPIGRAMMA.*

*Quid ſonat hoc Nomen quæris? ſua munera cerne:*
*Conveniunt factis nomina ſæpe ſuis.*
*Nomine corda movens; Arcum cognomine vibrans;*
*Placans voce Animas dat, revocatque, Deo.*

Digitized by Google

# INDEX

## PRIMÆ PARTIS.

PRæfatio pro Synodo. Pagina 1.
*Decretum de Præjudicio non inferendo* . pag. 3.
*Decretum de Officialibus Synodi* . pag. 4.
*De Judicibus Synodalibus* . pag. 4.
*De Examinatoribus Synodalibus* . pag. 7.
*De Teſtibus Synodalibus* . pag. 8.

## PARS I.

*De Nonnullis præcipue obſervandis , ac gravioribus criminibus evitandis* . pag. 10.
Cap. I. *De Fide Catholica , ejuſque Profeſſione* . pag. 10.
§. I. *De Fide Profitenda* . pag. 12.
§. II. *De Fide Edocenda* . pag. 13.
§. III. *De Theologalis Canonici Sacram Scripturam edocendi Munere*.pag.14.
Cap. II. *De Concionatoribus* . pag. 15.
§. I. *De Verbi Divini Prædicatione* . pap. 16.
§. II. *De Verbi Divini concionandi Jure , ac Methodo* . pag. 17.
§. III. *Innocentii XI. Admonitio ad Verbi Dei Concionatores per Litteras Sacræ Congregationis Concilii ſub die 6. Julii Anno* 1680. pag. 19.
Cap. III. *De Meditationis , ſeu Orationis Mentalis Exercitio* . pag. 20.
Cap. IV. *De Doctrina Chriſtiana Pueris , & Ruſticis præſertim tradenda* . pag. 23.
*Decreta pro Doctrina Edocenda* . pag. 25.
*Conſtitutio Apoſtolica De Doctrina , & Actibus Chriſtianis* . pag. 28.
Cap. V. *De Salutaribus Sacris Miſſionibus ſæpe peragendis Epiſtola Encyclica* . pag. 33.
Cap; VI. *De Parochis , & Parochiis Conferendis* . pag. 38.
§. I. *De Sacrificio applicando tam a Parochis , quam a Capitularibus Literæ Apoſtolicæ* . pag. 39.
Cap. VII. *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio* . pag. 47.
§. I. *De Oneribus Miſſarum , attentis Eleemosynis , Stipendiis , vel Legatis fideliter adnotandis , ac adimplendis* . pag. 49.
Cap. VIII. *De Vita , & Honeſtate Clericorum* . pag. 52.
Cap. IX. *De Appellationibus* . pag. 55.
Cap. X. *De Accuſationibus , & Denunciationibus* . pag. 55.
Cap. XI. *De Pravis Opinionibus , & Libris Prohibitis* . pag. 59.
Cap. XII. *De Falſis Teſtibus* . pag. 60.
Cap. XIII. *De Calumniatoribus* . pag. 62.
Cap. XIV. *De Pœnis in Jure inflictis contra Calumniatores* . pag. 64.
Cap. XV. *De Blaſphematoribus , & Superſtitioſis , atque Veneficis* . pag.66.
§. I. *De Damnatis Superſtitionibus , vanis Obſervantiis , Divinationibus, & Sortilegiis* . pag. 67.

Cap.XVI.

Cap. XVI. *De Jurejurando* . pag. 70.
*Theſes contra Perjurium ab Innoc. XI. damnatæ* . pag. 73.
Cap. XVII. *De Uſuris* . pag. 73.
*Theſes Contra uſuras conflictæ* . pag. 75.
Cap. XVIII. *De Sententia Excommunicationis* . pag. 75.

## INDEX SECUNDÆ PARTIS

### PARS II.

DE *Sacramentis ad Ritualis Romani Præſcriptum Adminiſtrandis* . pag. 78.
Cap. I. *De Sacramento Baptiſmi rite adminiſtrando* . pag. 78.
*De Materia Baptiſmi* . pag. 79.
*De Forma Baptiſmi* . pag. 79.
*De Miniſtro Baptiſmi* . pag. 79.
*De Baptizandis Parvulis* . pag. 80.
*De Patrinis* . pag. 80.
*De Tempore , & loco adminiſtrandi Baptiſmum* . pag. 81.
*De Sacris Oleis , & aliis Requiſitis* . pag. 81.
*Ordo Baptiſmi Parvulorum* . pag. 83.
*Benedictio Salis* . pag. 83.
Cap. II. *De Confirmatione* . pag. 87.
Cap. III. *De Sacramento Pœnitentiæ* . pag. 89.
*Ordo Miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ* . pag. 90.
*Abſolutionis Forma* . pag. 92.
*De Pœnitentia Propoſitiones Damnatæ* . pag. 92.
*De Caſibus Reſervatis* . pag. 94.
Cap. IV. *De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento . De Reali Præſentia Domini Noſtri Jeſu Chriſti in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento* . pag. 96.
*De Ratione Inſtitutionis Sanctiſſimi hujus Sacramenti* . pag. 96.
*De Excellentia Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuper reliqua Sacramenta* . pag. 97.
*De Tranſubſtantiatione* . pag. 97.
*De Cultu , & Veneratione huic Sanctiſſimo Sacramento exhibenda* . pag. 98.
*De Aſſervando Sacræ Euchariſtiæ Sacramento , & ad Infirmos deferendo.* pag. 98.
*De Præparatione , qua adhibenda eſt , ut digne quis Sacram Euchariſtiam percipiat* . pag. 98.
*De Præparatione , quæ adhibenda eſt , ut digne quis Sacram Euchariſtiam percipiat* . pag. 98.
*De Uſu admirabilis hujus Sacramenti* . pag. 99.
*Ex Rituali Romano de ejuſdem SS. Sacramenti adminiſtratione* . pag. 99.
*Ordo Miniſtrandi Sacram Communionem* . pag. 101.
*De Communione Paſchali* . pag. 102.
*De Communione Infirmorum* . pag. 103.
Cap. V. *De Sacramento Extremæ Unctionis , ejuſdemque Doctrina* . pag. 104.
*De Inſtitutione* . pag. 104.
*Ritus Hujus Sacramenti Adminiſtrandi* . pag. 105.

*Ordo*

Digitized by Google

*Ordo Miniſtrandi Extremæ Unctionis Sacramentum* . pag. 106.
Cap. VI. *De Ordinis Sacramento* . pag. 109.
*In Prima Tonſura &c.* pag. 111.
*Ad Oſtiariatum* . pag. 112.
*Ad Lectoratum* . pag. 113.
*Ad Exorciſtatum* . pag. 114.
*De Subdiaconatu* . pag. 116.
*De Diaconatu* . pag. 120.
*De Presbyteratu* . pag. 123.
Cap. VII. *De Matrimonio* . pag. 129.
*Doctrina de Sacramento Matrimonii* . pag. 130.
*De Adminiſtratione ejuſdem Sacramenti ex Rituali Romano* . pag. 130.
*De Ritu celebrandi Matrimonium* . pag. 132.
*Formula Scribendi in Libris habendis apud Parochos* . pag. 133.
*Forma Scribendi Baptizatos in Primo Libro* . pag. 133.
*Forma deſcribendi Confirmatos in Secundo Libro* . pag. 134.
*Forma ſcribendi Conjugatos in Tertio Libro* . pag. 134.
*Forma ſcribendi Statum Animarum in Quarto Libro* . pag. 135.
*Forma deſcribendi Defunctos in Quinto Libro* . pag. 136.
*Facultas applicandi Benedictionem Pontificiam Moribundis* . pag. 136.

## INDEX PARTIS TERTIÆ.

## PARS III.

DE *Statutis Capitularibus RR. Dignitatum, & Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ Nuſcanæ*. pag. 138.
*Prœmium* . pag. 138.
Cap. I. *De Origine Eccleſiæ Nuſcanæ, ejuſque Epiſcopis*. pag. 139.
Cap. II. *De Capitulo* . 146.
Cap. III. *De Archidiacono* . pag. 149.
Cap. IV. *De Archipresbytero* . pag. 151.
Cap. V. *De Primicerio Majori* . pag. 153.
Cap. VI. *De Primicerio Minori* , *ſeu Theſaurario* . pag. 154.
Cap. VII. *De Canonico Theologo* . pag. 155.
Cap. VIII. *De Canonico Pœnitentiario* , *ejuſque Munere* . pag. 156.
Cap. IX. *De Officio Cujuſlibet Canonici* . pag. 158.
Cap. X. *De Officialibus Capituli* . pag. 161.
Cap. XI. *De Procuratore* , *Cellerario* , *Syndico* , *ſeu OEconomo Capituli*. pag. 161.
Cap. XII. *De Auditoribus Computorum* , *ſive Rationalibus* . pag. 164.
Cap. XIII. *De Punctante Abſentes* , *ſive Punctatore* , *Cæremoniarum Magiſtro* . pag. 166.
Cap. XIV. *De Secretario Archiviſta* . pag. 168.
Cap. XV. *De Canonico Sacriſta Majori* . pag. 169.
Cap. XVI. *De Nupero* , *ſeu Novo Canonico* , *ejuſque Obligatione* . pag. 171.
Cap. XVII. *De Ordinum Canonicalium Partitione* . pag. 172.
Cap. XVIII. *De Reditibus Capitularibus* , *eorumque Oneribus* . pag. 173.



Digitized by Google

Cap. XIX. *De Diſtributionibus Quotidianis* . pag. 174.
Cap. XX. *De Diſciplina Chorali* , *ac Monitis pro Chori ſervitio* . pag. 176.
*Tabella Horaria* . pag. 178.
Cap. XXI. *De Sacris Proceſſionibus* . pag. 179.
Cap. XXII. *De Dignitate* , *vel Canonico Infirmo* . pag. 180.
Cap. XXIII. *De Epiſcopo* , *Dignitate* , *vel Canonico defuncto* . pag. 181.
Cap. XXIV. *De Congreſſibus* , *ſeu Adunantiis Capitularibus* . pag. 183.
Cap. XXV. *De Canonico Apocriſario pro Chirographis Locationum Terrularum Capituli expediendis* , *& conſcribendis in Libro vulgo dicto* Polizzario . pag. 188.
Cap. XXVI. *De Adminiſtratore* , *ſeu Factore* , *Procuratore Sanctiſſimi Sacramenti* , *& S. Amati hujus Cathedralis Eccleſiæ* . pag. 189.
*Concluſio Præſentium Capitularium Conſtitutionum* . pag. 192.
*Formula Jurandi Statuta Capituli* . pag. 193.
*Approbatio* , *& Jurata Acceptatio* . pag. 193.
*Pro Synodi Coronide* . pag. 194.
*Proteſtatio omnia ſubmittendi judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ* . pag. 195.
*Approbatio* , *& acceptatio Synodi per verbum* Placet . pag. 195.
*Appendix de Hebdomadariis* . pag. 196.
*Bulla Apoſtolica Unionis* , *& pro Hebdomadariis Curatis* . pag. 196.
*Conſtitutiones pro Hebdomadariis* . pag. 205.
Cap. I. *Quid ſint Hebdomadarii* . pag. 206.
Cap. II. *De Inſignibus* . pag. 207.
Cap. III. *De Fructibus* , *ſeu Emolumentis* . pag. 209.
Cap.IV. *De Modo repartiendi prædicta Emolumenta Hebdomadariis*. pag.210.
Cap. V. *De Oneribus Hebdomadariis Annexis* . pag. 211.
Cap. VI. *De Multis* , *ſive Punctis* . pag. 213.
Cap. VII. *De Alternativa* . pag. 214.
*Concluſio tam pro Capituli commodo* , *quam pro obſervantia* . pag. 215.
*Formula Juramenti* . pag. 216.
*Decretum pro Juramento* , *& Profeſſione Fidei* . pag. 217.
*Decretum pro Exequutione Bullæ* . *pag.* 217.
*Decretum* , *ac Poſſeſſio* . pag. 219.
Appendix ad Primam Partem Cap. IV. *De Doctrina Chriſtiana pro Adoleſcentulis in Scholis a Ludimagiſtris Erudiendis* , *& Ordinandis rationem reddituris in eorum examine* . pag. 221.
Pro I. Claſſe . *De Signo Crucis* . pag. 221.
*De Oratione Dominica* . pag. 221.
*De Salutatione Angelica* . pag. 221.
*De Salve Regina* . pag. 221.
*De Articulis Fidei* . pag. 221.
*De Septem Sacramentis Eccleſiæ* . pag. 222.
*De Decem Præceptis* . pag. 222.
*De Præceptis Eccleſiæ* . pag. 222.
*De Peccatis Capitalibus* . pag. 222.
*De Virtutibus* , *quæ Peccatis Capitalibus adverſantur* ; pag. 222.
*De Donis Spiritus Sancti* . pag. 222.
*De Fructibus Spiritus Sancti* . pag. 222.

*De*

Digitized by Google

*De Operibus Miſericordiæ* . pag. 222.
*De Operibus Miſericordiæ Spiritualis* . pag. 223.
*De Virtutibus Theologicis* . 223.
*De Virtutibus Cardinalibus* . pag. 223.
*De Corporis Senſibus* . pag. 223.
*De Tribus Animæ potentiis* . pag. 223.
*De quatuor Noviſſimis* . pag. 223.
*De Benedictione Menſæ* . pag. 223.
*De Oratione ad Angelum Cuſtodem* . pag. 223.
Pro Media Claſſe . *Declaratio de Nomine Chriſtiani* . pag. 223.
*De Explicatione Orationis Dominicæ* . pag. 224.
*De Salutatione Angelica* . pag. 225.
*De Symbolo Fidei Apoſtolico* . pag. 225.
*De Septem Eccleſiæ Sacramentis* . pag. 227.
Pro Suprema Claſſe . *De Decem Præceptis* . pag. 227.
*De Præceptis Eccleſiæ* . pag. 228.
*De Septem Peccatis Mortalibus* . pag. 228.
*De Septem Virtutibus prædictis peccatis oppoſitis &c.* pag. 229.
*De Theologicis Virtutibus* . pag. 229.
*De Virtutibus Cardinalibus* . pag. 230.
*Ricordi Criſtiani da porgerſi al Popolo* . pag. 230.
*Atto di Fede* . pag. 231.
*Atto di Speranza* . pag. 232.
*Atto di Carità* . pag. 232.
*Atto di Contrizione* . pag. 232.

CATA

Digitized by Google

# C A T A L O G U S

Officialium Synodi Nuſcanæ in triduo Sacræ Pentecoſtes, ſecunda, tertia, & quarta die Menſis Junii Anni 1748., celebratæ.

## DE OFFICIALIBUS SYNODI.

*Promotor* Reverendiſſimus D. Fabricius Archidiaconus de Auria Vicarius Generalis.

*Promotor Fiſcalis* = R. D. Joachim Natellis Primicerius Inſignis Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi Montellæ.

*Secretarius* = R. D. Andreas Canonicus Santagata Not. Apoſt., Curiæ Cancellarius.

*Theologi Synodi* = R. P. F. Petrus Martyr Neap. Prædicator in Conventu Balneoli = R. F. Gabriel a Montella Diffinitor Minorum Reformatorum in Conventu Montellæ.

*Caremoniarum Magiſtri* = RR. Canonici D. Nicolaus de Mita, & D. Nicolaus de Natale.

*Judices Synodales* = U. J. D. R. D. Fabricius Archidiaconus de Auria Vic. Gen. = U. J. D. R. D. Alexander Boſco Provicarius in Oppido Montellæ = U. J. D. R. D. Dominicus Canonicus Pœnitentiarius de Arminio Nuſci = U. J. D. R. D. Donatus Archipresbyter Vecchi Balneoli = U. J. D. R. D. Petrus Paulus Archipresbyter Vecchia Caſſani = U. J. D. R. D. Joſeph Sacco Caſſani.

*Examinatores Synodales* = Præfati duo Promotores, nempe Reverendiſſimus D. Fabricius Archidiaconus de Auria. Vic. Gen. = R. D. Joachim Natellis Primicerius Inſignis Collegiatæ Oppidi Montellæ; atque præfati ſex Judices Synodales; necnon U. J. D., ac Sacræ Theologiæ Magiſter D. Bonaventura Severino Neapolitanus = R. D. Felix Archipreſbyter de Paulo = R. D. Dominicus Archipresbyter Capone = R. D. Cyriacus Primicerius Prudente = Actuales Primicerii, ac Vicarii Foranei ex Inſignibus Collegiatis, ac Receptitia hujus Diœceſis = R. D. Onuphrius Canonicus Mottula = R. D. Joannes Antonius Canonicus Mancini = R. D. Andreas Canonicus Santagata = R. D. Franciſcus Canonicus Lenzi = R. D. Angelus Canonicus Pallante = R. D. Joſeph Canonicus Cione = R. D. Bartholomæus Parochus Piſcione = R. D. Joachim Carfagno = R. D. Michael Clemente = R. D. Trojanus Gambone = R. D. Stephanus Rogatis = R. D. Andreas Vecchia Senior = R. D. Joannes Chiarolanzo = R. F. Pantaleon Maynente Viceprior S. Dominici Balneoli Ordinis Prædicatorum = R. F. Gabriel a Montella Diſfinitor PP. Reformatorum.

Digitized by Google

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

# INSTRUCTIO SYNODICA;

*S E U*.

## SYNODUS PRO DIŒCESIS NUSCANÆ TYROCINIO,

Juxta Sacras Sanctiones digeſta

*AB ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO PATRE*

DOMINO

## D. CAJETANO D' ARCO.

### PRO SYNODO

### *PRÆFATIO.*

IN Deuteronomio *(a)* Dominus inſtituerat Populo ſuo Judices, qui ex verbo Dei cauſas intricatas explicarent, contortas explanarent, dubias diſſolverent; ſed & noxios homines coercerent, atque punirent: Innoxios abſolverent, atque defenderent.

Proinde cum cogitur, & celebratur Synodus, videntur tria obſervanda: Primum, quæ ſit illius ratio: Alterum: qui ad Synodum cogantur: Tertium: qua juſtitia, prudentia, Religione, & æquitate in Synodo ſingula inſtituantur; & ut paucis abſolvamus: qua ratione ſit collecta hæc Sancta Synodus, eſt, ut ſi quid in cauſa Religionis, & Cultus Divini ad normam Sacrarum Traditionum, Oecumenicorum Conciliorum, & præſertim Tridentinæ Synodi, ac venerabilium Apoſtolicarum Conſtitutionum, ſit corrigendum, aut inſtaurandum, communi conſenſu graviter, & prudenter, ne quid temere committatur, habito conſilio, ſtatuantur. Nullum igitur in Nobis locum habere debet invidentia, nullum zelus, & amarulentia: Abigantur affectiones; repellantur inanis gloriæ cupiditates, & futile illud verbum, quis eorum videretur eſſe major, ne audiatur, ne nominetur in nobis: exemplo Chriſti Domini, qui dixit: *Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare*.

Ad conſulta porro ſynodica colligendi ſunt viri ſancti, Deum timentes, veritatis cognitione, & amore, atque Fide, Spe, Charitate prædici. Quorum Judicio plebs reliqua fidem habere queat, de quibus nemo ſuſpicari poſſit, quod res ſuas agant; Sed toti in eo ſint, ut gloriam Dei promoveant, Animarumque ſaluti conſulant; abuſus, ſi qui irrepſerint, eliminent; & ad



(a) *Cap. 17. & lib. Judith. 16*

Digitized by Google

meliorem frugem corruptos forſitan mores reſtaurent. Quapropter Sacri Canones inter alia onera Epiſcopalia ( Angelicis quoque humeris formidinis ) ſtatuunt, quod Annis ſingulis Epiſcopi in ſua Diœceſi Synodum faciant de ſuis Clericis, necnon Abbatibus; & diſcutiant alteros Clericos, & Monachos, ut inquit Canon (a): Cui inhærens Concilium Tridentinum (b) ſubdit: *Synodi quoque Diœceſanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneantur.*

Alacri igitur animo fiduciam in Deum habentes, ad ejuſmodi opus omnes, & ſingulos dilectiſſimos in Christo Fratres, & filios, quorum ſpiritualis ſolicitudo Nobis undique immeritis incumbit, hortamur, & in Domino obſecramus, ut præſentes ſint, ſuiſque conſiliis, ſuffragiiſque opus ipſum ( licet neque a noſtris Anteceſſoribus, neque a Nobis hactenus, multifariiſque, variiſque obſtaculis præpeditis, unquam confectum ) compleant, elaborent, perſunctoque fruantur.

Sunt enim neceſſaria Epiſcoporum Concilia ad exhortationem, & correctionem, inquit Canon; Ea tamen clementia, & dexteritate, qua Sancti Patres uſi ſunt, in quos Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus, his verbis (d): *Magis docendo, quam jubendo; magis monendo, quam minando*: Animadvertentes, quod, quæ uno tempore conveniunt, altero minus apta reperiuntur: quæ in quibuſdam locis proſunt, in aliis quandoque obſunt. Pro data itaque a Deo ſapientia omnia expendenda, ac perſpicere quænam pro ratione temporum, locorum, ac perſonarum magis expediant (e), cum undique conſideratis locorum, & temporum qualitatibus ſeveritati ſit aliquid detrahendum, ſcribit Honorius III. Decretal. V. tit. 39. cap. ſuper eo 50.

Neque unquam deſperanda correctio, niſi a peſtilente reprobo; quoniam non amat peſtilens eum, qui ſe corripit (f): Et nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit; aurea perpendentes hæc Auguſtini verba (h): *Sæpe de quo deſperavimus, ſubito convertitur, & fit optimus; & ſæpe de quo multum præſumpſimus, ſubito deficit, & fit peſſimus.*

Summa autem prudentia cum viperinis illis agendum eſt, de quibus S. Bernardus inquit (i): *Viri callidi, & doloſi proprium eſſe ſolet, tum prætendere humilitatem, cum aliquid obtinere voluerit, de quibus Eccleſiaſtes 9. Eſt, qui ſe humiliat nequiter, & interiora ejus plena ſunt dolo*: quantum eos ſupplices admiſiſtis, tantum poſtmodum ſuſcepiſtis graves, inſolentes, contumaces, rebelles: quique ſane plerumque ex fructibus eorum agnoſcuntur; ſicuti de impio, & juſto teſſeram exhibet divina Sapientia (k): fugit impius, nemine perſequente, juſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit: Hæc S. Auguſtini verba (l): In hoc ſæculo neceſſe habemus uſque in finem inter malos vivere: Interim reminiſcamur: Non inter illos, dico, malos, qui blaſphemant Chriſtum; raro enim jam inveniuntur qui lingua blaſphemant, ſed multi, qui vita.

Ve-

(a) *Can.16.annis ſingulis diſt.*18.
(b) *Seſſ.24.de reform.cap.2.*
(c) *Can.1.Epiſc.diſt.*18.
(d) *Epiſt.*64.
(e) *Abel.in Enchir.Epiſcop.ſolicitud.*
(f) *Can.nimis iniqua,& Can.prava.*
(g) *Eccleſ.7.*
(h) *Domin.1.poſt Paſcha ſerm.1.*
(i) *Lib.4.de conſid.*
(k) *Proverb.28.*
(l) *S.Aug. in Joan.tract.27.ut in Brev. S.Laurentii 17.Aug. lect.4.*

Digitized by Google

Verum enim vero hanc morum correctionem, vitæque reformationem a nobis ipſis inchoandam præcipimur, & quatenus noſtra intereſt, jam non latent terrifica Tridentini monita (a); Nimirum: *Epiſcopi ſe non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, ſed ad labores, & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe*: atque trepidantis Auguſtini (b): *nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & levius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi officio, ſi perfunctorie, atque adulatorie agatur* (& e contra): *nihil eſt in hac vita, & maxime hoc tempore, difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi officio, ſi eo modo militetur, quo divinus noſter Imperator jubet*. Proinde de ſe ipſo loquens hæc ponderanda ſubnectit (c): *Quod eſſe potui, eſſe nolui; nec tamen quæſivi eſſe quod ſum, elegi enim in domo Dei, abjectus eſſe magis quam habitare in Tabernaculis Peccatorum*) & paulo poſt): *adeo timebam Epiſcopatum; ut quoniam cœperat eſſe alicujus momenti inter Dei ſervos fama mea: In quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, non illo accederem, ſed Domino ſervus contradicere non debet, cui placuit mihi dicere: Aſcende ſuperius*: Quod agnoſcens Ivo Carnotenſis (d) plorans dicere ſolebat: *quid eſt Epiſcopatus, niſi Cruciatus? quid aliud eſt hic honos, niſi onus?* Porro Sanctus Hieronymus (e), de mortuo refert, qui cum viveret ſui Patrui conſilio Epiſcopum eſſe renuit; ad eundem hilariter perviſum, ſic alloquente: *Scito (mi Patrue), quod nunc eſſem de numero damnatorum, ſi fuiſſem de numero Epiſcoporum*. Nihilominus cum Divo Leone PP. maximo, licet inermes, & impares, nulliſque meritis famulati, divinam opem implorantes, dicere audemus: *Dabit gratiam qui contulit dignitatem*. Interea vobis incumbendum eſt: quæ de Teſtibus Synodalibus, & in cap. de Accuſationibus, & Denunciationibus innuimus integre obſequentibus, veſtris Sanctis Monitis communiti, optatum finem conſequamur, cupientes in Domino ſubeſſe potius, quam præeſſe.

## DECRETUM DE PRÆJUDICIO NON INFERENDO.

Sacroſancta Tridentina Synodus (f), ſtatuit, ac decrevit, *quod ſi forte contigerit aliquos debito in loco non ſedere, & ſententiam etiam ſub verbo, placet, proferre, Congregationibus intereſſe, & alios quoſcumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur*. His igitur inhærentes, ad illam inanem contentionem exterminandam *quis* eorum videretur eſſe major (dilationis cauſam, etiam in Anteceſſoribus noſtris hoc Paſtorale munus apprime neceſſarium perſolvendi), pacem, & concordiam, cui ſemper ſtudendum, in viſceribus Jesu Chriſti obſecrantes, & omne præcedentiarum controverſias prorſus evitantes. Si cui, vel quibus acciderit, ſuo in loco non aſſidere, ſtare, incedere, vel aliud contra ſuæ dignitatis, ſive præeminentiæ gradum peragi, vel contra officium, præeminentiam, aut antiquitatem venire, nullum præjudicium illatum, aut novum jus alicui quæſitum, quomo-

A 2 docum-

(a) *Seſſ.25.cap.1.de Ref.*
(b) *Epiſt.148.ad Val.*
(c) *Lib.1.de vita,& morib.Cleric.*
(d) *Epiſt.16.*
(e) *Tert.part.Epiſt.14.cap.15.*
(f) *Seſſ.2. in Dec. de modo vivendi, & aliis in Conc. ſervandis.*

Digitized by Google

locumque; aut qualitercumque irrepſerit; ſed omnia in eodem ſtatu, ac priuſquam præſens Synodus congregaretur, firma remanere, citra cujuslibet præjudicium, & ſalvo jure cujuslibet, ſancimus, decernimus, & determinamus.

## DECRETUM DE OFFICIALIBUS SYNODI.

DIœceſana Sinodus jure merito expoſtulat, ut quemadmodum ad normam Sacrorum Canonum legitime ſit congregata, ita pariter ſuorum opportunitate Miniſtrorum fulciatur; ad hoc ut ex ricto ordine, & recta methodo omnia adamuſſim dirigantur, & ſolerter expleantur. Idcirco conſtituimus, & deputamus Eccleſiaſticos viros juxta ſeriem proximam, videlicet:

## OFFICIALES SYNODI.

PRomotor RR. D. Fabricius Archidiaconus de Auria Vicarius Generalis:
Secretarius R. D. Andreas Canonicus Santagata Notarius Apoſtolicus:
Theologus R. P. F.Petrus Martyr Prior S. Dominici noſtræ Diœceſis Prædicator Generalis.
Cæremoniarum Magiſtri RR.Canonici DD.Nicolaus de Mita,& de Natale.

## DE JUDICIBUS SYNODALIBUS.

PAterna vigilantia integre, ſapienterque ſollicitus Benedictus PP.XIV. humillimis Fratribus ſuis Eccleſiæ Paſtoribus, juſtitiæ adminiſtrandæ zelo ſolertem direxit Conſtitutionem, quam quiſque veſtrum operæ pretium cenſuit, concinne hic eſſe inſerendam videlicet. VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS: BENEDICTUS PP. XIV. VENERABILES FRATRES SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

,, Quamvis Paternæ vigilantiæ, qua de juſtitia unicuique integre, ſapienterque adminiſtranda, ſolliciti eſſe debemus, jamdiu innotuerit, quod cauſæ extra noſtram Romanam Curiam pro litigantium commodo, ad partes (ut ajunt), committi ſolitæ iis quandoque decidendæ, ac fine debito terminandæ delegentur, qui tum congrua juris peritia, tum quoque probitatis, ſpectatæque Fidei præſidio deſtituuntur: acerbiori nihilominus doloris ſenſu perculſi fuimus, poſtquam hujuſmodi abuſum, rumore publico evulgatum, multorum querelis ad Apoſtolicam Sedem delatis, eorumque Literis ad Nos crebro datis, apertius ſenſimus confirmari: Rationes præterea, & peculiares cauſæ dicti abuſus cum Nobis pluries in eiſdem Literis obtenderentur, eas potiſſimum referri perſpeximus eximio Protonotariorum non participantium numero, quibus, utpote in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, in more poſitum eſt, dictas cauſas delegari, licet tempore, quo ad hujuſmodi dignitatis, & officii gradum provehuntur, nulla meritorum, & qualitatum fiat diligens inquiſitio, nec ſedulo examinetur, an polleant requiſitis ad jus dicendum, & juſtitiæ habenas moderandas neceſſariis. Quam graves curas id animo noſtro ingeſſerit, quamque intimo mœrore affecti ſimus, ubi aliorum res, & negotia ob Judicum ignorantiam, & malitiam periclitari, & in diſcrimen adduci reſcivimus: intelliget plane, cui perſpectus erit ille, quo ſemper incenſi

,, ſumus

„ ſumus, juſtitiæ adminiſtrandæ zelus: ſed cum ſilere diutius pro commiſſa
„ Nobis Populorum ſalute paterna charitas non pateretur,& ad propulſandam
„ hanc corruptelam, reſtituendamve judiciorum integritatem, congruis re-
„ mediis manus admoveremus; novimus non recentes, ſed obſoletas eſſe hu-
„ juſmodi querelas; atque rem eſſe non de morbo nunc ingruente, ſed jam
„ dudum invecto: remedia ad illum avertendum non eſſe modo excogitanda,
„ ſed antiquitus præſtituta: originem vero non Curiæ noſtræ Romanæ, ſed
„ iis adſcribi oportere, qui de praxi ejuſdem Curiæ injuſte nimis conquerun-
„ tur. Si enim longe præteriti temporis ratio habeatur, facile quiſque conji-
„ ciet, fel: rec. Bonifacio PP.VIII. has querimonias fuiſſe ſuggeſtas, eumdem-
„ que Pontificem adimplendas Apoſtolici Regiminis partes ſua Decretali *Sta-*
„ *tutum de Reſcriptis in 6.* conſulto præſcripſiſſe, ne a Sede Apoſtolica, ejuſ-
„ que Legatis cauſæ in poſterum aliis delegarentur, quam perſonis in Digni-
„ tate Eccleſiaſtica conſtitutis, & quibus ſive Perſonatus, ſive Canonicatus
„ in aliqua Cathedrali Eccleſia obtigiſſet: Judicia præterea non in obſcuro,
„ ſed in inſigni, & populoſo Oppido,ac in Urbibus inſtrui oportere, in quibus
„ Peritorum Judicum copia commode haberi poſſet. Sacro etiam Concilio
„ Tridentino hanc ipſam imperitorum Judicum querelam propoſitam fuiſſe,
„ fas eſt credere: Poſtquam etenim(*a*)præmiſſum fuit,a Sede Apoſtolica Judici-
„ bus non undequaque idoneis cauſas in partibus delegari, & id fieri tum ob
„ malitioſam petentium ſuggeſtionem, tum quoque ob locorum longinquita-
„ tem,a quibus notitia perſonarum,quibus cauſę mandentur,haberi non poteſt:
„ *ſtatuit eadem Sancta Synodus, in ſingulis Conciliis Provincialibus, aut Diœ-*
„ *ceſanis aliquot Perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bo-*
„ *nifacii VIII., quæ incipit Statutum (b), & alioquin ad id aptas deſignari,*
„ *quibus in poſterum Cauſæ committerentur: Et, ſi aliquem interim ex deſi-*
„ *gnatis mori contigerit, ſubſtitueret Ordinarius Loci cum conſilio Capituli*
„ *alium in ejus locum,uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Sy-*
„ *nodum: Ita ut haberet quævis Diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures*
„ *probatas, & qualificatas Perſonas, quibus hujuſmodi Cauſæ committeren-*
„ *tur; alioquin poſt deſignationem factam,quam ſtatim Epiſcopi ad Summum*
„ *Romanum Pontificem tranſmitterent, delegationes quæcumque aliorum Ju-*
„ *dicum, aliis, quam ipſis, factæ ſubreptitiæ cenſerentur.*

„ Cum vero Concilia Provincialia quolibet Triennio, Diœceſana anno
„ quolibet ex præſcripto Tridentini cogenda, ob varia, quæ obſervantur im-
„ pedimenta, longius protrahantur,nec Epiſcopis ſubſit quandoque certa ſpes,
„ quod iis propere ſublatis, dicta Concilia haberi poſſint, atque in illis deſi-
„ gnari novi Judices Synodales in locum illorum, qui defecerunt: Sæpe id-
„ circo Congregatio Concilii Trid. Interpres a Locorum Ordinariis requiſita
„ conſultiſſime reſpondit, ſubrogandorum Judicum electionem ab Epiſcopis
„ eſſe faciendam cum conſilio Capituli.

„ Providæ igitur,& vetuſtæ hujuſmodi leges palam evincunt,antiqua eſſe
„ vulnera in hac parte diſciplinæ illata, illaque modo recrudeſcere, non quia
„ congrua deſit medela; ſed quia negligitur ad præſcriptum Canonicarum
„ Sanctionum Judicum Synodalium deſignatio,quorum notitia,ſi Romano pro
tem-

(a) *Seſſ.25.de Reform.cap.10.*
(b) *Cap.Statutum de Reſcr.in 6.*

Digitized by Google

„ tempore Pontifici exhibita fuiſſet, eiſdem tantummodo Judicibus facta fuiſſet cauſarum delegatio, remota quavis querelarum occaſione.

„ Dum minoribus in hac Curia muneribus, atque illo præſertim Secretarii Congregationis Concilii fungeremur, nihil Nobis fuit antiquius, quam Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis hoſce ſenſus ingerere, eoſque pro viribus ad has Eccleſiaſticas Leges cuſtodiendas ſedulo commonere. Nunc vero imperſcrutabilis Conſilii altitudine ad ſupremum Apoſtolatus faſtigium, licet immerentes, evocati, Paſtoralis officii exigit ratio, ut noſtris hiſce Literis certa vobis in poſterum methodus preſcribatur ad quamcumque dubiorum, & querelarum occaſionem avertendam. Volumus itaque, & mandamus, quod in iis Diœceſibus, in quibus vigiles Eccleſiarum Antiſtites ad tramites Tridentinæ Synodi Judices elegerunt in Conciliis ſive Provincialibus, ſive Diœceſanis, electorum nomina quamprimum Nobis renuncient; & ſi forte unum, vel plures illorum mori contingat, antequam denuo eadem Concilia cogantur, decedentibus ſubrogentur novi Judices, eligendi ab Epiſcopo cum conſilio Capituli, qui nomina ſubrogatorum in dicto munere, uſque ad diem Synodi duraturo, Nobis itidem ſignificent. Ubi vero Concilia Provincialia, & Synodalia jamdiu coacta non ſunt, nec ulla idcirco facta dignoſcitur Judicum electio; pro injuncta humilitati noſtræ omnium Eccleſiarum ſollicitudine, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Domino jugiter hortamur, & obteſtamur, ut ſublatis quibuſvis impedimentis, eadem Concilia, ſicuti omiſſa ſunt, quamprimum haberi curent; interim vero cum conſenſu ſuorum Capitulorum Judices eligant, & nomina electorum in albo redacta, Nobis remittant; & ſi mori aliquem contingat, alias cum Capituli conſilio ſufficiant, ſuffectoſque Nobis indilate denuncient. Quo autem ad numerum eligendorum, & ſi Tridentini Decreto cautum ſit, quatuor ſaltem in unaquaque Diœceſi eligi debere, plures nihilominus eligi volumus, ſi Diœceſis amplitudo, alieque peculiares circumſtantiæ id probare videantur.

„ Monitos tamen eſſe volumus Locorum Ordinarios, quod licet ad Tramites præmiſſæ Decretalis Bonif. VIII., cui etiam conſona ſunt diſpoſita a Tridentino, facultas judicandi tribuenda ſit Perſonis, Dignitate aliqua Eccleſiaſtica, Perſonatu, vel Canonicatu Cathedralis Eccleſiæ inſignitis; hujuſmodi qualitates ita eſſe accipiendas, ut non deſit in perſona ad hoc munus aſſumenda, altera potiſſimum requiſita qualitas doctrinæ, & idoneitatis, in qua ſumma negotii eſt conſtituta. Hoc pacto deſignati, & electi Judices noſtro Supplicum Libellorum Secretario denuncientur ab Ordinariis, vel immediate per ſe ipſos, vel mediate per ſuos in Urbe negotiorum Geſtores. Noſtrēque erit vigilantiæ ſolerter cavere, ne in poſterum ab Officialibus noſtræ Curiæ ad id deputatis, cauſæ aliis, quam dictis Judicibus delegentur. Quæ quidem dum vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apoſtolica ſcripta nota eſſe volumus, in felicitatis auſpicium, & Paternæ Dilectionis pignus, Apoſtolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 26. Auguſti 1741. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Idcirco pro ejuſdem Conſtitutionis obſervantia, quamvis aliquos in Synodalium Judicum munere uſque ad Synodum duraturos, elegimus: modo autem, quo ſublatis impedimentis ad hujuſmodi optatum finem devenimus, ad tramites Tridentini, ejuſdemque Conſtitutionis deligimus, & deſignamus Judices Synodales, iique ſint v3.

U.J.D.

Digitized by Google

U.J.D. R.D.Fabricius Archidiaconus de Auria Vicarius Generalis.
U.J.D. R.D.Alexander Boſco Pro-Vicarius.
U.J.D. R.D.Dominicus Canonicus Pœnitentiarius de Arminio.
U.J.D. R.D.Donatus Antonius Archipreſbyter Vecchi.
U.J.D. R.D.Petrus Paulus Archipreſbyter Vecchia.
U.J.D. R.D.Joſeph Sacco.

## DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS.

EX Sacroſancto Concilio Tridentino his verbis inſtruimur: *Examinatores ſingulis annis in Diœceſana Synodo ab Epiſcopo, vel ejus Vicario ad minus ſex proponantur, qui Synodo ſatisfaciant, & ab ea probentur: Adveniente que vacatione cujuslibet Eccleſiæ, tres ex illis eligat Epiſcopus, qui cum eo examen perficiant: indeque ſuccedente alia vacatione, aut eoſdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis ſex eligat. Sint vero hi Examinatores Magiſtri, ſeu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alii Clerici, ſeu Regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei; jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia, ſe quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros: Caveantque, ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis nec ante, nec poſt accipiant; alioqui Simoniæ vitium tam ipſi, quam alii dantes, incurrant; a qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant; & ad alia in poſterum inhabiles reddantur (a).*

Ejuſmodi igitur onus debitæ executioni demandantes, proponimus, ſelegimus, & evulgamus Examinatores, qui ſi præſentes fuerint, in manibus noſtris jusjurandum præſtent: Abſentes vero, cum acciderit hujuſmodi munus exercere, conſimile præſtiterint: Quorum nomina ſunt vz. præfati ſex Judices Synodales; necnon U. J. D. ac S. Theologiæ Magiſter D. Bonaventura Severino Neapolitanus. R. D. Felix Archipreſbyter de Paolo. R. D. Dominicus Archipreſbyter Capone. R. D. Cyriacus Primicerius Prudente. Actuales Primicerii, & Vicarii Foranei ex inſignibus Collegiatis, & Receptitia hujus Diœceſis. R. D. Onophrius Canonicus Mottula. R. D. Joannes Antonius Canonicus Mancini. R. Canonicus D. Andreas Santagata. R. D. Franciſcus Canonicus Lenzi. R. D. Joſeph Canonicus Cione. R. D. Angelus Canonicus Pallante. R. D. Bartholomæus Parochus Piſcione. R. D. Joachim Carſagno. R. D. Michael Clemente. R. D. Franciſcus Paſſari. R. D. Trojanus Gambone. R. D. Paſchalis Boccella. R. D. Stephanus de Rogatis. R. D. Andreas Vecchia Senior. R. D. Joannes Chiacolanzo. R. P. F. Pantaleon Maynente Vice-Prior in Conventu S. Dominici Balneoli. R. F. Gabriel a Montella Diffinitor Minorum Reformatorum.

Accedant Examinatores ad jusjurandum, cujus Formula eſt: *Ego N. N. Examinatoris officium, quod ſuſcipio, ſpondeo, voveo, ac juro, me, quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter, ac ſincere, quantum in me erit, executurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.*

Fuiſſe

(a) *Seſ. 24. cap. 18. de Reform.*

Digitized by Google

*Secretarius Synodi teſtatur Juramentum præſtitum ab Examinatoribus prædictis.*

Fuiſſe præſtitum juramentum in forma, ut ſupra, teſtor Ego D. Andreas Canonicus Santagata N. Apoſtolicus, & Secretarius Synodi.

## DE TESTIBUS SYNODALIBUS.

CUnctis perſpicue compertum eſt: *leges condi, parum referre, niſi Contradictores, atque eis rebelles compeſcendo, ad obedientiæ tramites reducantur*: His enim verbis loquitur Gregorius X. *(a)*: *Quia parum eſt jura condere, niſi ſit, qui eadem tueatur*. Itidem Bonifacius VIII. (*b*): *Et quoniam parum eſſet condere jura, niſi eſſent, qui ea executioni debitæ demandarent*. Quibus ſanctionibus congruenter, æqui, bonique conſulens Lex Imperialis *(c)*, proclamavit, nimirum: *Parum eſt jus eſſe in Civitate, niſi eſſent, qui jura tuerentur*. Quapropter præſentes ſelectas conſtitutiones, & ſacrorum jurium congeſta decreta integre, & inviolabiliter in praxim deduci in Domino cupientes; atque viciſſim vigilum ope nunquam defectura fidentes; ipſos zelo, ac vigilantia præditos, ut ſupponitur, Animarum Paſtores, RR. Archipresbyteros, Parochos, & Curatos hujus Civitatis, & Diœceſis ad id munus eligimus; eoſque in Teſtes Synodales inſtituimus, quibus impenſe incumbendum; gliſcentia mala, ac ingraveſcentia ſcandala inquirere, & Nobis confeſtim fideliter ſignificare. Perſpectumque illis ſit, quod in Regulis Juris in ſeſto ſancitur, nempe: *Qui tacet, conſentire videtur*: & ex Divo Gregorio: *(d) Error, cui non reſiſtitur, approbatur: & veritas, cum minime defenſatur, opprimitur: Negligere quippe, cum poſſis, deturbare perverſos, nihil aliud eſt, quam fovere*: & ibidem paulo poſt C. V.: *Conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit*, juxta hucuſque uſitatum axioma: *qui non vetat, vetare cum poſſit, jubet*. Et Innocentius III. *(e)* inquit: *Facientes, & conſentientes pari pœna plectendos: Catholica condemnat authoritas, quos delinquentibus favere interpretamur, qui cum poſſint, manifeſto facinori deſint obviare*. Et ſane Parœciale eſt, ac pervetuſtum effatum illud Senecæ, licet Ethnici (Introade): Nimirum: *peccare, qui non prohibet, cum poteſt, jubet*: cui ſuffragatur Arnobius adverſus Gentes lib. 4.: *par eſt delinquere, & delinquentem non prohibere*. Et Petrus Bleſenſis (*f*): *ipſa taciturnitas ejus præſumitur ad conſenſum*. Sic eum, qui ſanari ægrotum prohibet, teneri quaſi vulneraſſet, ex Chryſoſtomo (*g*): quemadmodum Romanis legibus ſancitum eſt: Si Mancipium cum poſſit eximere, proſtitutum eſſe patitur, pro proſtituente habetur; & ſi ſervus, ſciente Domino, occiditur, inſolidum Dominus obligatur; ipſe enim videtur Dominus occidiſſe (*h*): In Dominum animadvertitur, ſi ſervus, Domino ſciente, alienum ſervum ſubduxerit.

Inſu-

(a) *Greg. X. in generali Conc. Lugdun. in 6. Decret. lib. 1. tit. 6. de Elect., & Electi poteſt. c. 3. ubi periculum §. præterea.*

(b) *Bonif. VIII. in 6. tit. 26. de Stat. Regular. cap. unico, Pæricul. §. & quoniam.*

(c) *Lex Imperialis ff. de origine Juris Civilis, l. neceſſ. §. poſt originem allegans Jur. Conſul. Pomponium.*

(d) *In Decret. diſt. 83. cap. error. 3. ibi Inn. III.*

(e) *Inn. III. in 5. Decret. c. quantæ 47. de Sent. Excom. tit. 39*

(f) *Epiſt. 146.*

(g) *2. ad Corinth cap. 7.*

(h) *L. 7. ff. qui ſine manum. l. 2. de nox. act. Paul. l. 5. ſent., & l. Fab. de Plagiariis.*

Digitized by Google

Inſuper Innoc. IV. anno 1252. ſui Pontificatus X. Epiſt. 156. ut in Regeſtro Vaticano ſcribit Fratri Raymundo de Pennaforti Ordinis Fratrum Prædicatorum §. 1.: Ne aliorum culpas, inquit: noſtras facere videamur, fiatque anima noſtra pro animabus illorum, tamquam eos in ſuis iniquitatibus foveamus: Expedit, ut culpas ad Nos cum ea, qua decet gravitate, delatas, non relinquamus penitus indiſcuſſas.

Mente enim conſpexit, cordeque expavit terrifica illa Divina Verba *(a)*: Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius: Nec admitti Paſtoris excuſationem, ſi lupus comedit oves, & paſtor neſcit: quemadmodum animadvertit Tridentina Synodus: Nimirum: Si quis Epiſcopus fornicationem Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, vel crimen ingeſtus in ſua Parochia, pretio interveniente, vel precibus conſenſerit, vel commiſſum, ſibique compertum, authoritate officii ſui, non impugnaverit; ab officio ſuſpendatur: Nemo quippe (ſequitur Can. 2.), in Eccleſia nocet amplius, quam qui perverſe agens, nomen, vel ordinem ſanctitatis habet: Delinquentem namque hunc nemo redarguere præſumit, & reverentia ordinis peccator honoratur. Epiſcopus itaque, qui talium Crimina non corripit, magis dicendus eſt canis impudicus, quam Epiſcopus. Propterea Anacletus Pp. Epiſt. 1. Epiſcopis omnibus ſuggerit: quod ſicuti aliorum vitia palpare, indecens eſt, ita nec malorum laudibus, ob noſtras omiſſiones delectari non debemus, in eod. diſtinctione 83. can. 6., ita concludit: Nihil illo eſt Paſtori miſerius, qui luporum laudibus gloriatur, quibus ſi placere voluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc ovibus magna pernicies: Nullus ergo Paſtorum placere lupis, & gregibus ovium poteſt: Perdit enim labiorum memoriam mens terrenis obligata carceribus: Sicut autem in ſuo quoque opere invenitur Mater inſtantia, ita Noverca eruditionis eſt negligentia.

Vobis itaque hæc a Spiritu Sancto afflata jura tranſcripſimus; ſicuti vigilantibus Jus Civile quoque meminit *(c)*: & in virtute Sanctæ obedientiæ in aſſumptione veſtri Sacerdotii elargitæ præcipimus: Si quem noſtra animadverſione dignum noveritis, & quæ gravia, quæ repræhenſibilia, quæ valde vituperanda inſurgunt, ſine ulla executione ad noſtras aures detuleritis; ut ſi aliquis ſtultus fuit in culpa, ſapiens ſit in pœna *(d)*.

Neque terreamini quod delinquentes familiares fortaſſe ſint, aut Domeſtici. De quibus verbis Auguſtini (Epiſt. 137. in diſt. 47. c. quantumlibet) conquerimur: quantumlibet vigilet Diſciplina Domus meæ, homo ſum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut Domus mea melior ſit, quam Arca Noe, ubi tamen inter octo homines, unus reprobus inventus eſt: aut melior ſit, quam Domus Abrahæ, ubi dictum eſt, eiice Ancillam, & filium ejus, aut melior ſit, quam habitatio Chriſti, in qua undecim boni, perfidum, & furem Judam toleraverunt. Etenim non eſt communitas adeo perfecta, in qua plerumque non immiſceatur aliquis Diabolus, propter quem quaſſatur: Quemadmodum ex Divo Ambroſio (ſerm. 11. in Decret. 2. p. cauſ. 1. q. 4. turbat.) his verbis advertimur: turbatur Navicula Petri, in

B qua

(a) *3. Reg. 20. v. 39.*
(b) *Seſ. 6. cap. 1. de reform. praef. diſtin.*
(c) *ff. de iis, qua in fraud. cred. leg. Pupil. in fine.*
(d) *diſt. 28. can. qui & 27. q. 1. l. Cuſtos, & can. ſi homo.*

qua erat Judas, quia qui ſuis meritis erat firmus, turbatus eſt alienis. Quam propriorum meritorum ſecuritatem minime præſumimus, quoniam: adhuc neſcimus: quis in terribili Dei Judicio, qualis ſit futurus (in Dec. 12. q.7. C. Sacerd.), & forſitan: quæ nos laudamus, Deus reprobat; & quæ Nos reprobamus, ipſe approbat, & laudat (ibique C. 5.) error enim facti, etiam Prudentiſſimos fallit (leg. 2. ff. v. eodem) & imputari non debet ei, per quem non ſtat, ſi non faciat, quod per eum fuerat faciendum (Reg. Jur. Decret. 41.)

## PARS I.

### De nonnullis præcipue obſervandis: ac gravioribus criminibus evitandis.

## CAPUT I.

### *De Fide Catholica, ejuſque Profeſſione.*

EX Apoſtolo Paulo *(a)*: Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium; In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes: Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent .... Sine Fide autem impoſſibile eſt placere Deo; Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remurator ſit. Et paulo ante præcedenti capite dixerat: Juſtus autem meus ex Fide vivit, quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ: Nos autem non ſumus ſubtractionis Filii in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ. Per fidem igitur ambulemus, in cujus obſequium captivare mentem noſtram libenter oportet; conſtante ejus ſubſtantia in Revelatione Dei, qui decipere, vel decipi nequit, & impoſſibile eſt mentiri Deum; atque non plus ſapere, quam oportet ſapere; dum Fides non habet meritum (ut inquit Divus Gregorius) ubi humana ratio præbet experimentum. Idcirco ſicuti unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma; ita unanimiter uno ore, uno Corde ipſammet fidei Profeſſionem præmittamus, inviolatam cuſtodiamus, illibatamque ſervemus, quam œcumenicorum Conciliorum Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, ſummorumque Pontificum, Patrumque definitiones tradidere; Eamque tamquam fundamentum hujus Synodi, ac baculum, quo innitimur, reputemus: Auream illam recenſentes Sancti Joannis Chryſoſtomi ſententiam *(b)*: Nimirum; ſicuti enim membra tremula, & ſenectute langnida, baculo tuto deducentur, labi, & cadere non permittuntur; Sic etiam Animam noſtram in certis ratiocinationibus circumactam, & jactatam, Fides, quoquis baculo tutius ſubſtentans, ſuaque vi reficiens, ſummoperè firmat, nec ſinit ſubuerti.

Tridentini itaque Decreto inhærentes *(c)*, ipſam Fidei profeſſionem eiſdem verbis, quibus juxta formam a Fel. Record. Pii PP. IV. Conſt. 88. anno 1564. præſcriptam, Nos ipſimet, & univerſa Synodus publice præſtitimus, ſolemniterque profeſſi ſumus, cujus tenor eſt.

Ego N. ſirma fide Credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur

(a) *Epiſt. ad Heb. cap.* 11.
(b) *Lib. de verbis Apoſt. cap.* 6.
(c) *Seſ.* 24. *de refor.* C. 12.

Digitized by Google

tur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur; vz. Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia Sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, Conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter Nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis: ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE, ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro Nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto Reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas Traditiones reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & Conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto; Nec eam unquam, niſi juxta unanimem Conſenſum Patrum, accipiam, & interpretrabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie Sacramenta novæ Legis, a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; Illaque gratiam Conferre; Et ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, ſine Sacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto: omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de Juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, ac Defunctis; atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum Anima, & Divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, fierique Converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam Converſionem Catholica Eccleſia Tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas, fidelium ſuffragiis juvari. Similiter, & Sanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos, atque invocandos eſſe; eoſque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe; illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe, affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccle-

B 2 ſiarum

Digitized by Google

ſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco. Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac Juro. Cœtera item omnia à Sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac pręcipue à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas rejectas, & anathematizatas Ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam, uſque ad extremum vitę ſpiritum conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum Cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia.

Enunciatam Fidei Profeſſionem ſolemniter, ac publice in Cathedrali hujus Eccleſiæ Nuſcanæ Dominica Pentecoſtes die ſecunda Junii currentis anni 1748., hac mane poſt Miſſarum Solemnia ab Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Epiſcopo D. Cajetano de Arco Dignitatibus, & Canonicis, cęteriſque de Clero præſentibus, emiſſam fuiſſe, ac juratam per Sancta Dei Evangelia, Teſtor Ego Canonicus D. Andreas Beneficiatus Santagata Notarius Apoſtolicus, & Synodi Secretarius.

## §. I.

### *De Fide profitenda.*

CUm Paulus dicat (a): fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus, conſequenter eruitur, quod ubi Chriſtus non eſt, Fundamentum nullum boni operis eſt ſuper ędificium: Eos commonefacere præcipue exiſtimavimus, qui conceptam Fidem Verbis confiteri, palamque conteſtari pro officii neceſſitate coguntur; Nam etſi quicumque Chriſti Domini Redemptoris noſtri militiam ſequuntur, Sanctiſſimamque ejus Religionem colunt, non ſolum interiore animo firmiter divinæ illius Legi aſſentiri debeant; ſed etiam ubi oportet: Fidem illam omni humano, mortiſque periculo contempto, libere profiteri: quemadmodum idem ait Apoſtolus: Corde creditur ad Juſtitiam, ore autem Confeſſio fit ad Salutem. Sunt tamen non nulli, quos nulla etiam contemptę Religionis ſuſpicione, nec ullo bonorum, aut vitæ certamine propoſito, ſed ſola officii, quod gerunt, ratione, Fidei ſuæ Catholicæ publicum dare Teſtimonium, oportet.

Ad Tramites igitur prælibatæ Fel. Mem. Pauli IV. Conſtitutionis: Dignitates, Canonici, Parochi, aliique omnes ad ejuſmodi munera, Dignitates, Prebendas, Beneficia, vel Perſonatum proſecturi, intra duos menſes à die poſſeſſionis adeptę coram Nobis, vel noſtro generali vicario, Fidei Profeſſionem emit-

(*) *Secretarius Synodi teſtatur eandem Profeſſionem emiſiſſe, ac juraſſe per omnes præſentes in Synodo.*

(a) *Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 3.*

(*) *Decret. 2. p. cauſ. 1. q. 1. c. 26. cum* Cum Paulus *Conc. Trid. ſeſ. 24. de ref. cap. 12., & 18. Conc. Tolet. Cap. 26. c. 1. & ſeq. de ætat., & qual. conſt. Pii IV. in Sacr. 13. Novemb. 1564. Idem Conc. Trid. ſeſ. 25. de ref. C. 2. Decret. S.C.C. ex actis Eccl. Mediol. S. Caroli P. 4. Inſtit.*

Digitized by Google

emittant; etiam ſi contingerit, ut ad alia quomodolibet Beneficia transferantur; alias fructus non faciant ſuos; ſed illis priventur, & fabricæ Eccleſiæ, aliique loco pio, noſtro, noſtrorumque Succeſſorum Arbitrio applicentur. Officiales quoque Epiſcopalis Curiæ noſtræ, Scientiarum Præceptores, Ludimagiſtri, Pædagogi, dummodo ſint perſonę Eccleſiaſticę, imo, & Concionatores, aliique qui de Jure tenentur. Mandantes noſtræ Curiæ Cancellario, ut Statuto Libro deſcribat hujuſmodi editas Profeſſiones, ad hoc ut transgreſſores puniantur.

## §. II.

### *De Fide edocenda.*

PRæcipiente Domino (*a*): docete omnes gentes (*b*): prædicate Evangelium omni Creaturę: ſtudioſe admodum, vehementibuſque verbis eo elaborandum, ut hæc Catholica Fides Chriſtianis operibus conjuncta, Lectionibus, Prędicationibus, Cathechiſibus, aliiſque Spiritualibus Sermonibus, frequenter in auribus hominum diſſeminetur: Cum Fides, ut loquitur Sanctus Chryſoſtomus (*c*): Sit origo Juſtitię, Sanctitatis Caput, Devotionis Principium, Religionis Fundamentum; ſine qua nullus unquam Deum promeruit, nullum faſtigium perfectionis aſcendit, quam veluti magnam lampadem (ut Euſebii Emiſſeni verbis utamur (*d*): Chriſtus adveniens, errantibus viam monſtraturus exhibuit, per quam poſſit Deus ignotus requiri, quęſitus Credi, & Creditus inveniri. Igitur hoc primum, & pręcipuum ſit ſtudium: docere, ut Fidem illam, quam quiſque Chriſti Fidelis in Baptiſmo ſuſcepit, & profeſſus eſt, ſinceram, & illibatam cuſtodiat, eamque cujuſvis hæreſeos labe, & periculo, ab omni nota, & Colore non ſuo Sartam&tectam ſervet; ac pro ejus Defenſione, & integritate, ſi opus ſit, quodlibet, etiam ipſius vitæ diſcrimen ſubeat; nec non in iis, quæ Fidem ſpectant, inconcuſſo Eccleſiæ Judicio, ac Pontificis Romani Decretis, abnegato proprio, aut Cujuſvis futili Judicio, humiliter, & ſincere obtemperet; Audiat Sanctum Bernardum (*e*): Sapienter monentem: Nemini licitum eſſe in Fide putare, vel diſputare pro libito, non hac, illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum: Nec plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Nobis ſiquidem, ut loquitur Tertullianus (*f*): Curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium = Cum credimus nihil deſideramus, ultra Credere: hoc enim prius credimus nihil deſideramus, ultra Credere: hoc enim prius credimus, non eſſe, quod ultra credere debeamus; cedat proinde Curioſitas Fidei, cedat gloria (humanæ ſcilicet rationis, aut doctrinæ) ſaluti.

Præterea, ſicuti aberrantes à vera Fide, ad illius Tramitem revocare, illiſque manum adjutricem porrigere, toto Cordis affectu, operę pretium eſſe cenſendum; ſic etiam in damnatis erroribus obſtinatos, & contumaces adverſari, eorum Amicitiam repudiare, Conſortiumque, & colloquium, quantum poteſt, devitare, ſummopere oportet: Sancti illius Eccleſiæ maximi Doctoris zelum imitando, qui de ſeipſo loquens (*g*): inquit: *Fateor* me unquam Hæreticis

(a) *Matth.*28.
(b) *Marc.*16.
(c) *Serm.de Fide, Spe, & Charitate.*
(d) *Hom.*2.*de Symb.*
(e) *Epiſt.*190.
(f) *Lib de præſcrit.*
(g) *S.Hyer.lib.adverſ.Pelag.*

Digitized by Google

reticis pepercisse, & omni egisse ſtudio, ut hoſtes Eccleſiæ, mei quoque hoſtes *fierent*.

Confert etiam plurimum ad Fidem edocendam, conſervandam, roborandam, conſcientiæ Mundities, & conſtantia in vitæ Sanctæ propoſito, bonorumque operum exercitatione, juxta Apoſtoli Monitum (*a*): *Militet* militiam bonam, habeatque bonam Conſcientiam, quam quidam repellentes, circa Fidem *naufragaverunt*.

Denique ad ejuſdem Fidei Profectum, noſtri Miniſterii oneris eſt: Fidem aliis communicare, ſive ignaros inſtruendo, ſive infirmos in Fide aſſumendo, vacillantes erigendo, Sanos confirmando, & quavis alia ratione Evangelio Chriſti corroborando: ſiquidem, ut ex Sancto Auguſtino adnotavit Illuſtriſſimus Epiſcopus Gebendenſis: *Munus* diſtribuendi confert ad meritum recipiendi, & officium docendi, præbet Fundamentum *diſcendi*. Ejuſmodi vero munus, licet præcipuum ſit Epiſcoporum, ut loquitur Concilium Tridentinum(*b*): aliorum quoque ſacrorum Eccleſiæ Miniſtrorum oneri (idem Concilium *ibidem*), & alii Sacri Canones, præſertim Concilium Lateranenſe ſub Innocentius III. (*c*) ad ſciſcunt. Hinc de Canonico Theologo; De concionatoribus: Atque de Parochis, quæ oportuna videntur, pro uberiori hujus Diœceſis utilitate adnectimus, ſtatuimus, roboramus.

## §. III.

### *De Theologalis Canonici Sacram Scripturam edocendi Munere.*

PAulus Apoſtolus Jeſu Chriſti Dilecto ejus in Fide filio Thimotheo ſcribens (*d*), his verbis alloquitur: *Tu vero* permane in iis, quæ didiciſti (credita ſunt tibi) ſciens à quo didiceris, & quod ab Infantia ſacras literas noſti, quæ te inſtruere poſſunt ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu: omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in Juſtitia; ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum *inſtructus*: Addit Sanctus Ambroſius: *manifeſtum* eſt, quià omnis Scriptura cujus Deus Author oſtenditur utilis eſt; Ad hoc enim data eſt, ut proficiat imperitis, & inſtauret Deformes, attrahens iniquos ad Juſtitiam: ut homo Dei in omni opere bono, *perfectus ſit*. Propterea Chriſtus Jeſus his verbis (*e*): *Scrutamini Scripturas*. Equidem, ut ait Apoſtolus (*f*): *Quæcumque enim* ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam *ſcripta ſunt*. Ne igitur cœleſtis ille Sacrorum librorum Theſaurus, quem Spiritus Sanctus hominibus ſumma liberalitate tradidit, neglectus jaceat, prælaudata Tridentina Synodus (*g*): *In Cathedralibus*, ac etiam in Collegiatis, exiſtentibus in aliquo inſigni Oppido, Præbendam Theologalem, ubi non fuerit inſtituta, erigi mandavit, ut ipſa Sacræ Scripturæ *Lectio habeatur*. Porro locum, diem, horam, ac Materiam interpretrandam Ordinarii Arbitrio deſiniendam reliquit: Conceſſo tamen Theologo trium Mentium ſpatio Julii, Auguſti, & Septembris; quibus à docendi

(a) *Timoth.1.*
(b) *Seſ.5.cap.2., & Seſ. 24.cap.4. de refor.*
(c) *Cap.inter cæter.de off.Judic.ordin.*
(d) *2.ad Thimoth.c.3.*
(e) *Joan.5.*
(f) *Roman.15.*
(g) *Seſſ.5.cap.1.*

Digitized by Google

cendi explicandique munere vacare poſſit ; Eoque inſuper Privilegio , ut operam ejuſmodi navanti integræ Diſtributiones totius ejus diei , quamvis abſenti ab aliis horis in Choro, elargiantur . Explicatio autem Sacræ Scripturæ Tropologice præſcribitur in diebus Dominicis ſub unius Caroleni pœna , quoties ex ejus incuria deerit, poſt ſcilicet Completorium, in qua omnes de Capitulo, intereſſe tenentur , ſubjiciendo eos eodem puncto , ac ſi deeſſent Veſperis , & Completorio. Quemadmodum infra Part. tertia Cap. Septimo.

## C A P U T II.

### *De Concionatoribus*.

PRædicandi munus Apoſtolis *(a)*, quorum Epiſcopi ſucceſſores ſunt *(b)* Dominus demandavit : Hinc Paulus Thimotheum Epiſcopum inſtruens , injunxit ei *(c)* : Prędica verbum , inſta oportune , importune , argue , obſecra, increpa in omni patientia , & Doctrina . Atque quoniam aliorum munerum, & quidem non inferioris momenti pondere premuntur , & ob locorum pluralitatem *(d)* omnibus omnia eſſe non poſſunt: Id muneris ſemper exequi, ut exoptant , nequeunt , ideoque aliis injungere omnino tenentur : Verba autem Sacri Concilii ſunt *(e)* : *Quia vero* Chriſtianæ Reipublicæ non minus neceſſaria eſt prædicatio Evangelii , quam Lectio ; & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum *Munus* : Statuit , & decrevit eadem Sancta Synodus : omnes Epiſcopos , Archiepiſcopos , Primates , & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos , ſi legitime impediti non fuerint , ad prædicandum Sanctum Jeſu Chriſti Evangelium . Si vero contingerit , Epiſcopos , & alios prædictos legitimo teneri impedimento , juxta formam generalis Concilii *(f)* viros idoneos aſſumere teneantur ad hujuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit , diſtrictæ ſubjaceat ultioni .

Sine etenim Concionatore ( legitima Authoritate accerſito , atque approbato ) credenda , vel agenda , ſicuti oportet , ſcire ; tam arduum , atque difficile ſummo Theologo , gentiumque Magiſtro , viſum fuerit , & exclamans interrogaverit : *Quomodo* ergo invocabunt eum *(g)* in quem non crediderunt ? aut quomodo Credent ei , quem non audierunt ? quomodo autem audient ſine Prædicante ? quomodo vero prædicabunt , niſi mittantur ? ſicut ſcriptum eſt : quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem , evangelizantium bona ?

Et quoniam maximus proculdubio eſt hic Regni Dei Evangelii Præconum , honor , & res non modica , ſed admodum ſublimis : Idoneis dumtaxat, ac probatis Chriſtianis Presbyteris tum Sæcularibus , tum Regularibus , qui ad inſtar Septuaginta Populi Seniorum in Deſerto Moyſis adjutorum in Epiſcopis coadjuvandis , Prædicatione Verbi Dei , qua per ipſos Oves eorum Curæ con-

(a) *Matth. 28. Mar. 16. Epiſt. 5. Clem. PP. I. inter Cæter. de Off Ordin. Conc. Trid. ſeſ. 24. cap. 4. de refor.*
(b) *C quorum vices diſt. 68.*
(c) *Ad Thimoth. 4.*
(d) *Pri mum ad Corinth. 9.*
(e) *Seſ. 5. cap. 2. de reform. ſeſ. 24. de reform. 2. Tolet. cap. 3.*
(f) *Conc. Later. ſub Innoc. III. C. 10. c. inter cætera de Off Jud. ord.*
(g) *Ad hom. 10.*
(h) *Trid. de refor. ſeſ. 24. cap. 2. & 4.*

Digitized by Google

concreditas, eſſe paſcendas, ut fideles ſint diſpenſatores, a proprio Paſtore, ſive Loci Ordinario, prævio Idoneitatis ſcrutinio, ſuper Familiam ſuam conſtitui debeant, animadverti, & Apoſtolica Benedictione muniri; A quo ipſi Concionatores, & à Curatis, aliiſque piis, gravibuſque Viris mores Populi edocti, eo cum fructu; qui ex Prædicatione intenditur, exprobranda poſſint exprobrare, commendanda commendare, vitia oſtendere, quæ declinari, & virtutes, quas oporteat, ſectari *(a)*: Eumque, Paſtorem concionandi munere expleto, certiorem faciant: Num abuſus, vel flagitia irrepſerint, quæ Pontificio ſolicitudinis ferro vulneranda compererint.

## §. I.

### *De Verbi Divini Prædicatione.*

QUam ſublime, quam excelſum ſit, & ſupereminens Verbi Divini prædicandi munus, hinc patet, quod ipſi Sancti Apoſtoli, tamquam proprium illud ſibi vendicaverint: Non eſſe æquum, inquit illorum Princeps *(b)*: Nos derelinquere Verbum Dei, & miniſtrare Menſis; providete ergo Viros boni teſtimonii, quos conſtituatis ſuper hoc opus; Nos autem Orationi, & Miniſterio Verbi inſtantes erimus. Et Sanctus Paulus: Non miſit me Deus baptizzare, ſed evangelizare: Et in Concilio Tridentino *(c)*: Evangelii Prædicatio dicitur eſſe præcipuum Epiſcoporum Munus, ut diximus; Ex quo ſequitur, quod cum quiſque Sacerdos vi ordinationis ſuæ (cum debita tamen ſubordinatione) ad Verbum Divinum prædicandum deſtinetur *(d)*: Sacerdotem ſiquidem, inquit Epiſcopus ordinans, oportet præeſſe, prædicare &c. Apoſtolicum hoc munus maximi facere, illudque eo, quo decet, modo exequendum, paratum ſe ſemper, quantum in ipſo eſt, exhibere teneatur.

Atque in primis, juxta affatum Summi Pontificis Hormiſdæ *(e)*: diſcere debet, antequam doceat: quis enim, ut ait PP. Zozimus *(f)*: tam arrogans, & tam impudens invenitur, ut in Cœleſti Militia ſtatim Dux eſſe deſideret, cum Tyro ante non fuerit?

Sibi præterea dictum putet, quod olim Divus Hieronymus Nepotiano *(g)*: Non confundant opera tua ſermonem tuum, ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat; cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis &c. Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat: Accuſare avaritiam, & latro poteſt; Sacerdotis Chriſtiani os, mens, manuſque *concordent*.

Audiat ex Sancto Bernardo *(h)*: Si ſapis: Concham te exhibebis, & non canalem, hic ſiquidem penè ſimul, & recipit, & refundit, ille vero donec impleatur, expectat, & ſic quod ſuperabundat ſine ſuo damno communicat: Verum Canales multos hodie habemus in Eccleſia, Conchas vero perpaucos. Tantæ charitatis ſunt, ut ante effundere, quam infundi, velint.

§. II.

(a) *Trid. de ref. ſeſſ. 24. cap. 2. & 4.*
(b) *Act. 7.*
(c) *Seſ. 5. cap. 2. de Reform.*
(d) *Pontif. Rom.*
(e) *Epiſt. 4. ad Epiſc. Hyſpan.*
(f) *Epiſt. 1.*
(g) *Epiſt. 2. ad Nepot.*
(h) *Serm. 18. in Cantic.*

Digitized by Google

## §. II.

### *De Verbi Divini concionandi Jure, ac Methodo.*

QUod autem ſpectat ad rationem, & Methodum prædicandi, nil melius, aut conſultius, hic præſtare poſſe, exiſtimavimus, quam fontem illum adire, à quo Rivum hunc derivare ſtuduimus, Illuſtriſſimum, inquam, Divini Verbi Præconem Sanctum Franciſcum Salexium, cui quondam ab ipſo Summo Eccleſiæ Paſtore in Singulare Sapientiæ Teſtimonium dictum fuiſſe, refertur; Bibe aquam de Ciſterna tua, Rivi tui deriventur *foras*. De illius igitur eximii Viri, quadam Epiſtola (*a*), in qua de optima concionandi ratione diſſerit, hæc, quæ ſequuntur, breviter excerpſimus.

Omnis concionandi ratio ad quatuor præſertim Capita revocari poteſt: quis ſcilicet Concionari debeat? quo fine? quid in Concionibus proponere? qua ratione, & forma illud enunciare?

Quo ad primum attinet: nullus Verbi Divini Munus prædicandi aſſumere debeat, cui non ſubeat legitima Miſſio, doctrina neceſſaria, & vita irreprehenſibilis. Cum vero in Epiſcopis non ſolum Miſſio primaria, & præcellens, ſed ipſius quoque Miſſionis Fontes miniſteriales reperiantur, hinc patet: Ab illis in quoſcumque alios legitimam Miſſionem, examine (ſi ipſis videatur) præmiſſo, derivandam eſſe. Doctrina, ſi non eximia, ſaltem ſufficiens ſit: Vita vero, ita irreprehenſibilis, ut non ſolum à quolibet læthali vitio immunem ſe concionator ſervet: Sed etiam à gravioribus venialibus ſolicite caveat; Imo, & à quibuſdam actionibus, quæ, licet ex ſe peccata non ſint, tamen in eo reprehenſioni ſunt obnoxiæ: Nugæ (inquit S. Bernardus) in ore Sæcularium, nugæ ſunt; In ore autem Sacerdotis blaſphemiæ: Laicus quiſque Venationi, ludo, aliiſque hujuſmodi exercitiis libere, & citra omnem reprehenſionem vacare poteſt, quæ tamen à Concionatore vix ſine ſcandalo, eoque gravi, uſurparentur. Cæterum conſultiſſimum eſt Concionatori, numquam ad Populum edocendum Execram conſcendere, niſi poſt Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium celebratum, aut cum intentione celebrandi. Dici enim vix poteſt, quantum Dæmones perhorreſcant os illud, quod Sanctiſſimum Chriſti Corpus ſuſcepit. Tunc ſiquidem cum Apoſtolo dicere poſſet (*b*), An Experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus? Saltem ab omni peccato per Confeſſionem expurgatus eſſe debet, ne illi exprobretur à Deo (*c*): quare tu enarras Juſtitias meas, & aſſumes Teſtamentum meum per os tuum: Tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti Sermones meos retrorſum. Nec obliviſcatur illius Apoſtolici terrifici Effati (*d*): Caſtigo Corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.

Quoad ſecundum ſpectat. Concionator eundem ſibi finem præſtituere debet, ob quem Dominus è Cœlis in hæc inferiora divinas veritates hominibus annunciaturus deſcendit: Ego, inquit, veni ut vitam habeant, & abundantius habeant; Et ita cum Concionator ipſius Summi Præceptoris Jeſu Chriſti Locum teneat, omnium, quæ in Concionibus alloquitur, aut alloqui intendit,

C

(a) *Lib.* 1. *Epiſt.* 31.
(b) 2. *Corinth.* 13.
(c) *Pſal.* 49.
(d) 1. *Corinth.* 9.

dit, finis hic eſſe debet: ut iniqui à peccati Morte reſurgant, & vitam gratiæ recuperent; & ut juſti in vita Spirituali proficiant, eamque de virtute in virtutem, ſicque quoties Pulpitum, ſeu Ambonem ad Populum Verba facturus aſcendit, apud ſemetipſum dicat: Ego veni, ut iſti vitam habeant, & abundantius habeant: Ut autem ſcopum hunc ſibi propoſitum pertingat, duo præſertim requiruntur; nimirum: ut doceat, & moveat: ideſt, ut Auditorum intellectum illuminet, & permoveat voluntatem, ut virtutum Decorem, ac pulchritudinem, vitiorum horrorem, ac fęditatem ob oculis ponat; Unde ſequatur illarum Amor, & praxis, horum vero deteſtatio, & fuga.

Quod autem quidam exigunt, ut Concionator quoque delectet Auditores; ſi delectationem eam intelligunt, quæ procedit a Cognitione veritatis, & amore virtutis, facile conceditur: Si vero aliam, quæ ex mundana quadam, & ſæculari Eloquentia, ſermonumque artificioſa concinnatione, quæ ad demulcendas aures ſolummodo apta eſt; abſit hæc vaniloquentia omnis a Concionatore Chriſtiano, qui Chriſtum Crucifixum prædicaturus eſt (*a*): quique ſectari debet non lenocinia Rethorum, ſed veritates Piſcatorum, procul a Sacris execris ejuſmodi Magiſtri prurientes auribus, ac ſane finita Concione, non expedit audiri: oh quam diſertus Orator! quam Doctus! quam Copioſus! audiaturque potius; oh quam pulcra eſt virtus! quam neceſſaria pęnitentia! quam magnus, & timendus Deus! quam bonus, & amabilis!

Quo ad tertium pertinet: quid ſcilicet, proponi debeat in Concionibus: prædica Verbum, inquit Apoſtolus (*b*), Chariſſimum ſibi Epiſcopum Timotheum inſtruens; Atque ipſe divinus veritatis Magiſter Apoſtolos ſuos mittens: Prædicate, inquit, Evangelium; & ejus fidelis Interpres Eccleſia in Concilio Tridentino (*c*) docet: In Concionibus ea præſertim explicari debere, quæ ſcire omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem, annunciarique Fidelibus cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Sacroſancta igitur in Concionibus primum teneat locum Scriptura, cujus varii ſenſus exquiri, & explicari poſſunt. Literalis, Allegoricus, Anagogicus, Tropologicus, ſine Moralis; Litera ſcilicet, quę geſta docet: quid credis Allegoria, & pertinet ad fidem; Sicuti literalis ad hiſtoriam; quo tendis Anagogia, & refertur ad ſpem: Quid agas Tropologia, & pertinet ad Charitatem, & bona opera neceſſaria ad ſalutem; Ita tamen, ut nuſquam recedatur ab eo ſenſu, quem credit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum. Scripturę inſuper verbis adjungantur, Sanctorum Patrum Sententię, ęęque prę ſertim, quę breves, conciſę, acutę, ac fortes ſunt, qualis illa Sancti Auguſtini: *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*; Et iſta: qui pęnitentibus veniam promiſit, tempus pęnitentię non promiſit: quibus eaſque ſimiles apud S. Bernardum, alioſque, Eccleſię lumina, Sanctos Patres reperire eſt.

Adhibeantur prętęrea rationes morales, & Argumenta, quę, vel ex proprii ingenii meditatione, vel ex Doctorum Sanctorum lectione peti poſſunt; nec non exempla, & hiſtorię quędam ſelectę, & ad movendum, vel perſuadendum debite applicatę; eę prę ſertim, quę in actis Sanctorum leguntur. Intexeri

(a) 2. *ad Timoth*. 4.
(b) 2. *ad Timoth*. 4.
(c) *Seſſ*. 5. *c*. 2. *de Reform*.

Digitized by Google

ri etiam poſſunt ſimilitudines, ſive ex naturalibus rebus deprompte, in quibus mirificus eſt Sanctus Chryſoſtomus, & ad imitandum copioſiſſimus, & aptiſſimus, ut in ejus Homiliis, & orationibus videri poteſt. Ejuſmodi vero, ſive authoritates, ſive ratiocinia, ſive hiſtoriç, aut ſimilitudines, non confuſe, & promiſcue, ſed apta, & idonea ratione, ac Methodo diſponi, & ordinari debent, quod & ipſi Concionatori congruum, & Auditoribus gratum, & proficuum erit.

Quo ad quartum intereſt: Animadvertendum, quod hæc tandem Methodus Clara ſit, & perſpicua, non obſtruſa, & recondita, ut quibuſdam placet, qui operæ pretium ſe facturos arbitrantur, ſi nullus dictorum rationem, ordinemque perſpicere queat: Verum ad quid ulla loquendi ratio, & Methodus, ſi Auditori abſcondita ſit, & impervia?

Cum itaque occurret Sacra hiſtoria in Concione exponenda, vel Evangelium explanandum, vel Sancti alicujus vita enarranda, vel de virtute aliqua, aut de vitio diſſerendum, hæc quæ adnectimus in Concionando Tyrones animadvertant, nempe: Si aſſumatur Sacra aliqua ediſſerenda narratio, illius præcipuæ Circumſtantiæ exponendæ erunt, puta, in Mirabili Paſſione Chriſti Domini, quis patitur? quid patitur? quem ob finem? pro quibus? qua patientia? qua Charitate? quo amore? vel ex ſerie ipſius hiſtoriæ breviter enarratæ, ſive Evangelii explicati, piæ aliquot Conſiderationes erunt eliciendæ; & ſummopere quid inde diſcere oporteat ad fidem ædificandam, ſpem augendam, Charitatem inflammandam, Mores reformandos, vitia fugienda, virtutes amplectandas, & reliqua, quæ ſtudio, & zelo Concionatoris relinquuntur.

## §. III.

### *Innocentii XI. Admonitio ad Verbi Dei Concionatores per Literas Sacræ Congregationis Concilii ſub die ſexta Julii anno 1680.*

A Pluribus Chriſtiani Orbis Provinciis graves frequenteſque Romam, atque ad ipſam Sanctam Sedem adventant, ſeu delationes, ſeu querelæ adverſus præſentem prædicationis uſum, tamquam à primævo Apoſtolorum Inſtituto prorſus aberrantem. Ac quidem cum Verbum Dei, quod, Apoſtolo Teſte, omnino eſſe debet Sanum, ac ſalutare, multiplici lue, per plures ex ipſis Evangelii Præconibus reddatur infectum: merito Sanctiſſimus Dominus noſter decrevit: Contagionem Univerſo Gregi, tam exitioſam, longeque patentem, omni Apoſtolicæ Authoritatis conatu, prorſus excindere: Namque peſtis eſſe, aut excogitari violentior ea poteſt, quæ cibos ipſos, ad vitæ præſidium inſtitutos, ipſaſque medicinas pro morbis depellendis inventas, in Mortis Inſtrumenta, & præſentiſſima venena converteret? Verbum profecto Dei: Panis eſt ille vitæ, & intellectus, quo cibari, & aqua ſimul ſalutaris, qua potari Fidelium Animas ab ipſis Religionis Chriſtianæ incunabulis, Redemptor noſter edocuit. At vero ſi Sal, quod pro Dei Verbo a Sanctis accipitur, per futiles Conciones evanuerit, in quo putreſcentia mortalium vitia condientur; Quinimmo ſi ſal idem, quod Prædicatores aperte ſignificat, per eloquentiam plane ſtultam, infatuatum fuerit, revera non ultra valebit, niſi ut conculcetur; Et utinam non conculcaretur ab hominibus. Quæ enim Miniſterio tam Sacro Majeſtas, qui decor, quæ Sanctitas, quæ utilitas ineſt, quando pluri-

mi, ut Paulus clamat, Verbum Dei adulterantes, aut jocis, tamquam hiſtriones, aut converſi ad fabulas, uti Poetæ, Auditores ſibi prurientes Auribus coacervant, aut inanis facundiæ lenocinio, & calamiſtrato, aut Meretricio plane ſtylo prædicationem fęde corrumpunt?

Mandat ergo Sanctitas ſua Zelo vere Apoſtolico accenſa: ut omnes Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, cęterarumque Eccleſiarum Præſides, quorum præcipuum Munus eſt, Verbum Dei adminiſtrare, Gregemque paſcere, tantis corruptelis occurrant, eaſque Concionatoribus oportune ob oculos ponant, & fugiant a facie tot peſtium potius, quam Colubrorum. Et præſertim univerſi intelligant, quod per Jeremiam Deus illis indixit: Propheta, qui habet Sermonem meum, loquatur Sermonem meum vere; quid palea ad triticum, numquid verba mea non ſunt ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petras! videlicet: oportere conciones non paleis refertas eſſe ad vanitatem, ſed igne veritatis ſuccenſas. Porrò ſciant, non levem eſſe culpam, ſed grande piaculum, graviſſi naque pęna mulctandum, ubi per ſcurrilitatem Verbum Dei, velut in Scenam adducunt, atque Auditoribus deridendum, traduxerint. Pręterea neque per quęſtiones curioſas; ac Paradoxa vana, ita ſupra captum Populorum aſſurgant, ut vere querantur: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis; ſimiliter, neque per illecebras inanium verborum, res non minus vanas obtrudant, & per obſtentationem Memoriæ, atque pronunciationis præcipitantiam, quaſi præſtigiis Auditorum animos, aureſque ludificent.

Quamobrem Antiſtites, per ſe, ſi tempus vacaverit, tum in Cathedralibus, tum in aliis Eccleſiis, ſeriò animadvertant, & in Diœceſi Vicariis Foraneis, aliiſque Miniſtris, probiſque viris, a quibus ea ſuper re relationes exigant, vigilantiam demandent. At ſi Concionatores normam hujuſmodi tranſgreſſos compererint, eos a prædicationis Munere, ad tempus bene viſum, ſuſpendant, aliaque Ratione pro modo Culpæ plectere curent, ſubrogando interim alios, qui ſalutari modo Populo oſtendant vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pęnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam valeant conſequi.

Obſervent igitur Concionatores eadem, de quibus ipſe Innoc. XI. eos voluit eſſe monitos, recentem prædicationis modum, tamquam a primævo Apoſtolorum Inſtituto prorſus aberrantem, ac univerſo Gregi exitioſum damnans.

## CAPUT III.

### *De Meditationis, ſeu Orationis Mentalis Exercitio.*

Divus Hieronymus illa explicans Chriſti Domini Verba in Evangelio relata (*a*): ora Patrem tuum in abſcondito: Mihi videtur, inquit, hoc magis eſſe præceptum, ut incluſa pectoris cogitatione, labiiſque compreſſis Deum oremus, quod, & Annam feciſſe in Regum volumine legimus: Vera quippe præſtolatio, ut ait S. Gregorius (*b*): Non eſt in oris vocibus, ſed in cogitationibus Cordis. Valentiores namque voces apud Secretiſſimas Aures Dei non faciunt verba noſtra, ſed deſideria. Sanctus quoque Iſidorus (*c*): Statuit,

(a) *Matth cap.6.*
(b) *Lib.22.Moral.cap.18.*
(c) *Lib.1.de ſum.bon.cap.7.*

Digitized by Google

tuit, quod: quamvis bonum ſit ſono vocis Deum ſpiritualibus Hymnis glorificare, melius tamen eſt cum ſilentio orare, Corde ſine ſono vocis, quam ſolis verbis ſine intuitu Mentis. Equidem, ut recte admonet S. Ambroſius (a): qui in ſilentio orat, fidem defert, & confitetur, quod Deus ſcrutator Cordis, & renum ſit, & quod orationem tuam ante audiat, quam ore fundatur. Hanc igitur orandi Methodum, licet magno cum Animarum fructu in hac Diœceſi piorum noſtrorum in earum Cura Coadjutorum Zelo in praxi, præſertim in hac Cathedrali ad auroram inter Miſſæ Sacrificium pro Populi Commodo introductam, gratias agentes Deo, omnes perſpiciunt; attamen, ne tam tuta ad æternam ſalutem conſequendam, manuductio, ope communis inimici, in deſuetitudinem abigatur; Non ſine Spiritus Sancti evidenti influxu a Summo Pontifice Benedicto PP. XIV. uberrimis Indulgentiis, docentibus, addiſcentibus orationis Mentalis Methodum, & ipſam Orationem peragentibus conceſſis, Eccleſiæ Paſtores edocti ſunt, ſequentem Apoſtolicam Conſtitutionem.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Præſulibus Locorum ordinariis Univerſis, gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicę habentibus: Bened. PP. XIV.: Venerabiles Fratres Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem = Quemadmodum nihil eſt hominibus a familiari Dei Conſortio, & Conſuetudine avulſis, & ejectis ad divinos hauriendos fulgores, ad ęternam Salutem procurandam, & ad Deum, quaſi manufacta coeundum, magis oportunum, ſalutare, & neceſſarium oratione, quę eſt veluti Aſcenſio Animę de terreſtribus ad Cœleſtia, Inquiſitio Supernorum, Inviſibilium deſiderium, conjunctio Spiritui Sancto, & ad Deum locutio; Ita ne deſolatione deſoletur Univerſa Terra, ex eo quod nullus ſit, qui recogitet Corde, omnes, & ſinguli ubique, & ſemper ſalutaribus prę:eptis movendi ſunt, quod oporteat ſemper orare, & numquam deficere; ut in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione, petitionibus noſtris innoteſcentibus apud Deum; Ipſe, qui dives eſt in omnes eum invocantes, nec noſtras abs ſe deprecationes, nec ſuas a nobis amoveat miſerationes. Ea propter Prędeceſſores noſtri Romani Pontifices, Divina Inſtitutione formati, ut Chriſti Fideles ad orationis, ſive vocalis, ſive Mentalis, ut dicitur, illa ſit, ſtudium cum alacritate ineundum, & ſine intermiſſione frequentandum, incitarent, eoſdem tum cohortationibus inflammare, tum cœleſtium etiam Munerum Theſauris, quorum diſpenſationem ipſis crediderat Altiſſimus, allicere ſtuduerunt. Indulgentias enim, peccatorum Remiſſiones, & de injunctis eis quomodolibet debitis pęnitentiis relaxationes, elargiti ſunt iis, qui ſive vocales preces recitarent, ſive per aliquod temporis ſpatium quotidie in lege Domini meditarentur. Nos autem laudatiſſimis eorumdem Prędeceſſorum noſtrorum exemplis incenſi, non ſolum omnes, & ſingulas Indulgentias, peccatorum remiſſiones, & pęnitentiarum relaxationes per eoſdem noſtros Prędeceſſores pro recitantibus quaſcumque vocales preces (dummodo numquam revocatę fuerint) aut quomodolibet orantibus quocumque modo, ſive ad tempus, ſive in perpetuum ad hanc uſque diem conceſſas, Apoſtolica Authoritate, tenore pręſentium, ſub iiſdem prorſus modo, ac forma confirmamus, & quatenus opus ſit, de novo concedimus: Verum etiam alias inſuper iis pręſertim, qui Mentalis Orationis, ſeu meditationis ſtudio operam dederint, ut infra, impertimur. Pri-

(a) *Lib.6.de Sacram.cap.4.*

Primum itaque omnibus, & ſingulis, ſive qui, tam in Eccleſiis, quam alibi, & ubicumque locorum publice, & private quoſcumque homines orandi, ſeu meditandi, rudes quomodocumque orare, & meditari docuerint, ſive, qui piæ orandi, & meditandi Inſtitutioni, hujuſmodi, ut præmittitur, interfuerint; dummodo vere pœnitentes, ac Sacra Communione refecti, qua vice id egerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis; ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta, relaxamus. Iis verò tam docentibus, quam addiſcentibus, qui aſſidue præmiſſa peregerint, ac ſimiliter vere pœnitentes, ac Sacra Communione refecti pro Chriſtianorum Principum Concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ Exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, ſemel in Menſe pro uniuſcujuſque Commodo, & Arbitrio plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, quam per modum ſuffragii Animabus Chriſti Fidelium, quæ Deo in Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare poſſint, misericordiditer in Domino concedimus.

Inſuper iis, qui per duos quadrantes continuatos, vel ſaltem per quadrantem horæ ſingulis diebus, per totum Menſem orationi mentali dabunt operam, & vere pœnitentes, & confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum Extirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces pariter effuderint, plenariam ſemel quolibet Menſe omnium peccatorum ſuorum Ingulgentiam, & remiſſionem, quam itidem per modum Suffragii Animabus Chriſti Fidelium, quæ Deo in Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare poſſint, Authoritate, & tenore ſimilibus miſericorditer in Domino elargimur.

Etſi autem juxta divinum Domini noſtri Jeſu Chriſti præceptum, oportet, ut quiſquis oraturus, ac ad inſtar Hypocritarum videatur ab hominibus, intret Cubiculum ſuum, & Clauſo oſtio oret Cœleſtem Patrem in abſcondito: tamen cum ipſe Dominus dixerit, quod ubi ſunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum; & Sanctus Joannes Chryſoſtomus prædicet: Eſſe in oratione cum fratribus, plus aliquid, videlicet concordiam, conſpirationem, amoris conjunctionem, & Charitatis Clamorem felici ſocietate, ex qua orationes infirmiores ſe ſimul complexas validiores in Cœlum evehi: optimum eſſet, ubi commode fieri poſſet; ut quemadmodum in nonnullis inſtitutum eſſe accipimus, ita in omnibus, & ſingulis Diœceſibus in more poneretur; Nimirum, ut ſingulis diebus, dato certo Campanarum ſigno, ſive in Eccleſiis, dummodo totius Populi multitudo, unum in locum, ubi oret, maſculis a fœminis ſeorſim collocatis, convenire facile poſſit, & nulla ſuboriatur Confuſio, & inordinatio, ſive in propria domo, Patresfamilias eo, aut alio oportuniori tempore ante Imaginem Sacram cum tota Familia convenientes orent.

Ea propter vos, venerabiles Fratres rogamus, & in Domino hortamur, ut omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, piorumque locorum in Civitatibus quidem Cathedralis, aliarumque præcipuarum Eccleſiarum, in Oppidis vero Parochialium Eccleſiarum Superioribus, ac Rectoribus injungatis, ut præmiſſo Campanæ ſonitu, iis diebus, iiſque horis, quibus vobis oportunius in Domino viſum fuerit, dando, decernendoque, omnes Chriſtifideles uniuſcujuſque Curæ commiſſos, quos in unum convenire contingerit, in Mentalis orationis ſtudio erudire, ſive per alios peritos erudiri faciant, atque ad illam frequentandam accendere neceſſitatem, utilitatemque proponere, Indulgentiarun

The-

Digitized by Google

Theſauros; quos de Benignitate Apoſtolica, elargimur, explicare, & ad ipſas ea, qua decet, pietate, ac reverentia lucrandas inflammare ſtudeant, & enitantur; atque etiam, etſi commodè, ut præmittitur, fieri poterit, orationi Mentali in comuni practica, ut dicitur, vacare, in eaque exerceri faciant, & curent. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem, ut earundem præſentium literarum Tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus Fides adhibeatur, quæ adhiberetur eiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Interim Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 16. Decembris 1746. Pontificatus noſtri anno ſexto. Cajetanus Amatus.

## CAPUT IV.

### *De Doctrina Chriſtiana pueris, & Ruſticis præſertim tradenda.*

PRæter ſublime illud concionandi munus, quod capite ſuperiori enucleavimus, aliud quoque eſt proprium ſacerdotum officium, atque Parochis peculiare: Cathechizandi ſcilicet, & prima Fidei rudimenta parvulis, & ignaris tradendi; quod quidem, licet paulo demiſſius videatur, non ideo tamen negligendum; Imo tanto potiori ſtudio, & affectu incumbendum illi eſt, quanto uberiores, ut plurimum, ex eo fructus, animarumque proventus colligi poſſunt, cum minori diſpendio humilitatis, quæ plerumque in exhedris inter audientium plauſus periclitatur (a).

II. Sane, ut innumera Sanctorum exempla omittamus, ipſe Chriſtus Dominus, in quo (b) omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei reconditi erant, rudem Populum Cœleſtis Regni Myſteria familiaribus alloquiis edocere, parvuloſque ad ſe venientes blande excipere, & benigne erudire non dedignatus eſt. Et poſt Paſſionem ſuam Apoſtolis in omnes Mundi partes emittens, juſſit, illos docere omnes Gentes (c); quod, & ipſi ſummo ſtudio, & labore perfecerunt, & cathechizando, ideſt, viva voce edocendo, & explicando Chriſtianæ Fidei veritates, Orbem Terrarum felicibus progreſſibus Chriſti Domini Imperio ſubegerunt.

III. Sed quod præcipuum, & maxime perpendendum eſt ſumma, ut non dicam, penè extrema harum Regionum neceſſitas, in quibus non ſine acerbiſſimo dolore, videmus plures animas defectu inſtructionis a via ſalutis aberrare, & tandem in perditionis abyſſum devolui: Populi enim fame, & ſiti laborant, non dumtaxat materialis cibi, & potus, ſed ſpiritualis, de quo loquitur, verbi, ſcilicet, divini audiendi, & cum Jeremia (d): gemunt iiſdem ferme lacrymis: Parvuli petunt panem, & non eſt, qui frangat eis. Inde Redemptor noſter Chriſtus Jeſus inſtituens Coadjutores ſuos, ut ſalvum faceret genus humanum, quod perierat, certiores reddebat illos, quod Meſſis haud dubie, etiam nunc (e) multa, Operarii autem pauci; Rogamus ergo

(a) *Ludoci Abelli Sacerdos Chriſtus p. 2. cap.* 15. *mihi pag.* 181.
(b) *Coloſ.* 2.
(c) *Matth.* 28.
(d) *Tren.* 4.
(e) *Luc.* 10.

Digitized by Google

go Dominum Meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam; & quamvis quiſque ſe ſervum inutilem agnoſcere debeat, audeat tamen, & divinæ gratiæ auxilio innixus, dicat: Ecce Ego mitte me.

IV. Hoc igitur Apoſtolico cathechizandi munere vocatus; præſertim ſibi proponere debet; ut eo animo illud exequatur, quo ipſemet Chriſtus Dominus id præſtitit: De illo ſiquidem legitur in Evangelio, quod Nazarenos concives ſuos in Synagoga inſtruens, incepit ab illis Prophetæ verbis; quæ in ſe impleta eſſe teſtatus eſt: Spiritus, inquit, (*a*) Domini ſuper me, Evangelizare pauperibus miſit me: & ad Diſcipulos Joannis, inter alia divinæ ſuæ Miſſionis indicia illud protulit: Pauperes evangelizantur (*b*); & de parvulis ad ſe concurrentibus, quos Apoſtoli prohibere volebant: Sinite, inquit (*c*) parvulos venire ad me, talium eſt enim Regnum Cœlorum.

V. Ex quibus patet virtutum Cathechiſtæ maxime propriam eſſe, ferventem divinæ gloriæ, Animarumque ſaluti procurandæ zelum, perfecta humilitate, affabilitate, manſuetudine temperatum: quo animatus, non jam quæ ſua ſunt, quærat, ſed quæ Jeſu Chriſti, illiuſque proinde exemplo, ad pauperes inſtruendos, & erudiendos peculiari affectu feratur, & in parvulis ad Chriſtum adducendis, imo, & trahendis operam, & induſtriam ponat.

VI. Cogitemus, inquit Sanctus Auguſtinus, inſignem Eccleſiæ Carthaginenſis Cathechiſtam erudiens (*d*): quid Nobis prærogatum ſit ab illo, qui demonſtravit Nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus. Cogitemus, qua charitate, quo zelo, ſervator ille hominum circuibat pagos, & villas ignarum, & rudem Populum, nunc in littore, nunc in montibus, nunc in locis campeſtribus erudiens: quomodo ſe ad eorum, qui audiebant captum demittebat, familiari loquendi modo utens, eadem ſæpius repetens, & inculcans ſimilitudines, & parabolas vulgares adhibens! Qua patientia, quo amore turbas comprimentes ſe ſubſtinebat! Qua lenitate, & manſuetudine illorum, quos alloquebatur, tarditatem, & ſtupiditatem juvabat, duritiam, & contumaciam ferebat, & omnia omnibus faciebat, ut omnes redimeret, & ſalvos faceret.

VII. En exemplum, quod divinus ille Præceptor nobis propoſitum reliquit: ut ſequamur veſtigia ejus: quod ut præſtare queat Cathechiſta, & debite ſuo officio fungi, debet in primis hoc apud ſe ſtatuere in quantum poterit: ſeſe ad captum uniuſcujuſque eorum, quos inſtruit, accomodare ſtudeat, Quamvis enim, ut loquitur Sanctus Auguſtinus (*e*): Eadem omnibus debeatur charitas, non eſt tamen eadem omnibus adhibenda medicina; ipſa certe charitas alios parturit, cum aliis infirmatur, ad alios ſe inclinat, ad alios ſe erigit, aliis blanda, aliis ſevera, nulli inimica, omnibus mater? Ea igitur illis proponat, quæ eorum capacitati commenſurata eſſe exiſtimaverit, eaque Methodo, & ratione, quæ ipſis poſſit eſſe utilis, ac proficua; tanquam parvuli in Chriſto (*f*), inquit Apoſtolus Corinthios, adhuc in Fide Neophitos alloquens: lac vobis, potum dedi, non eſcam: Nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis.

VIII.

(a) *Luc.* 4.
(b) *Matth.* 11.
(c) *Marc.* 10.
(d) *Lib. de Cathec. Rud. cap.* 10.
(e) *Sup. cit. c.* 15.
(f) *3. Corinth.* 3.

Digitized by Google

VIII. Præterea crebro experientia compertum eſt: Non modo ſimplices, & apertas explicationes, ſed etiam familiares interrogationes in Cathechiſtica Inſtitutione eſſe utiliſſimas: Immo pueros longe magis in eo diſciplinæ genere proficere, ſi ſæpe, ac diverſimode interrogentur, quam ſi continuato, & prolixo ſermone edoceantur: ut ipſe Sanctus Auguſtinus ſupra memoratum Cathechiſtam commonefaciens (a): interrogatione, inquit, quærendum, utrum is, qui Cathechizatur, intelligat, & agendum pro ejus reſponſione: ut aut planius, & enodatius loquamur, aut quæ illi nota ſunt, non explicemus latius &c. quod ſi nimis tardus eſt, miſericorditer ſufferendus eſt, breviterque decurſis aliis, ea, quæ maxime neceſſaria ſunt, inculcanda ſunt.

IX. Hæc autem interrogandi Methodus, magis adhuc proderit, quando plures cathechizantur, ſi explicatis brevi, ac ſimplici ſermone iis, quæ doceri debent, primo interrogantur ii, quos ingenio meliores advertit Cathechiſta; Eadem interrogatio aliis, atque aliis verbis fiat, ut non tantum verba, ſed, & ſenſus ab iis capiatur; exinde ab iis, qui minus ingenio valent eadem exquirat; nec in iiſdem ſæpius repetendis, & inculcandis fatigetur, ac præſertim rudioribus, & magis hebetibus animum addat, & ſi expedit, piis aliquibus munuſculis alliciat, & excitet; ac demum ex Inſtructione cathechiſtica aliquem pietatis fructum colligere Auditores ſuos ſemper edoceat, & ad id pias aliquas hiſtorias interdum adhibeat. In quibus omnibus ſupradictis juvare poterit inter alia libellus doctrinæ Chriſtianæ, Authore Ludovico Abellis, qui hoc titulo inſcriptus eſt: Fidei, ac Juſtitiæ Chriſtianæ veritates præcipuæ, ac magis neceſſariæ clare, & diſtincte explicatæ juxta Doctrinam ſcripturæ, conciliorum, ac Patrum, adjectis pluribus ſelectiſque ex hiſtoria Eccleſiaſtica Exemplis. Pro Rudibus vero, ac pueris utendum eſt libello Cardinalis Bellarmini, vel Eminentiſs. Cardinalis Spinelli pro Diœceſi Neapolitana, aliiſque.

X. Pro ludi vero Magiſtris appoſuimus Methodum Doctrinæ Chriſtianæ edocendi ab ipſis Præceptoribus explicandæ, ac a Diſcipulis recitandæ, & repetendæ, tam, ut incipiant callere latino Idiomate, quam ut funditus in ſuis Mentibus in illa primæva Ætate, imprimatur, atque Myſteriis Fidei fortiter adhæreant: Deſumpto ab Eminentiſſimo Cardinali Palæoto Archiepiſcopo Bononienſi, ex ejus aureo libro de Bononienſis Eccleſiæ adminiſtratione (mihi pagina 11.) ut in hujus Appendice.

## DECRETA PRO DOCTRINA EDOCENDA:

I. UBi Populus, inquit S. Auguſtinus (b), Paſtoris ſui injuria Spiritualem famem Cœleſtis Doctrinæ patitur, ibi eſt omnis pietatis, & Religionis exterminium. Hinc Curatos, Archipresbyteros, Parochoſque, atque OEconomos noſtros, quorum eſt oves ſibi commiſſas, verbo, & exemplo paſcere, & regere (c), In viſceribus Jeſu Chriſti hortamur, & quæcumque per Ezechielem Prophetam Dominus minatur ſupplicia Paſtoribus ſuum Munus non adimplentibus, ſæpiſſime animadvertant, cogitentque maximum eſſe periculum, hominem de factis alterius rationem reddere, qui non ſufficit pro ſuis: quæ igi-

D tur

(a) *Sup.cit.cap.*13.
(b) *Epiſt.*81.*S.Joan.Chryſoſt.hom.*45.*in Gen. Can. nos autem* 16. *q.*1. *Can.Epiſcopus nulla rei* 88.*diſſ. S. Tho.Epiſt.ad Heb. c.*13. *Conc.Trid.Seſ.*5. *de refor. cap.* 2. *& Seſ.*24. *de refor. & cap.*4.
(c) *Trid.Seſ.*23.*de refor.C.*1.

Digitized by Google

tur per Edicta noſtra circa hoc mandavimus, ad unquem adimpleant, ut ſcilicet ſingulis diebus Dominicis, & feſtis, tam in prima Miſſa de mane, Doctrina, & actibus Chriſtianis erudiant Populum. Pro Meridianis vero horis rudiores pueros, imo, & Adultos in Sacra Doctrina, & paterna lingua erudiant, & occurrentis Evangelii breviter explanationem facere, quam in Miſſa majori repetere non omittant (a): Pueros convocare non prætermittant, eoſque Spiritualibus Munuſculis alliciant, minis deterreant; Et in Cathedrali, ac reſpective in Collegiatis, ſive Matricibus Eccleſiis Fidei Rudimentis, Doctrinaque Chriſtiana, imbuant, Parentum Negligentiam excitent, & ſi adhuc deſides extiterint, ad Nos referant, ut de opportuno Remedio Spiritu Sancto inſpirante, ejuſque Adjutorio, provideamus.

II. Attendant bene, ut cum Juvenes ad Sacram Synaxim, capaci ſuperveniente ætate prima vice accedere debeant, ſint inſtructi, ut ſic probati de Angelico illo pane edant.

III. Ac propterea curent, ut in diebus Quadrageſimæ, & præſertim in Hebdomada Paſſionis cum majori frequentia, tam in Aurora, quam poſt Meridiem, ac ſaltem ſero, poſt, ſcilicet, regreſſum ſuis laboribus Juvenes ipſos de prædictis imbuere, ſatagant.

IV. Sponſos inſuper ante Contractionem Matrimonii, ſi rudiores ſint, de Myſteriis Fidei interrogent, & quod neceſſarium eſt ad ſalutem edoceant ex Rituali Romano (b) de recipiente: ut uterque ſciat rudimenta Fidei, cum ea deinde Filios ſuos docere debeant.

V. Contravenientes, ad Tramites Juris punientur, etiam per Deputationem OEconomi; & quod ſerius eſt, a tremendo, & inflexibili vivorum, & mortuorum Judice in ſtricta ratione, quam Animarum Nobis commiſſarum, reddituri ſumus (c).

VI. Sciant etiam non ſatisfacere proprio Muneri, niſi cum aliquos eſſe noverint hebetioris Ingenii in ſua Paræcia, magis peculiari ſtudio edocendos ſibi aſſumant, illoſque ſeparatos ab aliis, conſtituto ad id tempore opportuno accuratius inſtruere, ut repetitis interrogationibus, verbis Claris, ac etiam ſimilitudinibus ad eorum captum compoſitis, ipſorum craſſitiem ſuperent, & Myſteria ex neceſſitate ſcienda in omni patientia, & doctrina ſenſim inſtillent (d).

VII. Porrò Clericos, quibus pari ferme modo per Edicta Pueris in doctrina Chriſtiana explicanda, Curatos adjuvare injunximus; Bonum enim eſt portare jugum ab Adoloſcentia ſua (e): Alioquin ad ulteriores ordines non promovebuntur, & moniti ſint, hoc fore unum ex requiſitis, cui nullatenus diſpenſabitur, & probandum fore per Literas Teſtimoniales proprii Archipresbyteri, vel Parochi (f).

VIII. Grammaticæ Profeſſores, ſi ſunt Eccleſiaſtici, ſemel ſaltem in Hebdomada doctrinam Chriſtianam Alumnos ſuos docere non parvipendant (g): quicumque vero Noſtrum hoc decretum audire renuerint, ſibi Exercitium in-

ter-

(a) *Conc. Conſtan. 3. anno 681. c. 7. Trid. de refor. Seſ. 24. c. 7.*
(b) *De Matrimonio initio.*
(c) *Conc. Trid Seſ. 5. c. 2. Seſ. 13. de Sac. Euc. cap. 8. & Seſ. 24. cap. 4. in fin de ref.*
(d) *S. Aug lib de Cathec. Rud. Cap. 13.*
(e) *Thren. 3.*
(f) *Cap. ut quiſque 3. de vita, & honeſt. Cleric. ex quatuor Conc. Pro. Med. Sanc Carol. parte 2. de Sac. Ord., & ex Synodo Neap. Em. Card Cantel. de doct. Chriſt. c. 2.*
(g) *Conc. Lat. ſub Leon. X Seſ. 9. Can. 5. C. in Scholis ſuis.*

terdicendum noverint; ac exequantur, quod in calce appoſuimus.

IX. Concionatores tempore Quadrageſimæ feriis admonitionibus Patres familias, & Dominos excitent, exponendo eis propriam obligationem curandi, quod Filii, & ſibi ſubditi in doctrina Chriſtiana inſtruantur, ne incurrant divinam ultionem, & efficiantur infideli deteriores: Si quis autem, inquit Apoſtolus *(a)* ſuorum, & maxime Domeſticorum Curam non habet, Fidem negavit, & eſt Infideli deterior; ac imitentur divinum ipſum Concionatorem cathechizando Auditores ſuos, ſaltem hora veſpertina in ſingulis diebus feſtivis in Quadrageſima occurrentibus.

X. Confeſſarii ſciant: eſſe abſolutionis incapacem, qui laborat ignorantia etiam inculpabili, Myſteriorum neceſſitate medii ad ſalutem, juxta Theſim proſcriptam ab Innocentio XI. *(b)*: Eoſque damnavit, qui aſſerebant, quod homo, quantum vis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiam ſi per Negligentiam etiam Culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti *(c)*; ſuggerentes, quod ſufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.

XI. Idcirco ignorantia prædictorum Myſteriorum reddit Pœnitentem incapacem abſolutionis, per hoc, quod invalide Confexatur; Propterea, etiam in Articulo Mortis pœnitens de iis inſtruendus eſt, quoad ejus fieri poteſt ante abſolutionem *(d)*: Tamdiu igitur in vita dilatanda eſt abſolutio cunctatiori, ac reſiſtenti ea ſcire, quamdiu debito huic ſatisfeciſſe compererint.

XII. Inſuper, & de actibus Theologicis iterandis meminerint ſeptem Propoſitiones, hac in re damnatas: Una ab Alex. VII. Homo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas Virtutes pertinentium; & ſex aliæ ab Innoc. XI. nimirum numero quinto, quæ ſic falſo habeat. An peccet Mortaliter, qui actum Dilectionis Dei, ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus: Numero ſexto: Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare Præceptum Charitatis: Numero ſeptimo; Tunc ſolum obligare, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus: Numero decimo ſexto: Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe. Numero decimo ſeptimo: Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere; & Numero ſexageſimo quinto: Sufficit Myſteria Trinitatis, & Incarnationis ſemel crediďiſſe.

XIII. In ſole enim cæcutit, qui hanc obligationem in dubium revocare audet; liquet quippe tum ex rationis dictamine, tum ex lege naturali, qua ad Numen Colendum obligamur; Tum quia actus Theologales neceſſarii ſunt ad pie vivendum, & ad ſalutem conſequendam; Tum demum quia ſecus haberetur quidam contemptus habituum infuſorum; Et ſicut itaque pluries in vita obligamur ad ſuſcipienda Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ita a fortiori ad iterandos actus Theologales; Neque ſufficit Virtualis Dilectio, quæ habetur per obſervantiam Præceptorum.

XIV. Pro conſtanti prædictorum firmitate annectimus ſequentem Summi Pontificis Regnantis Conſtitutionem.



(a) *Pr. ad Timoth. c. 5. v. 8.*
(b) *N. 64. de ignor. Myſter. Fidei.*
(c) *Ar num. 65.*
(d) *Viva hic. in Synopſi ad propoſ. 65.*

Digitized by Google

## CONSTITUTIO APOSTOLICA
### *De Doctrina, & Actibus Chriſtianis.*

VEnerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis. Benedictus PP. XIV. Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Etſi minime Nobis dubitandum ſit, omnes, quibus Animarum Cura credita eſt, voſque præſertim, Venerabiles Fratres, ad Apoſtolatus officium erectos, atque in Prælationis Faſtigio a Deo conſtitutos, in id potiſſimum ſolicitudinem intendere, ut Chriſtianus Populus Cœleſtis doctrinæ pabulo enutritus, & Rudimentis Fidei Saluberrime inſtructus, in Semitam Mandatorum Domini pacem vobis præferentibus, feliciter dirigatur; temperare tamen non poſſumus, quin Vos ipſos Noſtræ Authoritatis, ac Paternæ Dilectionis ſtimulis excitemus ad tam pium, tamque Salutare opus doctrinæ Chriſtianæ impenſiore Cura provehendum, ſublatis iis impedimentis, quæ Animarum ſaluti adverſantur.

Quia vero ſcientibus legem loquimur, & Vigiles Eccleſiarum hortamur Antiſtites, quibus, nec pietatis, nec alia Sacrarum Literarum deſunt Præſidia, ſupervacaneum ducimus plurimis urgere Argumentis, non ſatis eſſe ad cœleſtem Beatitudinem aſſequendam confuſim, & involute credere a Deo revelata, & ab Eccleſia Catholica propoſita Myſteria: ſed hanc cœleſtem doctrinam divinitus traditam, & quæ ex auditu concipitur, Doctoris legitimi, ac fidelis Miniſterio, ita eſſe accipiendam, ut ſigillatim illius Capita explicentur, & aliqua Neceſſitate medii, aliqua vero neceſſitate præcepti Fidelibus ad credendum proponantur. Præterea, licet per Fidem juſtificari dicamur, cum ea ſit humanæ Salutis initium, & Fundamentum; Ad futuram tamen, quam inquirimus, Civitatem, ut pervenire aliquando mereamur; ſatis compertum eſt, ſolam Fidem non ſufficere: Sed viam noſſe, conſtanterque tenere oportet, nempe præcepta Dei, & Eccleſiæ, tum virtutes, quas perſequi, tum vitia, quæ ſtudioſe declinare debemus. Quæ quidem omnia cum primis Catholicæ Fidei rudimentis, ſive Doctrina, ut ajunt, Chriſtiana, contineantur; Epiſcopalis Muneris exigit ratio, ut illa in ſingulis Diœceſibus, & ibique locorum recte, atque ex ordine explicetur; Nec poſſe Epiſcopos ſine tacito conſcientiæ convicio, illam negligere, ſed in hoc opus maxime neceſſarium, omnem Curam, & diligentiam conferre debere.

Id tamen oneris, non ita Epiſcopo impoſitum eſſe intelligimus, ut ipſe per ſe Doctrinæ Chriſtianæ ſemper interſit, pueros interroget, & Myſteria Fidei, quam profitemur, aperiat: Nimirum quippe novimus in Paſtoralis ſolicitudinis Munere prægravari Apoſtolicæ Servitutis Sarcinam, ac plane intelleximus, cum Anconitanam primum, tum deinde Bononienſem Eccleſiam regeremus, multis, variiſque Curarum veluti fluctibus jactari Præſulem ſuo ſatis Muneri facere cupientem. Id vero futurum affirmamus, ſi Epiſcopus, alieno etiam a viſitatione Diœceſis tempore, quandoque adſit, ubi doctrina traditur Chriſtiano homine digna, pueros, puellaſque de rebus antea auditis ſciſcitetur, ac Myſteria noſtræ Religionis exolvat, & annunciet: Paſtoris operam in maximam crediti ſibi Gregis utilitatem ceſſuram, ejuſdemque Exemplum alios excitaturum ad vineam Domini Sabaoth pro viribus excolendam.

Hanc

Digitized by Google

Hanc adminiſtrandæ Eccleſiæ, quaſi legem ſibi dixerunt, ne dum veteres, ſed recenſiores etiam Præſules Beatorum Civium Albo adſcripti: Carolus, nempe Borromæus, Franciſcus Saleſius, Turribius, Alexander Sauli, quorum aliqui (ut Literis conſignatum eſt) cum gravioribus diſtenti, atque impeditis Curis, adeſſe coram non poſſent, operæ, ac diligentiæ ſuæ Vicarium aliquem ex Canonicis, aut ex Sacerdotibus, deſignabant, qui ſuſceptis Paſtoralis Miniſterii partibus, adoleſcentulos ad omnia Religionis afficia Fidei elementis informarent.

Optimum ergo, & ad profectum Animarum maxime accomodatum erit Antiſtitis exemplum, ſi quod antea dictum eſt, id omni tempore, præſertim verò, dum obit Diœceſim, in ſingulis Paræciis impleverit. Sed, ut quiſque facile conjiciet ad hoc vires ejus non ſuppetunt: Ideoque, ut propoſitum aſſequatur, neceſſe eſt, diligentia, quanta poteſt eſſe, maxima curet, ne in aliis, quos tam laudabilis, tamque fructuoſi operis Vicarios conſtituit, ſtudium, ac ſedulitas deſideretur.

Duo potiſſimum onera a Tridentina Synodo Curatoribus Animarum ſunt impoſita: Alterum, ut Feſtis diebus de rebus divinis ſermonem ad Populum habeant: Alterum, ut pueros, & rudiores quoſque divinæ Legis, Fideique Rudimentis informent. Si ſtatutis diebus eam Parochi Concionem habebunt, quæ non perſuaſibilibus humanæ Sapientiæ Verbis obſtrepat auribus, ſed captui Auditorum accomodata in eorum Animas oſtenſione Spiritus illabatur. Si myſterium aliquod annunciabunt, in primis verò, quod eo tempore Eccleſia recolit, ea differentes, quæ ad virtutem incitamento ſint, & ad vitia fugienda graviora præſertim, & quæ fœdius graſſantur in Populo: Si diebus ipſis (hoc enim pariter debent ſuo Muneri) pueros tamquam Infantes modo genitos nutriant Doctrinæ lacte, nunc hos, nunc illos interrogando, dubia, atque involuta explicando; ſi demum cum Apoſtolo attendant Lectioni, Exhortationi, & Doctrinæ, ut perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus: fas eſt credere, exitum optatis reſpondere poſſe, & Populum acceptabilem, Sectatorem bonorum operum facile exciturum.

Verum ſatis experientia compertum eſt, imparem eſſe ſolius Parochi laborem: Cum nequeat unus omnes inſtruere, ubi Doctoris diligentiam numerus vincit; Quoties tamen Epiſcopus toto animo, ac ſtudio in Eccleſiam ſibi commiſſam incumbat, nunquam neceſſariis, & opportunis deſtituetur auxiliis. Semper enim inveniet, qui tonſura initiari, qui per minorum, qui per Sacrorum ordinum gradus ad Sacerdotii Faſtigium promoveri, qui denique ad Eccleſiaſtica Beneficia viam ſibi munire ſtudeant. Graviſſimis idcirco verbis (& verbis facta reſpondeant) affirmet Epiſcopus, nunquam ſe facturum, ut Tonſura in auret grandiores ætate, aut minores, præſertim vero majores ordines iis conferat, qui in tradenda Chriſtiana doctrina operam ſuam Parochis commodare neglexerint. Hunc porro Clericorum Numerum idem Epiſcopus in ſingulis ſuæ Civitatis, & Diœceſis Parochias apte diſtribuat, & eorum aliquos determinatæ Eccleſiæ adſcribat.

Denunciet præterea, ac Fidem præſtet, in conferendo Parochiarum, & aliorum Beneficiorum Jure, plurimum apud ſe ponderis, & momenti habiturum ſtudium, & diligentiam in hoc opus a Clericis collatam, atque ita reipſa conſtabit, non Rectori tantum, impoſitum eſſe docendi Munus, ſed plures illi præſto eſſe, ut omnes officii ſui numeros cumulate implere poſſit.

His

His accedit Sacris Apoſtolicis Conſtitutionibus,& ſeptima præſertim Fe Rec. Leonis X. Prædeceſſoris noſtri edita in Concilio Lateranenſi, ſaluber rime cautum fuiſſe, ut Ludi Magiſtri diſcipulos ſuos, quam piæ fœmi næ puellas inſtituendas, ſana, & incorrupta Doctrina (Epiſcopo id potiſſi mum urgente) tamquam pabulo vitæ nutriant, & confirment. Conſtat etiam ipſum Epiſcopum poſſe, ac debere Sacris Oratoribus, quam diligentiſſime commendare, ut pro Concione in parentum aures, animoſque ingerant ſui intereſſe,Myſteriis noſtræ Religionis ſuſceptam prolem imbuere: Etſi ad id mi nus idonei fuerint, Filios in Eccleſiam adduci oportere, in qua divinæ Legis Præcepta explicantur; Pluribus itidem in locis pia, ac laudabilis (& ubi non ſit recepta, inducenda) conſuetudo invalvit, ut Paracho idem munus perſe quenti auxilium ferant laici, tum viri, tum Mulieres in Chriſtiana Inſtitu tione, veluti Adjutricem, operam navantes, qui audiunt pueros, ac puellas orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apoſtolorum aliaque id genus memoriter pronunciantes; alibi quoque Sodalitia erecta ſunt quorum Cura in explicanda Chriſtianæ Religionis Diſciplina verſatur, & quorum Inſtitutum nedum meritis laudibus cumulat San. Mem. Pius V. in ſu Conſtitutione, quæ incipit: Ex debito; ſed in omnibus, atque exploratum erit, ubi multa ſit Meſſis, paucos, nequaquam eſſe operarios, nec eos deeſſe qui parvulis panem petentibus, frangant.

Sed quia compertum eſt, non ſolum adoleſcentulos, illoſque, qui confirmata ſunt jam ætate, in divinarum rerum ignoratione verſari, ſed etiam viros, ipſoſque ſenes ſalutaris Doctrinæ eſſe omnino expertes; vel quia numquam illam perceperunt, vel jamdiu perceptam paulatim delevit oblivio. Huic etiam malo provida Epiſcoporum occurret vigilantia, ſi operis ſui Vicarios, cogent, quæ parata ſunt remedia, ſedulo adhibere.

Ut autem ab iis, qui in prima ſunt ætate, ſermo inſtituatur; Ad Sacram Euchariſtiam, & Confirmationem admitti plures poſtulant. Pauci enim enixam hanc voluntatem, ac fere impatiens ſtudium non præſeferunt. Moneat igitu Epiſcopus Parochos, eiſque diſtricte præcipiat, ne quis eorum Sacrum Eucha riſtiæ Sacramentum adminiſtret, & ſchedulam, ut ajunt confirmationis iis tradat, qui graviora Fidei, ac doctrinæ Capita, & Sacramenti virtutem, & vim ignorent, vel quia parum in hoc Tyrocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quæ ad hujuſmodi Sacramenta pie, riteque ſuſcipienda ſtatis temporibus tradita ſunt. Hoc ſane pacto primæ ætati ſatis videri poteſt conſultum.

Si vero loquamur de adoleſcentia, quoniam unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, uſu ſatis conſtat, alios Eccleſiaſticæ, alios vero ſæcularis vitæ rationem inire. De primo hominum genere verba jam fecimus, cum de iis ageremus, qui ordinibus initiari volunt: Id unum addi poſſe videtur,rem fore magni commodi, multæque utilitatis plenam, ſi qui ſe ſiſtunt Examini eos Præſul potiſſimum interroget de iis, quibus Chriſtiani hominis ſcienti continetur. Etenim Magiſtra rerum experientia edocuit,ex his aliquos, tamet latini Sermonis nitore, & Elegantia excultos, in ſcientiarum curriculo liberaliter inſtitutos, & quæ ad ordines pertinent apprime callentes, de Doctrina tamen Chriſtiana percontati, parum, aut nihil appoſite reſpondere.

Si autem ad eos, qui in ſæculo degunt, mentis aciem convertimus, palam fit, illos, ut plurimum Sacri Conjugii fœdera inire; Verum cum Matrimon

jun-

jungendi non ſint, ſi Parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit marem, ſeu fęminam, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ignorare; vix tantæ, ac tam luctuoſæ ignorantiæ locum relinquet Epiſcopus, qui Paſtores Animarum admoneat officii ſui, & huic ſi deſint, negligentiæ repetat pœnas.

Omnes denique omnium ætatum, atque ordinum homines ſolent identidem ſordes Animę pęnitentię Sacramento detegere: Curabit itaque Epiſcopus, ut Sacerdos excipiens Confeſſiones, fixum illud, immotúmque Animo ſemper habeat, invalidam eſſe abſolutionem Sacramentalem, quam quis ignoranti res neceſſarias neceſſitate Medii impartitur; nec poſſe homines Deo per hujuſmodi Sacramentum reconciliari, niſi prius excuſſa hujus ignorantię Caligine, ad agnitionem Fidei educantur. Sedulo etiam animadvertat Confeſſarius in aliud tempus reijciendam eſſe abſolutionem illius, qui neceſſaria neceſſitate præcepti ſuo vitio neſcit; Et eo quandoque caſu Pœnitentem abſolvi poſſe, quo ſe vincibilis hujus ignorantiæ Reum agnoſcat, & accuſet, ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum Confeſſario ſerio promittat, operam ſe impenſe daturum, qua divinæ gratiæ præſidio diſcat, etiam neceſſaria neceſſitate Præcepti.

Hanc profecto Chriſtiani Populi inſtituendi rationem, ſi Paſtores ſibi propoſuerint, ſi eorum conſilia, labores, & ſtudia ad propoſitam Methodum duxerint referenda; ſperare fas eſt, Fide, & opere Gregem ita in dies profecturum, ut coædificetur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.

At vero cum maximi momenti ea res ſit, nullaque alia ad Dei gloriam, & ad Animarum ſalutem utilius inſtituta, mirari nemo debet, quod plurima paſſim obiiciantur impedimenta. Sitæ quandoque ſunt in agro parvæ, humileſque Eccleſiæ, aliæ Parochiali proximæ, aliæ vero longo intervallo disjunctæ, ad quas diebus Feſtis Patresfamilias, una cum liberis accedunt, Sacerdotem Sacris operantem audituri; ex quo fit, ut ſuæ Parochiæ numquam fere interſint; nec ullum de Myſteriis Fidei, de Præceptis, de Sacramentis, verbum accipiant. Epiſcopus huic malo occurret, ſuamque obiiciet Authoritatem. Et primo quidem, quo ad parvas Eccleſias Parochiali proximas, expreſſa lege caveatur, ne quis antea Sacrificium faciat, quam Parochus Miſſam celebraverit, ſermonem habuerit, cœteraſque ſui Muneris partes abſolverit. Hoc enim pacto Eccleſia Parochialis confluentium Parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad parvas Eccleſias a Parochiali longe ſepoſitas, cum difficile admodum ſit, Parochianos ob locorum diſtantiam, longum iter, atque áſperum hyemali præſertim tempore, cum pluviæ inundant, Parochialem adire, ibique divinis officiis intereſſe, relicta Eccleſia proximiore: Decernat Epiſcopus, gravibus etiam ſtatutis pęnis, quod Sacerdotes ibi operantes, Chriſtianæ Doctrinæ ſummam Populo tradant, divinamque Legem annuncient. Monendus tamen eſt Parochus, ne alienæ operæ nimium tribuat, ſed videat ipſe quo loco res ſint, cum Pueri Sacramentum Euchariſtiæ,& Confirmationis, alii vero Matrimonii ſibi adminiſtrari expoſcant.

Præterea ſua etiam Urbes habent impedimenta. Sæpe etiam contingit in aliis Eccleſiis, ac præſertim Regularium, ſolemni ritu, magnaque Populi frequentia, feſtum aliquem diem celebrari: ideoque ſi in Eccleſia Parochiali, ſummo mane, aut ſtatim a prandio Cathechiſmus habeatur, aut nemo, aut pauci admodum ſunt, qui eidem Cathechiſmo interſint, quique præſcriptas horas non cauſentur; ſin vero aptentur horæ Civitatis commodo

magis

magis appoſitæ, uſu compertum eſt, Populum ad Eccleſiam confluere, in qua feſtus dies agitur, & celebritate pompæ illectum, Doctrinam Chriſtianam non ſine gravi Animæ detrimento deſerere: in hoc articulo, quia certa, & communis regula præſcribi non poteſt, id totum relictum volumus prudentiæ vigilis Eccleſiæ Antiſtitis, qui attenta loci, temporis, perſonarum qualitate, expenſiſque rerum omnium momentis, ita ſtudeat ſolemnis diei celebritatem cum doctrina Chriſtiana componere, ne alteri altera ſit impedimento, quod ſi Regulares, & exempti contradixerint, & ſanctum hoc doctrinæ opus, licet ab Epiſcopis prius admoniti, ſuis functionibus perturbare præſumpſerint, noſtram locorum ordinariis authoritatem, qua potimur, in exemptos pollicemur; nec alia Pontificiæ vigilantiæ deerunt remedia, ne Parochiales Eccleſiæ debitis fraudentur obſequiis.

Plurimum quoque ad Chriſtiani Populi inſtructionem conferre poterit, ſi viſitatores eligantur, quorum alii Civitatem, alii Diœceſim luſtrantes, omnia ſedulo inquirant, ut certior factus Epiſcopus, pro meritis cujuſque Paſtoris, aut præmia decernat, aut pœnas.

Clementis PP. VIII. aliorumque Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, hortamur in Domino, & enixe commendamus in Doctrina Chriſtiana tradenda adhiberi libellum de Clementis ejuſdem mandato a Cardinali Bellarmino conſcriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, & approbatum; ac denique ab eodem Clemente in lucem eo ſaluberrimo conſilio edi juſſum, ut unus, deinceps, idemque modus in docendo, & diſcendo Chriſtianam Doctrinam ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius, nihil ad præcavendos, qui in multiplicem Cathechiſmorum varietatem irrepere poſſent, errores conducibilius, atque opportunius. Sicuti vero contingat ob peculiares Regionum neceſſitates alium quempiam adhiberi forte libellum: ſedulo invigilandum erit, ne quid ille contineat, ne quid in eum unquam inducatur a catholica veritate abſonum. Curandum inſuper, ut in eo fidei Dogmata clare, & dilucide ſint explicata, additis, ſi quæ deſunt, neceſſariis, ac ſublatis, quæ redundant. Brevis enim, & univoca docendi methodus multum prodeſſe ſolet ad faciliorem interrogationem, cum quis periculum facit progreſſus puerorum: Complectatur liber hujuſmodi, etiam Fidei, Spei, & Charitatis actus, quos recte, ſcienterque compoſitos eſſe, minime dubitandum. Sed ſi aliter ſe res habeat, caſtigati emendato prælo donentur. Actus prædicti paucis potius, quam multis verbis efferri gaudent; dum illis tamen tota vis, & natura virtutis explicetur. Et quia Chriſtianam Religionem profitenti maxima neceſſaria eſt conſuetudo, & exercitatio ſæpius eliciendi dictos actus; idcirco ne illorum uſus circumſcribatur anguſtis finibus, & exiguo numero a quibuſdam ſingulis annis præfinito, Epiſcopus ſuæ non minus, quam alienæ ſalutis ſtudioſus, provide ſtatuat, ut in Parochiis, tam Urbis, tam Diœceſis Rectores animarum poſt miſſam feſto die celebratam, ſtatim ante aram provoluti, clara, & intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, & præire ſatagant Populo, verba ab ipſis prolata devote reddituro. Hoc enim pacto fideles ſenſim illos memoriæ mandabunt, & aſſueſcent nedum feſtis, ſed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione verſari.

Saluberrimas has erudiendi Gregis rationes, quas vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apoſtolica Scripta notas eſſe volumus, quiſque veſtrum facile intelliget, conſonas eſſe monitis noſtris Paſtoralibus prælo jam demandatis,

cum

eum Sponſam noſtram Bononienſem Eccleſiam Paterna Charitatè complexi amplecteremur: Illaſque præterea ex Pontificiis Conſtitutionibus auctas eſſe,& ſpectabilium Antiſtitum Teſtimonio,& exemplo comprobatas. Quia ve ro maximam inde utilitatem proficiſci experimento cognovimus: quo major i poſſumus ſtudio, Vos hortamur, & admonemus, ac per Viſcera Miſericordiæ Dei noſtri enixe obteſtamur,ut pro injuncto Vobis Paſtoralis Miniſterii debito præmiſſorum executioni ſtrenuo, conſtantique animo incumbatis = Sedulo recogitantes, quidquid laboris, ſtudii, ac vigilantiæ in hunc ſcopum collatum fuerit, Deum omnium bonorum Datorem uberi Mercede retributurum, & Apoſtolicam Benedictionem ex animo Vobis impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die VII. Februarii MDCCXLII. Pontificatus noſtri Anno Secundo.

## C A P U T V.

*De ſalutaribus Sacris Miſſionibus ſæpe peragendis Epiſtola Encyclica.*

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis,& Ordinariis Regni Neapolitani = Benedictus PP. XIV. Venerabiles Fratres Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GRaviſſimum Supremi Apoſtolatus Miniſterium, quod Nobis immerentibus delatum fuit, duo potiſſimum requirit: Primum nempe ad Sanctam Religionem amplectendam eos Populos adducere, qui illam, vel nunquam ſuſceperunt, vel ſuſceptam infortunio miſero, funeſtoque deſeruerunt: Alterum vero Religionem ipſam ſartam, tectam diligenter in iis locis tueri, in quibus integra, divino Beneficio, conſervatur. Porrò Nomine Religionis non intelligimus ea ſolum, quæ ad ſalutem obtinendam neceſſario Fide tenenda ſunt, ſed etiam quæ præſtari debent operibus, ut vitam, Moreſque Chriſtianæ Diſciplinæ conſentaneos oſtendamus, ac beatiſſimam in Cœlis felicitatem poſt hujus vitæ curriculum aſſequamur.

Equidem Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, ut huic numeri ſatisfacerent, omni tempore viros pietate, ac doctrina præſtantes, elegerunt, qui Fidem Catholicam in omnes Terræ partes diſſeminarent; quorum exemplis inhærentes, pro tenuitate virium noſtrarum, ac temporum difficultatibus, Nos pariter idem Inſtitutum, retinuimus. Secundo loco, Romani Pontifices omnem Curam ſemper impenderunt, ut Morum diſciplinam, & Sanctitatem labefactatam, ac jacentem in illis Diœceſibus excitarent, ubi ſolius Epiſcopi ſtudium, & opera pro ſe gerenda ſatis eſſe non putabantur: Nam, vel Apoſtolicos Viſitatores in eas Diœceſes miſerunt, vel aliis remediis uſi ſunt, quæ magis idonea viderentur. Idem Conſilium Nos quoque ſecuti ſumus, quoties Fidelium Corruptelæ ad aures noſtras pervenerunt, ut negligentiæ notas, cum ante Supremum Judicem ſteterimus, quo poſſumus,ſtudio declinemus. Etenim Vicarios Apoſtolica Authoritate præditos, non ſemel deſignavimus, qui Diœceſes, ubi opus eſſet, ad priſtinam diſciplinam reſtituerent: Multas Epiſtolas dedimus peculiaribus Epiſcopis, vel pluribus ſimul, vel etiam univerſis ad ipſorum ſolicitudinem extimulandam; alia quoque conſilia, ac rationes inivimus, quas hic recenſere ſupervacuum eſt.

Poſt hæc diſſimulare minime poſſumus, exploratum Nobis eſſe, Veſtris

in Civitatibus probos quidem homines verſari, ſed longe plures inveniri perditos, qui præſertim in Montanis locis, & a veſtris ſedibus valde ſejunctis, vitam ab omni virtute alienam, traducunt; qui ſi a Fide non aberrant, uti confidimus, corruptis tamen moribus, ac flagitiis in ſe concitant divinam iracundiam, & properant ad ſepulcrum, quin antea dignos pœnitentiæ fructus oſtendant.

Equidem veſtram, Noſtramque diligentiam id magnopere poſtulat, ne in tam gravi Negotio deſides, atque ſocordes, non ſine crimine, videamur. Quapropter de opportunis remediis diu cogitavimus, ac primum ad Deum Patrem luminis confugimus; Preces quoque noſtras ad Beatam Virginem convertimus, cujus Natalitio Die has Literas ſcribimus: Deinde vos hortandos, cenſuimus, ut ea, quæ ſubiicimus pro bono veſtrarum Diœceſum executioni ſtrenue demandetis.

Quo tempore Nos ipſi in minoribus conſtituti munus Promotoris Fidei per plures annos exercuimus, cujus eſt, accurato ſemper examine, virtutes, ac merita illorum perpendere, qui inter Sanctos referendi ſunt, quo etiam tempore per plures annos fuimus a ſecretis Sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretum, qui pro ratione ſui Muneris ſummopere contendunt de medio auferre Corruptelas, quæ Diœceſes labefactant; Inſuper cum plures Epiſcopos doctrinæ laude, ac pietatis ſtudio præclaros, eo temporis ſpatio familiari Conſuetudine cognoverimus; ac poſtremo cum ſedem Angonitanam ante Pontificatum tenuerimus, ac deinde in Bononienſem tranſlati (cujus Adminiſtrationem cum Summo Pontificatu conjunctam gerimus) in illa ſupra decennium morati fumus, diuturna experientia edocti, perſpeximus, ad improbos mores corrigendos, qui vel ſerpere incipiunt, vel nimis jam invaleſcunt, vel tandem diuturnitate confirmati, Diœceſes latius occuparunt; nihil magis conferre, quam alienam opem, ac vires implorare; videlicet Sacras Miſſiones ubique indicere, præſertim in iis locis, quæ magis a Civitatibus ſejunguntur. Et profecto viri Miſſionarii merito comparantur Joanni Apoſtolo, ejuſque Sociis, qui acciti fuerunt ex alia Navi, ut operam ſuam præberent Petro, atque Andreæ in Mari laborantibus; Itaut non poſſent ob copiam incredibilem piſcium retia deducere, uti conſtat ex Evangelio Sancti Lucæ *(a)*; quod Maldonatus his verbis interpetratur = Debent Eccleſiæ Paſtores, cum ipſi per ſe, aut impoſito, aut ſuſcepto oneri non ſufficiunt, alios, a quibus juvari poſſint, advocare = Idem prorſus ante Maldonatum Janſenius adverterat *(b)*.

Cum Fidei Promotorem egimus virtutes examinavimus, & res præclare geſtas a Dei famulis Juvenati Angina Salutarium Epiſcopo, Cardinali Roberto Bellarmino Archiepiſcopo Capuano, Alexandro Sauli primum Aleriæ, ac deinde Papiæ Epiſcopo, quem Nos ritu ſolemni inter Beatos recenſuimus; ac poſtremo Sanctis Vincentio de Paulis, & Joanne Franciſco Regis, quos Pontifices Deceſſores Noſtri rite in Album Sanctorum retulerunt. Itaque cum egregia facinora horum præſtantium virorum expenderemus, apertiſſime cognovimus, incredibilem gloriam tribus primis eveniſſe in Cura Animarum adminiſtranda ob eam cauſſam potiſſimum, quod omne ſtudium poſuerint, ut Sacræ Miſſiones in ſuis Diœceſibus aſſidue peragerentur.

Duos

(a) Cap. 5.    (b) *In Concordia Evang. Cap. 25.*

Digitized by Google

Duos autem , quos poſtremo loco nominavimus , charitate erga Deum, & proximum maxime prædictos , ornatoſque deprehendimus ; ac potiſſimum S. Vincentius de Paulis eam certiſſime probavit, eoquod Miſſionariorum Congregationem inſtituerit ; & ipſemet ( donec incolumitas Corporis permiſit ) Miſſiones eaſdem exercuerit . Joannes quoque Regis Sancto Charitatis igne conflagraſſe palam oſtendit ob ſingularem alacritatem , qua difficiles, & aſperrimos Montes adire non dubitavit ; ut ignaros Populos Chriſtiana doctrina, ac moribus imbueret , & ad bonam frugem traduceret , quoties ab ipſo Epiſcopi, aut ejus Præpoſiti id poſtularent .

Illud etiam non ignoratis , in more poſitum eſſe Epiſcopis , ut ſtatis temporibus ad Sacram Congregationem Concilii Tridentini Interpretrem de ſuis Eccleſiis referant , earumque ſtatum plene exhibeant . Itaque cum Nos ipſi Secretarii Munere fungeremur, quoties in aliqua Diœceſi Miſſiones indictas fuiſſe relatum fuit, toties juſſu Congregationis ejuſdem, vel Summorum Pontificum hoc Conſilium magnopere commendavimus in Reſponſis , quæ ad Epiſcopos fieri conſueverunt , eoſque incendere non prætermiſimus , ut laudabiliter inceptum proſequerentur . Non ſemel etiam Epiſcopos redarguere juſti fuimus, qui pios Miſſionarios non accirent , ut languentem , ſicuti ipſi afferebant , in Popolo pietatem , & in viris Eccleſiaſticis diſciplinam excitarent , & in utriſque peccandi licentiam cum ſcandalo junctam , coercerent .

Typis impreſſa eſt hiſtoria rerum geſtarum a Benedicto XIII. de Nobis optime merito , Nationis veſtræ ornamento , & Beneventanæ Eccleſiæ per plures annos Archiepiſcopo . In Lucem pariter edita fuit vita Cardinalis Innici Caraccioli ; qui ſedem Averſæ magna virtutis commendatione tenuit ; & Epiſcopi de Cavaleriis , qui Trojæ Eccleſiam Summa pietate , ac ſtudio Religionis adminiſtravit ; Si vobis ante oculos unquam propoſuiſtis , vel in poſterum eos libros proponetis , intelligetis profecto maximos ſibi , Populiſque ſibi traditis fructus eveniſſe ex ſacris Miſſionibus, quas ſuis Diœceſibus compararunt. Nos quidem has hiſtorias accurate legimus , & magna cum voluptate Typis evulgata vidimus ea omnia, quæ viri illi præclariſſimi ſæpius Nobis explicaverant , cum adhuc in Terris verſarentur . Etenim Benedictus XIII. opera noſtra , dum Pontificatum gereret , ſemper uſus eſt ; Alios autem , quos nuncupavimus , non ſemel alloqui Nobis opus fuit , eiſque literas dare , quibus eorum negotia expedirentur .

Tandem Sacrarum Miſſionum utilitatem , ac neceſſitatem Nos ipſi compertam habuimus , quoties illas accivimus in Diœceſim Angonitanam , quo tempore Nobis commendata fuit ; Et quandiu Bononienſem Eccleſiam Noſmet præſentes adminiſtravimus ; Et nunc etiam curamus diligenter , ut eædem Miſſiones quandoque indicantur ab eo , qui juxta Normam, & Conſilia a Nobis præſcripta, vices noſtras obtinuit : Tum plane agnovimus veritati conſentaneum eſſe , quod Paulus Segneri Societatis Jeſu Concionatoris , Scriptoris, & Miſſionarii laude clariſſimus , ſcriptum reliquit , nempe : Miſſionum tempore tot Concionatores merito nuncupari poſſe , quot perculſi piis Exercitationibus ad pœnitentiam inflammantur ; ſuoque Exemplo alios pertrahunt ad eandem Virtutem exercendam ; Ex illis autem Miſſionibus magis copioſum fructum dimanere , quibus majori frequentia Populus interſit, ea prorſus ratione, qua ignis magis augetur, ſi plures in unum locum carbones congerantur .

Quocirca neque novum , neque incertum , neque a Nobis excogitatum



Digitized by Google

dici poteſt hoc remedium, quod Populi corruptelis corrigendis proponitur: Antiquum illud eſt, malis curandis aptiſſimum, & fortaſſe unicum, quod tot Epiſcopi pietatis gloria inſignes magna cum utilitate ſuis in Diœceſibus adhibuerant, quos Nos ipſi toties experti ſumus, & vos etiam, qui proculdubio Populum Vobis commiſſum, Sacris Miſſionibus aliquando recreaſtis. Sed ne virtute ſua careat ejuſmodi Remedium, preces ad Deum effundendæ ſunt; Quippe: Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Deinde ſeligendi ſunt Miſſionarii doctrinæ laude præſtantes, quive Populum diligenter inſtruant: Nam merito ſuſpicamur, idque non ſine lacrymis, ac mærore ſcribimus, ſuſpicamur, inquam, plures Animas ex illis, quæ Nobis, ac vobis traditæ fuerunt, ad interitum ruere; eoquod res neceſſarias neceſſitate Medii, ut ajunt Theologi, penitus ignoraverint. Illi potiſſimum Miſſionarii vocari debent, qui poſtquam labes, & ſcandala Populi certo deprehenderint, ipſorum gravitatem, ac turpitudinem ſuis concionibus oſtendant, & vehementer arguere poſſint. Id conſtat Teſtimonio Sancti Marci (a): ubi Chriſtus eligit Apoſtolos: ut mitteret eos prædicare: Idem etiam deſumitur ab actis Apoſtolorum (b), ubi ipſi Prædicationem Verbi, tamquam peculiare Munus ſibi demandatum, teſtantur: Non eſt æquum, Nos derelinquere Verbum Dei, & miniſtrare Menſis: Idem Sanctus Paulus docuit (c): Non enim miſit me Chriſtus baptizzare, ſed evangelizare: & (d): Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos, per adventum ipſius, & Regnum ejus, prædica Verbum, inſta opportune, importune.

Ac vero Miſſionarii ſuæ vitæ ratione, atque exemplis Populum ad virtutem incendere debent: In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, inquit idem Apoſtolus ad Titum: Sanctus Lucas (e) teſtatum reliquit, quod Salvator Dominus: cœpit facere, & docere.

Poſtremo Miſſionarios Deo ſe penitus devovere fas eſt, nec ullam admiſcere cupiditatem inanis gloriæ, vel ſpem Emolumenti, licet exigui, dum Populis erudiendis incumbunt. Equidem magno fructu cumulatas fuiſſe accepimus Miſſiones, quæ peractæ ſunt, cum S. Carolus Borromæus Mediolanam Sedem teneret; Idem nunc etiam contingit opere ac virtute oblatorum, quos ille inſtituit, quique a S. Ambroſio nuncupantur: Nam præ cæteris illud præſcriptum habent, ne ulli incommodum afferant, & ne ulla cauſſa, vel ratione unquam moveantur, ut aliquid dono accipiant, quemadmodum ab actis Eccleſiæ Mediolanenſis, quæ anno 1599. Typis edita fuerunt (f) clare deprehenditur. Ad Sanctum Joannem Chryſoſtomum Mentem convertite, qui fatetur (g): Univerſum Terrarum orbem ab Apoſtolis traductum fuiſſe ab errore ad veritatem, & a veteri ſuperſtitione ad Chriſtianam Diſciplinam amplectendam, non quod Mortuos ad novam vitam revocaverint, ſed quia ſolutum avaritia, & omni cupiditate animum penitus habuerint. Quid eſt enim, quod eos magnos oſtendit? pecuniarum contemptus, gloriæ deſpectus, ab omnibus vitæ negotiis ereptio; quæ ſi non habuiſſent, etſi Mortuos ſuſcitaſſent, non ſolum nullos juviſſent, ſed etiam ſeductores æſtimati eſſent.

Civitas Neapolis affluit magna copia Eccleſiaſticorum, qui pietate doctrina,

(a) *Cap.3.*
(b) *Cap.6.*
(c) *1. ad Corinth.*
(d) *Epiſt.2.ad Timoth.*
(e) *In Actib. Apoſt.*
(f) *Parte 5.pag.841.*
(g) *Hom.46.ſuper Matt*

Digitized by Google

ctrina, & pro agendis Miſſionibus experientia valde commendantur. Plena ſunt etiam virorum hujuſmodi Congregationes Sedis Archiepiſcopalis, Patris Pavonis, & Sacerdotum, qui a Sancto Gregorio Nomen accipiunt, qui Pii Operarii vocantur; ac tandem non deſunt Domicilia Sacerdotum, qui Sancti Vincentii de Paulis Inſtitutum, dato Nomine, ſequuntur, Meſſis quidem multa eſt, ſed operarii ſufficient, ſi ita diſtribuantur, ut Populorum utilitas, atque neceſſites poſtulabit. Adibitis Dilectum Filium noſtrum Cardinalem Spinellium Neapolis Archiepiſcopum, cujus Conſilio res tota gerenda erit: ob hanc cauſſam literas ad ipſum damus; ab eoque petimus, ut hanc Provinciam ſuſcipiat; Facultatem quoque tribuimus, ut alios ſibi Adjutores in tam gravi Negotio aſſumat, vel illos etiam in ſuum locum ſufficiat; Cum nos minime lateat, quam variis Curis detineatur, & quos labores ſubierit, ac in praeſentia ſubeat, ut vinea Domini diligenter excolatur. Si quis veſtrum Miſſiones expetit, ad ipſum Cardinalem Archiepiſcopum confugiat, qui Miniſtros idoneos deſignabit, uti neceſſitas requiret; Ipſorum Numerum conſtituet, & rationem quoque temporis habebit, quo Sacræ Miſſiones, abſolvantur: Nam ipſe pro ſua Sapientia ſatis intelliget, nequaquam uno tempore omnia ſimul perfici poſſe.

Indigent Miſſionarii facultatibus extraordinariis, quas Nos libenter illis ex Theſauro Eccleſiæ conferemus, ut præclariſſimum opus ipſi feliciter proſequantur. Eas facultates indicabimus Cardinali Spinellio, ut Miſſionarii ad illum accedentes, ſive ad alium ipſius loco ſuffectum facile obtineant, quæ magis conferre ad Dei gloriam, & Animarum ſalutem judicaverint.

At vero perſpicimus difficultates, quæ facile retardabunt Miſſionarios, ne ad Samnites, & Calabros iter ſuſcipiant. Attamen cum verſentur in illis locis Patres Dominicani, & Societatis Jeſu, ipſorum Præpoſiti generales Juſſu noſtro Provinciales adducent, ut ex ſuis Religioſis Viris aliquos eligant, qui Miſſiones illic exerceant; Neque ullum Emolumentum percipiant a Clero, ſive a Magiſtratibus Locorum, ubi Miſſionibus operam præbebunt. Ipſorum Nomina ad Cardinalem Spinellium deſcripta mittentur, ad quem Samnitum, & Calabriæ Epiſcopi confugient, ut in eorum Diœceſibus recte Miſſiones ordinentur, quemadmodum futurum procuIdubio confidimus in aliis Diœceſibus, quæ ab Urbe Neapoli non adeo remotæ ſunt.

Sed notam velut inurere videremur eximiæ pietati, & Religioni Cariſſimi Filii noſtri Caroli Utriuſque Siciliæ Regis Illuſtris, niſi vos moneremus expoſcere ab ipſo Rege, ut ſuam Authoritatem, & gratiam, ſi pro Miſſionibus recte gerendis opus fuerit, liberaliter interponat. Etenim Nobis perſpectum eſt experientia, ne vos certe latere debet; nihil antiquius ipſi propoſitum eſſe in Regno adminiſtrando, quam Dei gloriæ maxime inſeruire.

Finem his literis, ne longiuſculæ videantur, imponimus; Exemplum S. Regis Joſaphat veſtris oculis ſubiicientes: Sacerdotes, veluti quidam adminiſtri ipſi Regi victori præibant, qui docebant Populum in Juda habentes Librum Legis Domini, & circuibant cunctas Urbes Juda, atque erudiebant Populum *(a)*: Nec Regi ſatis fuit uti Sacerdotum opera, ſed ipſemet ad Populum Berſabeæ ſe contulit, & uſque ad Montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum Deum Patrum ſuorum *(b)*. Idem vobis imitandum conſtituite, ne

ſolum

(a) *Paralip. cap. 17 lib. 2.* (b) *Cap. 19.*

Digitized by Google

ſolum per Diœceſes Sacerdotes mittite, ſed illas vosipſi perluſtrate, quoties graviora Negotia Vobis id permittent; Etenim Populus veſtra præſentia, ad virtute permotus ad viam Domini capeſſendam magis incendetur. Si aliquod incommodum ferendum eſt, Deum facilius hoc pacto commovebitis, ne pœnas expoſcat a Vobis ob negligentiam, qua Diœceſim aliquando inviſere, & in veſtris Sedibus commorari, uti oportebat, omiſſis, quod nonnullis ex Vobis contigiſſe certo ſcimus. Verum huic etiam malo in diem gliſcenti non deerunt Apoſtolicæ Providentiæ partes. Interim veſtrum memoriam, veſtrique Gregis animo numquam deponemus, quoties ad Altare rem divinam operabimur. Vobis etiam, & veſtræ curæ commendatis Populis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die VIII. Septembris 1745. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

## CAPUT VI.

### *De Parochis, & Parochiis conferendis.*

I. Cuilibet ex Paſtoribus Chriſti Gregis non immerito accomodantur verba illa, quæ per Iſaiam (a) a Domino conquerente afferuntur: Cuſtos, quid de nocte? Vigiles enim ſunt, & vigilare tenentur ſuper Animabus eorum curis commiſſis in hujus vitæ caliginoſo curſu, inter Mundi jacula, vitiorum tenebras, & ſpiritualia nequitia: Magnopere quippe Parochos oportet vigilias noctis cuſtodire, ſummaque vigilantia excubare, ut doctrinæ opportunitate, & veritate infirma confirment, diſrupta conſolident, depravata convertant, & verbum vitæ in æternitatis Cibum alendæ familiæ diſpenſent, hortando, docendo, prædicando, Cathechizando, cæteraque Munia perficiendo, quæ tam ſublimi Miniſterio adeiſcuntur.

II. Concilium enim Tridentinum (b) ſic ſtatuit: Archipresbyteri, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Eccleſias, quocumque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint (c) diebus ſaltem Dominicis, feſtis ſolemnibus plebes tibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quod ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pænam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Id vero ſi quis eorum præſtare negligat... Provida Paſtoralis Epiſcoporum cura non deſit, ne illud impleatur (d): parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Itaque ubi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur; itaut etiam, ſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus, alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec Principalis ipſe reſipiſcens, officium ſuum impleat.

III. Meminerint itaque Parochi: quid ab ipſis agendum ſit tam formidabili munere, Angelicis quoque humeris formidinis ſuſcepto (e): quod, ut rectius

(a) *Cap.21.*
(b) *Seſ.5.cap.2.de reform.*
(c) *Conc.Conſtant.6 cap 8 cap. exiit habetur etiam de verb.ſignificat.Conc.Laterl. Seſſ.11.*
(d) *Tren. 4.*
(e) *Trid.ſeſ.6.de refor.cap.1.*

Digitized by Google

rectius impleant, laboribus, & vigiliis, haud parcendum eſt: ſed potius illud Jacob uſurpent (a) diu, noctuque æſtu urebar, & gelu; fugiebatque ſomnus ab oculis meis: quod expavens S. Damaſus PP. (b) ſubdit: Si ergo ſic laborat, & vigilat, qui paſcit oves Laban, quanto labore, quantiſque vigiliis debet intendere, qui paſcit oves Dei? Equidem cuilibet eorum loquitur Dominus (c) ſi non annunciaveris impio, ut avertatur a via ſua impia, & vivat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram (ideſt te puniam cum eo pro peccato, quod habes, in non corripiendo eum. Et ſic væ illi, & tibi). Si autem annunciaveris ei, nec ille converſus fuerit ab impietate ſua, ipſe quidem in iniquitate morietur; tu autem animam tuam liberaſti, ac ſi diceret: væ illi tantum.

IV. Ubi igitur majus eſt periculum, ibi cautius eſt agendum (d). Bene itaque perpendant divina Iſaiæ verba ſingulis Animarum Paſtoribus indicta: Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia Populo ſcelera eorum, & domus Jacob peccata eorum: tum ea, quæ rectam, & fructiferam Sacramentorum adminiſtrationem referunt; ne miniſteriis ſuis conveniat illud ejuſdem Prophetæ, opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum: ſcientes, quod non facere, & non benefacere paria ſunt (e). Adimpleant fideliter quæ paſſim a Tridentina Synodo a ſacris Canonibus, & a Summis Pontificibus ipſi præcepta ſunt: in reſidentiæ onere, in ſacro offerendo diebus feſtivis pro populo, in explicando Evangelio, in cathechizandis rudibus, in moribundis confortandis, in cuſtodiendis Sacrorum clavibus, atque bene compactis Parochialibus libris; in jejuniis, indulgentiis, cæteriſque Populo denunciandis, abuſibus extirpandis, in caſuum moralium, rituumque conferentiis aſſiduis, muniiſque omnibus, ſicuti par eſt; ad unguem ſedulam dent operam, juxta Apoſtolorum conſtitutionem.

§. I.

*De Sacrificio applicando, tam a Parochis, quam a Capitularibus Litera Apoſtolica.*

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cunctiſque locorum ordinariis per Italiam conſtitutis. Benedictus PP. XIV.

Venerabiles Fratres ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUM ſemper oblatas Nobis occaſiones Apoſtolica ſcripta dirigendi ad Fraternitates veſtras libenter amplectimur, ut ſinceræ noſtræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant: tum vero majori animi alacritate id ipſum præſtamus, cum ad excitandum Fraternitatum veſtrarum zelum pro conſervatione rectæ diſciplinæ in Clero regimini veſtro commiſſo, præſentibus rerum, aut temporum conditionibas commovemur. Nec enim impoſitum imbecillitati noſtræ omnium Eccleſiarum ſolicitudis onus aliter ſuſtinere nos poſſe, confidimus, quam ſi divini cultus augumentum atque exactam Eccleſiaſticarum Sanctionum ſingulis Diœceſibus cuſtodiam

reli-

(a) *Geneſ.31.*
(b) *Epiſt 4.*
(c) *Ezec.3.*
(d) *L.1.§.ſed,& ſi quis ff de Carb.Edict. & cap ubi de Elect in 6.*
(e) *L.quoties ff.qui Satiſd.coguntur.*

Digitized by Google

religioſæ vigilantium Paſtorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

Hujus porro Epiſtolæ ad vos ſcribendæ occaſionem Nobis, atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus Animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Miſſam Parochialem pro Populo ipſorum curæ commiſſo, tum etiam applicatio Miſſæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda eſt ab iis,qui miſſas canunt in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, tum denique debitum pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Eccleſiarum choro aſſiſtentes. Cujus quidem argumenti minime nova, ſed a Scriptoribus frequenter habita tractatio eſt; cumque ea res in hujus almæ Urbis noſtræ Congregationibus, & potiſſimum in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus conſtituti multos annos perfuncti ſumus, multoties diſcuſſa, ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum Decreta, plerumque circa eam uniformia, & ſibi conſona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædeceſſorum noſtrorum approbationem, & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum eſſet eorum noticiam ad ſingulos quoſque veſtrum non adhuc perveniſſe. Quapropter non modo opportunum, verum etiam neceſſarium duximus Encycliam hanc Epiſtolam ad vos ſcribere, per quam, ſublata demum diverſarum, in quas Scriptores abierunt,opinionum varietate, conſtans hujus Apoſtolicæ Sedis ſententia, prædictis de rebus cuilibet innoteſcat; & Fraternitatibus veſtris quædam veluti norma, ac regula ſuppetat, juxta quam Synodales, aliaſque veſtras circa præmiſſa Conſtitutiones, ordinationes, ſeu edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum juxta ea, quæ in præſentibus tenenda, atque ſervanda præſcribimus, omni qua decet, ſolicitudine, ac vigilantia urgere ſtudebitis, minime dubitandum vobis erit, ne ſtatutorum veſtrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant, recurſus ad hujus noſtræ Curiæ Tribunalia forſitan habendi, utpote quos omnino rejiciendos eſſe præcipimus, ac jubemus; quamobrem has ipſas literas noſtras in ſingulorum Tribunalium regeſtis aſſervari volumus, atque ad earum præſcriptum, tam ipſorum Tribunalium reſolutiones, quam de veſtris decretis, quæ ipſis præſentibus inhærentes edituri eſtis, judicia exigi, & conferri mandamus.

Et quidem, quod nuper enunciavimus, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium a Paſtoribus Animarum applicari debere pro Populo ipſorum curæ commiſſo. Id veluti ex divino præcepto deſcendens, a Tridentina Synodo diſertè exprimitur (a), per hæc notabilia verba: *Cum præcepto divino* mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre: Et quamvis minime defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes hujuſmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel ſaltem extenuare contenderint; cum tamen relata Concilii verba ſatis clara, & perſpicua ſint, cumque prædicta Congregatio ejuſdem Concilii interpretationi privative præpoſita conſtanter adverit, eos, quibus Animarum Cura demandata eſt, non modo Sacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro Popu-

(a) *Seſ.23.cap.1.de Reform.*

Digitized by Google

Populo ſibi commiſſo applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujuſmodi applicatione Eleemoſynam percipere poſſe; quodque magis intereſt, cum hæc intelligentia a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata: nihil jam amplius ulli veſtrum deſiderandum ſupereſt, ut eam amplecti, eidemque obſequi, necnon illius promptam executionem in veſtris reſpectivè Diœceſibus omni ſtudio procurare debeatis.

Neque nos tamen, qui, ut ſuperius innuimus, in minoribus adhuc degentes munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini interpretis plures annos obivimus, alioſque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononienſis Patriæ noſtræ dilectiſſimæ, quàm adhuc retinemus, gubernatione aſſidue tranſegimus, non inquam Nos lateat multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare ſatagunt, quibuſque proinde opportune a nobis eſt occurrendum.

Cum enim Sacrum Tridentinum Concilium, nè animarum cura negligatur, non uno in loco Epiſcopis mandat, ut quotieſcumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum aſſignatione ad eandem curam exercendam eligant, ac deputent, uti videre eſt *(a)*; Non raro autem eveniat, ut aliqua Eccleſia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujuſmodi Eccleſiæ onera, uſque ad novi Rectoris Electionem ab Epiſcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *(b)*; nonnulli ex hujuſmodi Vicariis nituntur ſeipſos a prædicta obligatione ſubtrahere, vel ex eo, quod, habituali Cura penes alium, ſeu alios, reſidente, ipſi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipſi ſint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujuſmodi Curæ ſint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Miſſæ pro Populo nonnumquam alienos ſe oſtendunt; itaque mens noſtra, & ſententia eſt, ſicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes, & ſinguli, qui actu animarum Curam exercent, & non ſolum Parochi, aut Vicarii Sæculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares uno verbo, omnes, & ſinguli, de quibus ſupra dictum eſt, atque alii quicumque, etiam ſpecifica, & individua mentione digni æquè teneantur Miſſam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, ipſorum curæ commiſſo.

*Pro Parochis, vel Curatis Canonicis.*

Nonnulli verò ad evitandum hujuſmodi obligationis implementum, allegare ſolent, congruos ſibi Parochiæ ſuæ redditus non ſuppetere; alii denique ad inveteratam Conſuetudinem confugiunt, ſuſtinentes id, neque ſibi, neque deceſſoribus ſuis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in uſu fuiſſe. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii reſolutiones noſtram approbationem, & confirmationem extendimus; Et quatenus opus ſit, authoritate Apoſtolica iterum tenore præſentium decernimus, & declaramus, quod licet Parochi, ſeù alii, ut ſupra, animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus deſtituantur, & quamvis antiqua, ſeù etiam immemorabili Conſuetudine in ipſorum Diœceſibus, ſeù Parochiis obtinuerit, ut Miſſa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis debet applicari.

 Dum

(a) *Seſ.6.cap.2. ſeſſ.7. can.5. & 7. ſeſſ. 21. can.6. ſeſſ.25. can.16.* (b) *Seſſ.24. cap.18. de refor.*

Digitized by Google

Dum tamen diximus omnes animarum Curam habentes, Miſſæ Sacrificium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, non ideò ſtatuere voluimus, eosdem, aut quotidie, aut quotieſcumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacroſancta Tridentina Synodus (a) præcipit Epiſcopis curare, ut Sacerdotes, ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus Miſſarum Sacra faciant: Si autem curam habuerint Animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent; In pluribus autem Synodalibus Epiſcoporum conſtitutionibus novimus provide conſtitutos, ac deſignatos eſſe dies, quibus animarum Paſtores Miſſas celebrare debeant. At verò Nos id unum in præſenti ſuſcepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare, & applicare teneantur, & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii reſponſum fuit, Parochum nempè pinguibus redditibus dotatum, quotidiè pro Populo celebrare, & applicare debere; Eum verò, qui uberioribus hujuſmodi redditibus non gaudeat, feſtivis tantum diebus idipſum præſtare teneri; Cum tamen pariter nobis perſpectæ ſint, tum controverſiæ ſuper hoc ipſo exortæ, nimirum ad quam ſummam pertingere debeant Eccleſiæ Parochialis Proventus, ut pingues, & uberes appellari poſſint; quoniam pingues minime habendi ſunt redditus, etiam copioſi, quibus tamen multiplicia, & gravia ſint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adverſus hujuſmodi Decretum, tamquam plus æquo rigidum, excitatæ, nobis innoteſcant; Idcircò opportunum cenſemus Fraternitatibus veſtris declarare, nobis abunde ſatisfactum fore, vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Miſſæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliiſque per annum diebus feſtis de præcepto; Cum prædicti Dominici, aliique feſti dies ii ſint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini (b): Quilibet animarum curæ præpoſitus Populum ſibi commiſſum ſalutaribus verbis paſcere debet, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; Iidemque ſint dies, de quibus, eadem Sancta Synodus ſtatuit, ut moneat Epiſcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei, & quibus Parochi ſubditos ſuos in doctrina Chriſtiana erudire debeat, juxta id, quod a prædicto Concilio (c) Epiſcopis præcipitur, ut nempe ſaltem Dominicis, & aliis feſtivis diebus pueros in ſingulis Parochiis, fidei rudimenta, & obedientiam ergo Deum, & Parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curent.

Et quia in nonnullis Diœceſibus numerus dierum feſtorum de præcepto, de Apoſtolica noſtra authoritate, & conſenſu, eatenus eſt imminutus, ut nempe in aliquibus feſtis Chriſti Fideles, & Miſſam audire, & ab operibus ſervilibus abſtinere debeant; In aliis vero Populo permiſſum ſit opera ſervilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Miſſæ Sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Miſſæ Parochialis in hujuſmodi diebus feſtis, penitùs eliminentur, ſtatuimus, & declaramus, quod iisdem etiam feſtis diebus, quibus Populus Miſſæ intereſſe debet, & ſervilibus operibus vacare poteſt, omnes animarum Curam gerentes, Miſſam pro Populo celebrare, & applicare teneantur.

Quia

(a) *Seſ.23. cap.14.*
(b) *Seſ.5 cap.2. & ſeſ.24.cap.4*
(c) *Cit. cap.4.*

Quia vero propria nonnumquam experientia ſatis agnovimus, aliquos eſſe Parochos adeò pauperes, ut fermè ex eleemoſynis, quas a fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur, eos vero, qui Eccleſia Parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, ſub Vicarii, ſeù OEconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeò illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipſis conſtituti, & pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ neceſſaria ſufficiant; quod iis quoque non raro evenire ſolet, qui in aliquibus Eccleſiis, habituali cura apud alios manente, actualis tantum exercitio ſunt addicti; Proindeque cum iſtis ſevere nimis agi videretur, ſi diebus feſtis, quibus potiſſimum hujuſmodi occaſio ſe offert, eisdem vetitum eſſet eleemoſynam pro applicatione Miſſæ recipere; Idcirco Nos tam iſtorum, quam illorum inopiam ſummoperè miſerantes, eiſdemque, quantum nobis integrum eſt, conſulere volentes, quamvis, ut ſupra dictum eſt, omnes, & ſinguli prædicti teneantur diebus feſtis Miſſas pro Populo celebrare, & applicare; Attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique veſtrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales eſſe noveritis opportunè diſpenſandi, ad hoc, ut etiam diebus feſtis hujuſmodi eleemoſynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipſo Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, & licite poſſint, & valeant, dummodo ad neceſſariam Populi commoditatem in ipſa Eccleſia Parochiali Miſſam celebrent. Ea tamen adjecta conditione, ut tot Miſſas infra Hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus feſtis intra eandem Hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius, pii Benefactores obtulerint.

Quod autem ſpectat ad Vicarios, ſive OEconomos Eccleſiarum vacantium, cum a Sacro Concilio Tridentino *(a)* cuilibet Epiſcopo tribuatur facultas eos deputandi, & conſtituendi cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione: Veſtrum erit, Venerabiles Fratres, cum iis agere, qui vacantis Eccleſiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujuſmodi certorum fructuum aſſignatione, paucisque incertis Proventibus gaudeat, congruum aliquod augumentum præbeatur pro onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro Populo diebus feſtis. Quapropter pro iis locis, in quibus Eccleſiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ noſtræ Apoſtolicę exiguntur, opportuna Theſaurario noſtro generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet pecularibus locorum dictorum collectoribus, cum quibus Epiſcopi Eccleſiaſticæ noſtrę ditionis, cęterorumque locorum, in quibus, ut pręfertur, Eccleſiarum vacantium fructus ad Cameram prędictam pertinent, officii ſui partes in eum finem, de quo ſupra diximus, interponere debebunt.

*De Parochiis unitis.*

Ac demum, quo ad illos, qui tamquam Vicarii, ſive perpetui, ſive ad tempus conſtituti, animarum curam adminiſtrant, quę apud alios habita reſidet, ratione alicujus Eccleſiæ Parochialis, ipſorum Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, Collegiis, aut locis piis olim unitę, quamvis a Recolendę Memorię Prędeceſſore Sancto Pio V. pręfinita fuerit certa pars fructuum hujuſmodi Vicariis aſſignanda, prout in ipſius conſtitutione, quę incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris MDLXVII. diſtinctè ſtatuitur: Nihilominus, ubi pręſcripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre Vicariis



(a) *Cit. ſeſſ. 24. cap. 18.*

Digitized by Google

prędictis aſſignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quę ad normam prędictę Conſtitutionis eiſdem fuerit attributa, minimè ſufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumſtantias, & ſignanter pro adimplendo onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro Populo diebus feſtis de Pręcepto; Utendum vobis erit poteſtate, quam fecit Epiſcopis Synodus Tridentina *(a)* dum illorum arbitrio permiſit, juxta temporum, ac injunctorum onerum rationem, congruam prędictis Vicariis fructuum portionem aſſignare; quam ob cauſam Nos etiam Fraternitatibus veſtris, quatenus opus ſit, neceſſarias omnes, & opportunas facultates impertimur; quibuſcumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio ſancitur; adverſus ea, quę ſalubriter a vobis conſtituta fuerint, minime ſuffragantibus.

Hęc igitur circa Miſſam Parochialem ſtatuenda, & Fraternitatibus veſtris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quę pertinent ad Miſſam Conventualem, neminem veſtrum latere putamus Sacrorum Canonum Sanctiones, quibus pręcipitur, ut ſingulis diebus in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathredralibus, & Collegiatis, tum horę Canonicę debitis modo, & forma recitentur, tum etiam Miſſa Conventualis celebretur; quę adeo clara ſunt, ut nulla ſuper iis oriri poſſit dubitatio. Eaque de re perſpicuè pariter, & omnino uniformes exiſtunt reſolutiones ab hac Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Concilii Tridentini interpretum, repetitis vicibus, emanatę; quas omnes Apoſtolica authoritate noſtra confirmamus, & approbamus, earum executionem vobis enixè inculcantes: ut ſcilicet, Miſſa Conventualis, quę ſingulis diebus canitur a Clero prędictarum Eccleſiarum pro earundem Benefactoribus in genere, quotidiè applicetur: Eodem prorſus modo, quo Miſſam Parochialem, ab iis, qui Curam animarum gerunt, pro Populo ſibi commiſſo ſingulis ſaltem diebus feſtis de Pręcepto applicari debere, ſuperius declaravimus. Itaquè date operam, ut falſam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Eccleſiis ejuſmodi ſive dolo malo, ſive per errorem invectam eſſe, novimus; quod nempe dum Miſſa Conventualis pro certo aliquo Eccleſiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impoſiti celebratur, & applicatur, ſatis impletum cenſeatur debitum applicationis Miſſę Conventualis. Etenim hujuſmodi debitum non quidem reſpicit ſingulares aliquos Benefactores, ſed Benefactores in genere cujuslibet Eccleſię, cujus ſervitio addicti ſunt quicumque in eadem, ſive Dignitates, ſive Canonicatus, ſive Manſionariatus, ſive Beneficia Choraria, obtinent, & Miſſam Conventualem ſuis reſpectivè vicibus celebrant.

*Pro Capitulis.*

Neque minus improbandam noveritis aliorum ſententiam, qui ſatis putant ſupradictam obligationem impletam eſſe, dum in eorum Eccleſiis pro Benefactoribus in genere, aliquę interdum preces fiunt, vel Anniverſaria ſtatis diebus Sacrificia pro illis peraguntur; Nemo enim id ſibi arrogare debet, ut impoſitę obligationi, alia ratione ſatisfacere poſſit, quam ea, quę a lege Eccleſiaſtica multoties pręſcripta fuit; Nimirum Miſſam Conventualem ſingulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

Profecto non ſolum prioribus Eccleſiæ Sæculis, verum etiam temporibus haud longe a noſtra ætate remotis (quod vos ex hiſtoria Eccleſiæ didiciſſe non

(a) *Seſſ.7.c.7.*

non dubitamus ) ſervebatur olim in ſingulis Eccleſiis ſeries accurata omnium & ſingulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque Nomina Sacris Diptychis, ſic enim vocabantur, ideo conſignata erant, ut eorumdem recordatio numquam interiret, utque pro iis, tum preces funderentur, tum etiam Miſſæ Sacrificium offerretur; quam ob cauſam etiam prædictus Catalogus in pleriſque Eccleſiis, ob oculos Presbyteri celebrantis apponi conſuevit, licet iidem pii Benefactores in ſuis donationibus nihil penitus pro ſe pacti eſſent, ſed tantummodo pro peccatorum ſuorum remiſſione ſe bona ſua Deo offerre declaraſſent. Eccleſiarum ſiquidem Præſules preces pro iis impetrandas eſſe duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes, ne verbum quidem ea de re feciſſent: Sacrorum hujuſmodi Diptychorum uſus ſenſim defecit, ob idque oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum Nomina; at non idcirco deſerere fas eſt uſum,& diſciplinam orandi pro iis,& Sacrificium Miſſæ pro illis offerendi; atque inde præceptum applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem, atque rationem deſumit.

Quemadmodum vero, loquendo de Miſſa Parochiali, ſuperius dictum eſt, varias excuſationes afferri ſolere, ad declinandam ipſius applicationem pro Populo diebus feſtis de præpto: Ita pariter uſuvenit, quo ad applicationem quotidianam Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere: ut autem Superiores illæ, ſic etiam hæ poſteriores provide a medio ſublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini reſolutiones, quas proinde in his etiam Authoritate noſtra approbamus, & confirmamus.

Nonnulli ſiquidem obtentu contrariæ Conſuetudinis,etiam immemorabilis, in propria Eccleſia vigentis, ſe ab hujuſmodi onere eximi poſſe ſibi perſuaſerunt: Verum jam pluries reſponſum fuit hujuſmodi Conſuetudinem (quæ potius abuſus, & corruptela dicenda eſt) nemini ſuffragari. Alii a Miſſa pro Benefactoribus in genere applicanda ſe excuſatos voluiſſent; Ex eo quod alio quopiam Miſſarum onere adſtricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, vel alterius Beneficii Eccleſiaſtici, quod ſimul cum Canonicali Præbenda obtinent; vel quia præter munus Canonici, ſeu Beneficiati, aut Manſionarii in Eccleſia Cathedrali, ſeu Collegiata, cum etiam in eadem, vel in alia Eccleſia Parochialem Curam exerceant, dum Miſſam Conventualem canunt diebus feſtis de præcepto, debent pro Populo ſibi commiſſo eam applicare; ac proinde nequeunt eandem pro Ecclaſiæ Benefactoribus ſpecialiter offerre, ſed his quoque obviam itum eſt, jubendo ſingulis prædictis, ut Miſſam Conventualem, quam canunt, pro Eccleſiæ Benefactoribus in genere applicent: Pro aliis vero, pro quibus ipſi peculiariter Miſſam applicare tenentur, alterum ſubſtituunt, qui ipſorum loco Miſſam hujuſmodi celebret, applicetque.

Aliorum pariter exceptio fuit, quod Miſſa Conventualis non ſemper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, ſed aliquando etiam a Beneficiatis, aut Manſionariis, quos minus æquum videtur pro Miſſæ Celebratione omni Eleemoſyna carere. quæ unde deſumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter conſultum eſt demandando, ut ea deſumatur ex Maſſa Diſtributionum.

Alii denique obtenderunt exiguitatem hujuſmodi Diſtributionum, quæ ob detractam elemoſynam quotidianam pro Miſſa Conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento ſervitii Eccleſiæ præſtandi; Tridentina quidem Synodus (a)opportunas rationes oſten-

(a) *Seſſ.24 cap.15.*

oſtendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri; Si vero deſignatam a Concilio viam, ut fere evenire ſolet, nequaquam iniri poſſe contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recurſum habere; cujus erit, perſpecto veſtris Relationibus rerum ſtatu, Authoritate Apoſtolica a Prædeceſſoribus noſtris eidem impertita, & a Nobis etiam præſentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere; ut alias ad feſtos tantummodo dies reducere.

Non modo Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Miſſa Conventualis in eiſdem canatur; ſed etiam in Rubricis generalibus (quarum exactiſſimam Fraternitatibus veſtris cuſtodiam commendamus), præſcribitur, ut certis diebus non una, ſed binæ, atque etiam aliquando tres Miſſæ Conventuales uno die celebrentur; Itaque cum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Miſſam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam, & applicandam eſſe; nunc expendendum ſupereſt, an earundem Eccleſiarum Capitula Juriſdictioni veſtræ reſpective ſubiecta addigere debeatis, ut alias quoque Miſſas, ſi plures, ut præfertur, celebrari contingerit, pro Benefactoribus in genere ſimiliter applicent.

Hujuſmodi quæſtio ab aliquibus ex vobis Eccleſiaſtico zelo flagrantibus ſupradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum propoſita eſt; Jam ante illius propoſitionem compertum fuerit, alias ab eadem Congregatione reſponſum fuiſſe, concedendam eſſe exemptionem ab onere applicandi ſecundam, & tertiam Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum, & Beneficiorum tenuitate; Ex quo inferri poterat, hujuſmodi applicationis debitum manere, ubi de Eccleſiis pauperibus non ageretur. Verum cum hanc definiendæ quæſtionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri obſervantia firmatam probe noverimus, cumque hujuſce dubii ſolutionem eadem Congregatio nuper Judicio noſtro remittendam eſſe cenſuerit: Nos ita judicamus, idque vobis tenendum indicimus: laudandos nempe, & confirmandos eſſe; quotquot ſponte ſua ſecundam, aut tertiam Conventualem Miſſam pro Benefactoribus in genere applicant; Qui vero idem agunt ex vi conſuetudinis in ipſorum Eccleſia vigentis, iis imperandum, ut in ea Conſuetudine perſeverent. Ubi vero id uſu receptum non invenitur, liberam omnino, ſecundæ, tertiæque Miſſæ Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam eſſe, dummodo in commemoratione pro Defunctis Eccleſiæ Benefactorum in genere non obliviſcantur.

Huic demum Epiſtolæ noſtræ finem imponentes, Fraternitates veſtras enixe hortamur, ut Maximam Curam, & vigilantiam in id conferatis, ut in Eccleſiarum veſtrarum Choris, præter devotam Celebrationem, debitamque applicationem Miſſæ Conventualis, horæ Canonicæ non præpropere, ſed exacte, pauſa nempe interpoſita, & Maxima, qua decet, reverentia, ac Religione canantur: Equidem ſcimus; in aliquibus Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis inter Canonicos eam opinionem invaluiſſe, ut ſe munus ſuum ſatis implere contendant, dum Choro præſentes aſſiſtunt, licet ſibi ipſi ſilentium imperent, neque pſallentibus Beneficiatis, aut Manſionariis in cantu ſe adjungant: In hujuſce vero opinionis Confirmationem adduci ab iiſdem ſolent inveteratæ conſuetudines, ſtatuta peculiaria, aut etiam prætenſa Eccleſiarum ſua-

ſuarum Privilegia. At cum Synodus Tridentina (a) loquens de Dignitatibus, & Canonicis, qui Choro intereſſe debent, unum ex eorum officiis eſſe dicat: In Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis, & Canticis Dei Nomen reverenter, diſtinctè, devoteque laudare; Cumque pauca omnino ſint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in Choro aſſiſtitur, ideoque receptæ in univerſa Eccleſia Diſciplinæ paucos illos adverſari dignoſcatur; Cum inſuper opinio illa nunquam in Congregatione Concilii Tridentini Interpretrationi præpoſita examinata ſit, quin ſtatim exploſa fuerit, & improbata; quamvis præſumptis Conſuetudinibus, aliiſque fundamentis, & rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam Eccleſiarum Patriarchalium hujus noſtræ Urbis ſuper hoc inſtantibus; Cum denique idem Judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apoſtolica Sede approbatis, & confirmatis: Nihil jam reliquum eſſe videtur, quominus pauciores univerſorum legi ſe accommodent: Equidem minime Nobis compertum eſt, quo peculiari titulo ſuffulti perſuaſum habeant unius, vel alterius Eccleſiæ Canonici ſe muneri ſuo ſatisfacere per ſimplicem in Choro aſſiſtentiam abſque divinæ pſalmodiæ cantu; verum niſi illis præſto ſit Apoſtolicum non præſumptum, vel abrogatum, ſed legitimum, ac vigens Privilegium, ſive Indultum, Jure, ac merito verendum eſt, ne iſti, dum ita ſe gerunt, Præbendarum, ac Diſtributionum fructus minime ſuos faciant, & conſequenter, ne ad eorum reſtitutionem teneantur.

Quapropter veſtrum erit, Venerabiles Fratres, hæc omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque Vobis apud Divinum Judicem fraudi ſit, ſi in hujuſmodi re, quæ tanti eſt momenti, utpote, quæ ad ipſius Dei cultum proxime ſpectat, abuſus, & corruptelas, quas arguendo, & increpando evellere debebamus, diſſimulatione, ac ſilentio noſtro foviſſe, & confirmaſſe inveniamur. Interea Fraternitatibus veſtris, quas intimo Cordis affectu complectimur, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſime impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die XIX. Auguſti MDCCXLIV. Pontificatus Noſtri Anno IV.

## CAPUT VII.

### *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.*

I. Luculentius, quàm Concilium de Jeſu Chriſto in noviſſima Cœna Apoſtolos ſuos tunc Sacerdotes inſtituente, ac præcipiente offerendi corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini, atque hoc viſibile Sacrificium Eccleſiæ relinquente, inſtruere non poſſumus: Erudit enim his verbis (b).

II. Quoniam ſub priori Teſtamento, Teſte Apoſtolo Paulo (c) propter Levitici Sacerdotis imbecillitatem conſumatio non erat: oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech, ſurgere Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot Sacrificandi eſſent, conſumare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus noſter (d), etſi ſemel ipſe in Ara Crucis, morte intercedente Deo Patri oblatus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur; Quia tamen

(a) *Seſſ.24.cap.12.*
(b) *Seſſ.22.cap.1.*
(c) *Heb.3.*
(d) *Heb.7.d.c.*

Digitized by Google

men per Mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ Sponſæ Suæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo, Cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, ejuſque (a) Memoria in finem uſque Sæculi permaneret, atque illius Salutaris virtus in Remiſſionem eorum, quæ Nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur; Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earundem rerum Symbolis Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcipit per hæc verba (b): Hoc facite in meam Commemorationem, uti ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit; Nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam (c) exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem, quando per ſui Sanguinis effuſionem Nos redemit (d), eripuitque de poteſtate tenebrarum, & in regnum Suum tranſtulit: Et hæc quidem (e) illa munda oblatio eſt, quæ ulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in Gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obſcure innuit Apoſtolus Paulus (f) Corinthiis ſcribens, cum dixit; Non poſſe eos, qui participatione Menſę Dęmoniorum polluti ſunt, Menſę Domini participes fieri; Per Menſam utrobique intelligens Altare. Hęc denique illa eſt, quę per varias Sacrificiorum, naturę, & Legis tempore, ſimilitudines figurabatur; utpote quę bona omnia per illa ſignificata, veluti eorum omnium conſummatio, & perfectio complebitur.

III. Ex quibus Sanctitas, quam Sacerdotes decet recenſetur in pręſtantiſſimo tremendo, & incruento Sacrificio ineundo, cum non umbram, ſed veritatem, non vitulum, vel arietem, ſed Chriſtum ipſum, verum, & realem Deum, & hominem contineat. Meminerint igitur Sacerdotes noſtri, quicquid in ordinatione ab Epiſcopo intimatum fuerit, ut in ſecunda parte hujus Synodi de Sacramento Ordinis, ac quali inſigniti ſint honore, & quod oporteat ſolari radio puriores eſſe: Maxima idcirco Corporis, & Animę pręparatione, antequam ad Sacrificandum accedant, diſponantur; Judę nequiſſimi proditoris horrendam Mortem excogitent, ne ſimiliter indigne manducantes, Judicium ſibi manducent, & bibant: Ex hominibus enim ſunt aſſumpti. Pro hominibus conſtituti in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerant Sacrificia pro peccatis: Quod ſi debita diſpoſitione peragant, uberrimos pro ſe, & aliis gratiarum theſauros haurient.

IV. Sacrorum Rituum in Miſſarum celebratione peritiam calleant, non eſt enim alia natio, tam gradis (g), quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicuti Deus noſter; Et quæ eſt alia gens ſic inclita, ut habeat cæremonias, quibus inobſequentibus variæ maledictiones inflictæ ſunt, quod ſi audire nolueris (h) vo-

(a) C.1.Cor.11.
(b) *Matth.26.Luc.22.*
(c) *Exod.3.*
(d) *Coloſ.1.*
(e) *Matth.1.*
(f) *Corinth.10.*
(g) *Deuth.4.*
(h) *Deuth.28.*

Digitized by Google

vocem Domini Dei tui, ut cuſtodias, & facias omnia mandata ejus, & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient ſuper te omnes maledictiones; Quapropter nuperi præcipue Sacerdotes bene a principio cæremonias aſſueſcant, & non niſi noſtra juſſi licentia, gratis omnino impertienda, poſtquam a peritioribus in cæremoniis, & Sacris Rubricis fuerint approbati, ad Sacra operanda non audeant. Neque exteri admittantur ad ejuſmodi celebrationem, abſque Dimiſſorialibus literis, ſeu Commendatitiis proprii Ordinarii, vel reſpective Prælati Regularis, a Nobis, vel noſtro Vicario recognitis.

V. Talari veſte, patentis in Capitis vertice tonſura, Miſſalis, ac ſuppellectilium nitore, & munditia ante ejuſdem diviniſſimum opus, & non niſi præſcriptis in Sacris Rubricis, horis, accedant; atque ipſos hortamur, ut ſacra paramenta, & Miſſale cum charitate, ac reverentia tractent, devote ſumant, & deponant, ne dilacerentur: Cum Rubrica mandat, quod non ſint ſciſſa, ſed integra, & decenter munda (a). Capillos curent taliter eſſe tonſos (b); ut ſtolam, & Planetam non tangant; cum ſæpiſſime ita in Superiori parte immunda, & ſordibus plena conſpiciantur, ac ſi non Sacerdotum, ſed laniorum eſſent indumenta. Sacriſtæ, nec non Eccleſiæ inſervientium conſcientiam oneramus pro horumdem vigilantia, qua ſummopere caveant, ne annulo in digito, vel Pileolo in capite Sacerdotes Sacra perſuncturi, utantur.

## §. I.

### *De oneribus Miſſarum, attentis Eleemoſynis, ſtipendiis, vel legatis fideliter adnotandis, ac adimplendis.*

I. SAluberrime proviſum eſt, ut a ſingulis Capitulis, cæterarumque hujus Diœceſis Eccleſiarum Rectoribus confectæ, atque affixæ ſemper ſint in Sacriſtiæ patenti loco Tabellæ oſtendentes, debito ordine perpetuarum Miſſarum onera, quæ ne periculo ſubjaceant ſubreptionis inſimul regiſtratæ ſint, oporteat in opportuno libro, ubi, quantum fieri poteſt, meminiſſe fas eſt, eorum fundationes, Inſtrumenta, donationes, Teſtamenta, & cætera hujuſmodi (c): Neque eis liceat nova perpetua onera admittere nobis inconſultis (d), quod ſub Interdicti pœna inhibetur ex Bulla Urbani VIII. (Monacell. Prælud. de Interdicto 43. §. 5., & 7. puncto 3. tit. 1.)

II. Ratio autem poſtulat, ut quemadmodum turpis lucri quæſtus a Miſſis ſit alienus: Ita providendum, ut celebrantibus, ſaltem juxta taxam hujus Provinciæ, ſtipendia, ſeu Eleemoſinæ conſuetæ non deſint, adeoque quandiu Capitalia pro Miſſarum oneribus ſuſtinendis, citra Cleri, aut Beneficiati alicujus culpam, otioſa tenebuntur, tandiu Cleri ipſi, ſive Beneficiati, aut Capitula a miſſis prædictis ſatisfaciendis, merito ceſſabunt (e).

G    III. At.

(a) *Cap. relinq. de Cuſtod. Euchar. & aliorum Sacram. Veſt. de cenſu. diſt. 1.*

(b) *Syn. Crot. mantiſſ. Præſulis Cajetani Coſta de Port.*

(c) *Ex Dec. S.C.C. ſub die 21. Jun. 1625. §. ac ſimiliter S. Cong. Conc. in Anconit 5. Julii 1664. Conc. Prov Neap. Card. Cant. 2. c. 2. §. 12. & ſeq. Syn Crot. cap. 15. de Tabel. oner. miſſ.*

(d) *S.C.C. Vicent. 15. April. 1690., & de Celeb. Miſ. ſub die 21. Julii 1625. confir hujus Dec. ab Inn. XII. Kalend. Jan. 1697.*

(e) *S.C.C. in forenſ. 7. Jan. 1686., & in Monopolit. 7. Aug. 1705. ſuper Syn. Moran. Epiſc. Manfren. tit. 25. de Celeb. Miſ. cap. 10. Criſp Viſit. Paſt. parte 2. §. 18. n. 51. non teneri ad celeb. Miſſæ, ſi factis diligentiis tractus exigi non poſſunt S. Cong. Conc. die 20. Junii 1641. & Sanctiſſ. Dominus annuit.*

III. At, ut omnis avaritia circa Miſſarum ſtipendia procul abigatur, operæ pretium cenſemus, ſequentes damnatas Theſes apponere.

*Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VII. in ordine num.* 8.

Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urb. VIII.

*Propoſitio num.* 9.

Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

*Propoſitio num.* 10.

Non eſt contra Juſtitiam: pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre, neque etiam eſt contra fidelitatem, etiam ſi promittam promiſſione etiam Juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

*Litera Apoſtolica de eleemoſynis Miſſarum*

His damnatis Propoſitionibus adnectimus Apoſtolicas literas, modo, quo ſequitur: Benedictus PP.XIV., Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quanta cura adhibenda ſit, ut Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium non ſolum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur: Verum etiam, ut a tanti Sacrificii Dignitate cujuſvis generis mercedum, conditiones, pacta, importunæ, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, è medio tollantur, nemo eſt ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret. Verum eouſque tandem progreſſa eſt, ſicut (non ſine ingenti cordis noſtri mærore undique accepimus) nonnullorum, ſive Eccleſiaſticorum, ſive laicorum virorum avaritia, quæ eſt Idolorum ſervitus, ut Eleemoſynas quidem, ſeu ſtipendia propter Miſſarum celebrationem juxta locorum conſuetudines, vel Diœceſanarum Synodorum Sanctiones in ſubſidium alimentorum uniuſcujuſque Sacerdotis dumtaxat pro Regionum opportunitatibus præſcripta colligant; Miſſas vero celebrari curent alibi, ubi eleemoſynæ, ſeu ſtipendia, conſuetudine, vel Synodali lege pro ſingulis Miſſis attributa ſunt, minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur darentur: Id quam abſonum ſit, atque alienum ab ipſa, ſive expreſſa, ſive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt; nec aliter exiſtimandum eſt: in illa enim potius Miſſas celebrandas eſſe quiſque vult, ad quam Religionis, ac pietatis ſtimulis ductus eleemoſynas confert, aut in qua quiſpiam fortaſſe tumulatus eſt, quam in alia Eccleſia ſibi prorſus ignota; Quod ſane veluti Mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non ſolum ab avaritiæ ſuſpicione, & vitio: verum etiam a furti crimine, unde reſtitutioni ſubjacet, haud immune, in cauſa eſt, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujuſmodi venit, graviter offenſi ab eleemoſynis ad celebrandas Miſſas amplius offerendis ſeſe abſtineant.

Execrabilem hujuſmodi abuſum alicubi ſenſim irrepentem deteſtantes Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri, de Conſilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote ſtipendium, ſeu eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſæ a quocumque accepta, non poſſe alteri Sacerdoti

Miſſam

Digitized by Google

Miſſam hujuſmodi celebraturo ſtipendium, ſeu elemoſynam minoris pretii erogari, etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti, & conſentienti ſe majoris pretii ſtipendium, ſeu eleemoſynam accepiſſe indicaſſet. Ea propter vos, Venerabiles Fratres, in Apoſtolici Miniſterii & ſolicitudinis noſtræ partem adſcitos, rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut cuſtodientes Vigilias ſuper Gregibus veſtris, enitamini, ne ea peſtis amplius pervagetur, ſed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt a Fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis Dignitatis, perfectioniſque opinionem magis inficiat, evellatque. Avaritia opibus Deum poſthabere, ac ſervire Mammonæ docens, efficit, ut avari hæreditatem non habeant in Regno Chriſti, & Dei.

Quod ſi hæc in laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in eccleſiaſticis viris, qui terrenis rebus nuntium miſerunt? qui in ſortem Domini vocati? qui Deo mancipati ſunt? quid, quod per mundana lucra, ſed per Altaris miniſterium, tam ſordide, & cum Sanctiſſimarum Legum contemptu, & cum Sacerdotalis Caracteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiantur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Chriſti ovium cura demandata eſt, non ſolum ut verbo, & exemplo præeuntes, Chriſti ſitis bonus odor in omni loco, unde Populi veſtigia veſtra ſequantur: Verum etiam, ut Eccleſiaſticos primum, deinde laicos viros ab infectis vitiorum paſculis avertentes, per viam mandatorum Dei, ad cœleſte ovile currere doceatis.

Quoniam autem ita comparatum eſt, ut præſentis pœnæ metu ſalutaribus monitis facilius obtemperetur, per Edictum in veſtris Diœceſibus proponendum, affigendumque Univerſis notum facite, quemcumque, qui Eleemoſynas, ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum Locorum Conſuetudines, vel Synodalia ſtatuta exigunt, colligent Miſſas; retenta ſibi parte earundem Eleemoſynarum, ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem, ſeu ſæcularem præter alias arbitrio veſtro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam, Clericum vero, ſive quemcumque Sacerdotem pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrere: a quibus nullus per alium, quam per Nos ipſos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem (niſi in Mortis articulo conſtitutos) abſolvi poſſit. Fore autem in Domino confidimus, ut unuſquiſque memor conditionis ſuæ poſthac bene conſultum velit Animæ ſuæ, nec tam ſalutares leges, cenſuraſque Eccleſiaſticas parvi pendeat.

Interea Fraternitatibus veſtris Apoſtolicam Benedictionem in Populos etiam curæ veſtræ commiſſos redundaturam peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium Literarum tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus Fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die trigeſima Menſis Junii Milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo primo; Pontificatus noſtri anno primo. D. Cardinalis Paſſioneus.



Digitized by Google

## CAPUT VIII.

### *De vita, & honeſtate Clericorum.*

I. OMnes Clerici ſint a negotiis ſęcularibus alieni, honeſte, graviterque ſe gerant, ac ſancte vivant, quę de vita, & honeſtate Clericorum a Sacris Canonibus ſancita ſunt, Sancta Tridentina Synodus omnia confirmavit; inquit enim *(a)*: Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe divino Miniſterio dedicarunt. Cum enim a rebus ſęculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tamquam *(b)* Speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos vitam, moreſque ſuos omnes componere *(c)*, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nihil, niſi grave, moderatum, ac Religione plenum prę ſeferant; levia enim delicta, quę in ipſis maxima eſſent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Eccleſia Dei, & utilitate, & ornamento hęc ſunt, ita etiam diligentius ſint obſervanda *(d)*, ſtatuit Sancta Synodus, ut quę alias a Summis Pontificibus, & a Sacris Conciliis *(e)* de Clericorum vita, & honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, Choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, necnon ſęcularibus negotiis fugiendis, copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum eiſdem pęnis, vel majoribus, arbitrio ordinarii imponendis, obſerventur. Nec appellatio executionem hanc, quę ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si qua vero ex his in deſuetudinem abiiſſe compererint, ea quam primum in uſum revocari, & ab omnibus accurate cuſtodiri ſtudeant; Non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque, ne ſubditorum neglectę emendationis ipſi condignas, Deo vindice, pœnas perſolvant.

II. Ad ſervandam Clericorum Caſtitatem, & omnem familiaritatem cum Mulieribus, de quibus aliqua ſuſpicio inſurgere poſſit, evitandam *(f)*, idem Concilium *(g)* ſubdit his verbis: Quam turpe, ac Clericorum Nomine, qui ſe Divino Cultui addixerunt, ſit indignum in impudicitię ſordibus, immundoque Concubinatu verſari, ſatis res ipſa communi Fidelium offenſione, ſummoque Clericalis ***Militiæ Dedecore*** teſtatur *(h)*. Ut igitur ad eam quam decet continentiam, ac vitæ integritatem Miniſtri Eccleſiæ revocentur, Populuſque hinc eos magis diſcat revereri, quo illos vita honeſtiores cognoverit; Prohibet Sancta Synodus, quibuſcumque Clericis, ne concubinas, aut alias Mulieres,

(a) *Seſ.22.c.1.de Refor.*

(b) *Matth.5.tit.2. c. qualiter 2. de accuſat.cap.Clericis 21.diſt.*

(c) *Seſſ.14.in proœm.*

(d) *De vita, & honeſt.Clericorum extra in 6.& C.Can.num.14.qu.3. C.Cleri. 21.q.3. Conc.Cart.1.c.6., & Conc. 3. c.15. Conc.Calced.c.3.Conc.Aurel.2.c.14.& cæt.*

(e) *Vide 1.c.Maſtritt.cap.3., & 2.Nicen. c.16., & 4.Carthag.c.44., & ſeq.*

(f) *Conc.Trid. Seſ.25.cap.14.de refor. Conc.Burdigalenſ.de vita, & honeſt.Cler.an. 1583. inde bene, vel male vivendi exempla laici duci ſolent.*

(g) *Seſ.25.c.14.de Refor.*

(h) *Idem Conc.Seſ.24.c.8.de Refor.Conc. Carthag 3.c.18., Conc.Nicæn. cap.3.can.49. Can. interdixit 32. Can. cum omnibus, can. volumus.Can.femin.8.can.1, cum multis de cohabitat.Cler., & mul.*

Digitized by Google

res, de quibus poſſit haberi ſuſpicio in domo, vel extra, detineat; aut cum iis ullam Conſuetudinem habere audeant; alioquin pœnis a Sacris Canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis, puniantur. Quod ſi a Superioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac Proventuum, Beneficiorum ſuorum quorumcumque, ac penſionum ipſo facto ſint privati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Epiſcopi, applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perſeverantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac Proventus ſuorum Beneficiorum, & Penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur; ſed etiam a Beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quo ad ordinarius, etiam uti Sedis Apoſtolicæ Delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur; Et ſi ita ſuſpenſi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur; tunc Beneficiis, portionibus, ac officiis, & Penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuo priventur; ac inhabiles, & indigni quibuſcumque honoribus, Dignitatibus, Beneficiis, ac officiis in poſterum reddantur; donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus, cum iis ex cauſa viſum fuerit, diſpenſandum: Sed ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias hujuſmodi ſcandaloſas Mulieres ſibi adjungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas (a), excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis Appellatio, aut exemptio prædicta executionem impediat, aut ſuſpendat: Supradictorumque omnium Cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat: qui ſine ſtrepitu, & figura Judicii, & ſola facti veritate inſpecta, procedere poſſint. Clerici vero Beneficia Eccleſiaſtica, aut penſiones non habentes, juxta (b) delicti, & contumaciæ perſeverantiam, & qualitatem ab ipſo Epiſcopo Carceris pœna, ſuſpenſione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliiſve modis, juxta Sacros Canones, puniantur.

III. Itaque Clericus ſolus ad fœminæ Tabernaculum non accedat, non ſolus Presbyter cum ſola fœmina abſque honeſta, & legitima cauſſa, ne in occaſionem incidant peccati, atque ſcandali; præcipitur ex Lucio PP. (c): merito enim Clericos cum Mulieribus cohabitare interdictum legimus toto titulo de Cohabitatione Clericorum, & Mulierum: Si quis ergo Clericorum incontinentia fuerit notatus, ad tenorem Sacrorum Canonum pro qualitate delicti punietur.

IV. Veſtes inſuper Clericorum decentes eſſe oportet ad Tramites ipſius Concilii (d) quod ſtatuit: ut nullus Clericus, ſive primæ Tonſuræ, ſiva in minoribus (niſi beneficium poſſideat Eccleſiaſticum) Privilegia Fori gaudeat, niſi habitum Clericalem, & Tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat. Conc. Trid. ſeſſ. 23. C. 6. de reform.

V. Negotiationes pariter Sacrorum Canonum Cenſura Eccleſiaſticis Interdictas effugiant, neque ad Sæcularia Convitia, vel ad loca, ubi laici ad nego-

(a) *Can 2. cum ſeq. de cohabit. Cleric., & Mulier., can. ſi Concubinæ de ſent. Excom.*

(b) *Idem Conc. eod. Seſ. c. 7. Tolet. 4. in cap 41.*

(c) *Can. ſolus Cleric. cum aliis ſeq. diſt. 81. extra tit. de cohab. Can. quiſquam, & ſeq. item in maj. volum. diſt. 27. Can. Presb. diſt. 28. C. decernimus diſt. 81. C. Cler.*

(d) *Seſ. 14. c. 6. de refor. ex 7. Synod. in C. omnis jactan., & ornatur C. 1. & ſeq. 21. q. 4. Clem. quoniam 2. de vit., & honeſt. Cler.*

Digitized by Google

negotiationes, & Confabulationes accedunt, intereſſe præſumant, ſub pœnis in iiſdem Sacris Canonibus contentis, inter quos Alexander III. Londonienſi Epiſcopo *(a)* ſcribens, ait: ſecundum Inſtituta Prædeceſſorum: Ne Clerici, vel Monachi ſæcularibus Negotiis ſe immiſceant, ſub interminatione Anathematis prohibemus; nec cauſſa lucri negotientur ex ratione, quam affert Apoſtolus ad Timotheum 2. 4. nemo Militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus, ſed in ea vocatione, qua quis vocatus eſt, permaneat. Neque eis eſt licita, neque danda Temporalium adminiſtratio, vel cura, quæ expreſſe interdicitur *(b)*.

VI. Quoad ſervitium Eccleſiæ, & diſceſſus ab Eadem, cui adſcripti ſunt, omnino ſervetur diſpoſitio ejuſdem Tridentini (Seſ. 23. Cap. 16. de Refor.) his verbis: Nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, pro cujus utilitate, aut neceſſitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum, inconſulto Epiſcopo, deſeruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur. Thomaſin. diſc. p. 2. l. 1. c. 9. Fagn. in cap. admonet de denunciat.

VII. Tandem enixe hortamur, atque in Domino obſecramus, ut mores, converſatio, atque externa compoſitio Dignitatem non viteſcant: Imo abjicientes omnia ſæcularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivant: In Eccleſia frequentes, ſuo quiſque Miniſterio, ac Divino Cultui, cui mancipati fuerint, intenti, nihilque, niſi ſanctum operentur; & ubique modeſtiam, in Superiores reverentiam, & obedientiæ obſequium; Erga omnes benignitatem præſeferant, omni humilitate, & patientia, ſupportantes invicem in Charitate; ut tanquam lucernæ ſuper Candelabrum omnibus, qui in domo Dei ſunt, illuceſcant. Proculque ſit a Nobis mærens Pontificis Gregorii Magni conqueſtus *(c)*: nempe: nullum aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit; dare de ſe exempla pravitatis, cernit: quando ipſi peccamus; qui compeſcere peccata debuimus, & quia eo ipſo, qui cæteris prælati ſumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, ſuſceptæ Benedictionis miniſterium, vertimus ad ambitionis argumentum. Reminiſcamur ex eodem (lib. 4. Epiſt. 64.) quod Cauſſæ ſunt ruinæ Populi Sacerdotes mali. Laicus enim, inquit Auguſtinus (ſermo: de verbo Domini) qui vult bene vivere, cum attenderit Clericum malum, male vivit. Equidem ex Divo Ambroſio (de Dignitate Sacerdotum cap. 5.) Populum videmus nugacem, eo quod tales habeant Sacerdotes. In honeſtum aurum, & ex eorum Religionis Miniſtrorum exemplo. Indeque ſubdit Divus Chryſoſtomus (Hom. 38. in Matth.) ſi Sacerdotium corruptum fuerit, omnis fides marcida eſt. Exemplo itaque eſtote Fidelium in verbo, & converſatione (ad Timotheum 4.) vos qui Præsbyteri vocati, ideſt aliis ad ſalutem iter: Vos enim eſtis Præsbyteri in Populo Dei, & ex vobis pendet Anima eorum (Judith. cap. 5.) adeoque hortamini a Divo Auguſt. (ſerm. 36. ad Frat.) *nolite* (veſtris tranſgreſſionibus, vel omiſſionibus) *cœlum claudere*: Clauditis, cum male vivere oſtenditis. Indeque in nimis expertam divinam Male-

di-

(a) *In Can. ſecundum inſtituta in 6.*

(b) *In Cod. de Epiſc. & Cleric. ſi placet diſt* 88. *C. pervenit* 4. *q.* 6. *C. omnibus credo. Item extra de inſtand o C.* 1. *ex* 3. *de Decret. ne Clerici, vel monachi, cap. multa, & cap. Sacerdotibus.*

(c) *Homil.* 17. *in Evang. in Rom. Brevia. in feſto ejuſdem S. Pontificis.*

Digitized by Google

dictionem incidimus: Vos o Sacerdotes ſcandalizaſtis plurimos, propter quod, & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus Populis.

VIII. Adverſus denique publicos Aleatores, vel ludis prohibitis luſores, ac prædictorum Tranſgreſſores, pœnas Sacrorum Canonum, ac alias Edictis noſtris inflictas renovamus, ac confirmamus.

## C A P U T IX.

### *De Appellationibus*.

I. Mirabile, & omni animadverſione dignum melliflui Divi Bernardi effatum ad Eugenium Papam, prius ejus Diſcipulum de Appellationibus, his verbis *(a) Appellantur* boni a malis, ut non faciant bona. Appellantur Epiſcopi, ne rapinas, ne furta, ne ſacrilegia, & quæ ejuſmodi ſunt, punire ullatenus, vel cohibere *præſumant*. Adeoque injuſtitiæ ſubterfugio habenas laxant improbi in juſtitiæ detrimentum; Ac proinde quod a Sanctis Sanctionibus ſancitum eſt in remedium, fit ipſi Diabolo triumphus: Interpoſita enim appellatione ſæpe ſæpius expertum eſt, quod Juſtitia, vel diu ſuſpendatur, vel omnino removeatur; *Et remota* Juſtitia, quid ſint Regna, niſi magna *latrocinia?* Verba ſunt Auguſtini *(b)*: & utinam non acciderit, quod ſimul cum Appelationibus non immiſcerent adverſus eos, a quibus appellantur, inventa Malignitate, crimina. Quemadmodum Sacri Concilii Tridentini Patres *(c)*. Non ſine vehementi mærore luxere his verbis: *Subditi* Epiſcopo, tametſi Jure correpti fuerint, magnopere tamen eum odiſſe, & tamquam injuria affecti ſint, illi crimina objicere ſolent. Quapropter in iſta materia jubemus, ut in omnibus obſerventur diſpoſita per Sacros Canones, & Apoſtolicas Coſtitutiones.

## C A P U T X.

### *De Accuſationibus, & Denunciationibus*.

Quarti Lateranenſis Concilii Decreto in Capite, ſicut olim relato, quomodo oportet, ut Judicium incipiat à Domo mea a Sanctuario, inquit Dominus, incipite.

I. Nos (verbis utimur Leonis IV. ad Ludovicum Auguſtum, non ejus humilitatis diſpenſatione per Epiſtolam prolatis, ſed noſtræ Conſcientiæ exonerandæ neceſſitate) Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis juſtæ legis tramitem non conſervavimus, veſtro (ac præcipue Judicum, & Teſtium Synodalium jam Electorum) cuncta volumus emendare judicio; quoniam ſi Nos, qui aliena debemus corrigere peccata, pejora committimus, certe non veritatis diſcipuli, ſed, quod dolentes dicimus, erimus pro cæteris erroris Magiſtri *(d)* ſicut inquit Beatus Gregorius: Laudabile, diſcretumque eſt reverentiam, & honorem debitum exhibere Prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris eſt, ſiqua inter ejus, correctione indigent, nulla diſſimulatione poſtpo-

(a) *Lib.2.de conſid.cap.4.*
(b) *Lib 4.de Civit Dei cap.4.*
(c) *Seſ.13.de refor.cap.6.*
(d) *In Dec.2.parte Cauſ.2.q.7.C.41.Hos, & ibidem C.46.*

Digitized by Google

poſtponere, ne totum, quod abſit, corpus incipiat morbus invadere; ſi languor non fuerit curatus in Capite.

II. Hinc adnectimus alios duos Canones: Primum Anacleti; & ſecundum Alexandri PP. (a) quos quoniam cunctis obvios eſſe optamus, operæ pretium hic tranſcribendos cenſuimus.

III. Quæſitum, inquit Gloſſa, ab Anacleto Pontifice, utrum Epiſcopi poſſint accuſari? Reſpondit ad Epiſcopos Italiæ (b) modo, quo ſequitur.

IV. Accuſatio quorum errorum, ſuper qua Nos conſulere voluiſtis, non niſi ab idoneis, & probatiſſimis viris, qui, & ſuſpicionibus, & ſceleribus carent, fieri debet, quia Dominus ſacri Sui Corporis tractatores, a vilibus, & reprobis, ac non idoneis Perſonis infamari noluit, nec calumniari permiſit; ſed ipſe proprio flagello peccantes Sacerdotes è Templo ejecit; Unde liquet, quod Summi Sacerdotes, ideſt Epiſcopi a Deo ſunt judicandi, non ab humanis, aut pravæ vitæ hominibus lacerandi: ſed potius ab omnibus fidelibus portandi; ipſo Domino exemplum dante, quando per ſeipſum, & non per alium, vendentes, & ementes ejecit de Templo. Nullus enim, vereor, invenitur inter Nos, qui ſuum Servum ab alio, quam a ſe judicari. Quod ſi præſumptum fuerit, aut multa ipſe indignatione iraſcitur, aut potius ultionem quærit ſuper eum.... Unde, & Dominus per Prophetam inquit (c) qui vos tangit, & pupillam oculi mei.... Si detractores quorumcumque graviter judicantur, & in perditionis laqueum cadunt, multo magis laceratores, & detractores, atque Accuſatores memoratorum Dei famulorum, atque Perſecutores damnantur, & in baratrum (niſi ſe correxerint, & per eorum ſatisfactionem condignam egerint pœnitentiam (indubitanter cadunt, & vindicibus flammis exuruntur.... Hæc, & alia periculoſa conſiderantes Columnæ Sanctæ Dei Eccleſiæ, quæ Apoſtoli Succeſſores eorum non immerito dicuntur.

V. Sed ſi quis adverſus eos, vel Eccleſias eorum commotus fuerit, aut cauſſas habuerit, prius ad eos recurrat, qui Charitatis ſtudio, aut familiari colloquio commoniti, & ſanent, quæ ſananda ſunt, & Charitative emendent, quæ juſte emendanda cognoverint. Si autem aliqui eos, priuſquam hoc egerint, lacerare, accuſare, aut infeſtare præſumpſerint, excommunicentur, & minime abſolvantur, antequam per ſatisfactionem, ut jam dictum eſt; condignam egerint pœnitentiam: Quoniam injuria eorum ad Chriſtum pertinet, cujus Legatione funguntur.

VI. Item Alexander (d) modo citatus ſtatuit, ut communione privetur, qui publice adverſus Epiſcopum conqueritur, priuſquam familiariter eum convenerit, inquit enim; Si quis erga Epiſcopum, vel actores Eccleſiæ quamlibet querelam juſtam ſe habere crediderit, non prius Primates, aut alios Judices adeat, quam ipſos, a quibus ſe læſum exiſtimat, conveniat familiariter, & non ſemel, ſed ſæpiſſime, ut ab eis, aut ſuam Juſtitiam accipiat, aut juſtam excuſationem... Si autem ſecus egerit, ab ipſis, & ab aliis communione privetur, tamquam Apoſtolorum, Patrumque aliorum contemptor.

VII. His nixi Sanctionibus, monemur iterum, quod ſi aliquis aliqua adverſus Nos habeat, vel recognoſcat, ad aures deveniat, ac benigne ſe accepturum fuiſſe experietur... Deinde, quæ ad aliorum pertinent morum correptio-

(a) C.15., & 16.
(b) *Epiſt.*2.
(c) *Zacc.*2.
(d) *Epiſt.*1.*C.*3.

Digitized by Google

reptionem, negligere ne audeant, vel unquam prætermittere ad nos referre, quemadmodum de Teſtibus Synodalibus inſtituimus, & ut perſuaſum omnibus ſit, ſequentes canones adnectimus: Etiam optato voto, ut Tyrones noſtri ad illorum tantæ utilitatis ſtudium ſe diſponant.

*Decreti 2. P. Cauſa 2. Quæſtio 7. C. 55. Negligere.*

I. NEgligere cum poſſis deturbare perverſos, nihil aliud eſt, quam fovere, nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare, inquit Eleutherius PP. in Epiſt. ad Galliæ Provincias, ibique cap. ſequenti habetur: quantum ex vitæ merito quis Eccleſiam ædificat, tantum nocet, qui deſtructoribus non reſiſtit: Et ibidem *(a)*: „ Quod magis nocet, qui „ crimen celat, quam qui amicabiliter indicat, non vos, ſubdens judicetis eſſe „ malevolos, quando Crimen ulterius indicatis: Magis quippe innocentes non „ eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire „ permittitis. Si enim Frater tuus vulnus habet in Corpore, quod velit occul- „ tari, dum timet ſecari, nonne crudeliter a te ſiletur, ac miſericorditer indi- „ catur? quanto ergo potius debes manifeſtare crimen, ne ulterius putreſcat in „ corde?

II. Neque ſatis eſſe putandum, fraterne crimen Authori ſuo indicaſſe, quamdiu enim inemendatum videris, & ruinam allaturum animarum, præcipit Dominus denunciandum Epiſcopo per illa verba: *dic Eccleſiæ*. Quod Nos hortamur ex ipſo divo Auguſtino ad Vincentium Donatiſtam *(b)*. Non omnis, qui parcit, amicus eſt, nec omnis, qui verberat, inimicus; Meliora ſunt vulnera amici, quam voluntaria oſcula inimici. Melius eſt cum ſeveritate diligere, quam cum lenitate decipere: Utilius panis eſurienti tollitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligebat, quam eſurienti panis frangitur, ut juſtitiæ ſeductus, acquieſcat: Et qui Phreneticum ligat, & qui Letargicum excitat, ambobus moleſtus, ambos amat. Qui nos poteſt amplius amare, quam Deus? & tamen nos non ſolum docere ſuaviter, verum etiam ſalubriter terrere non ceſſat. Fomentum lenibus, quibus conſolatur, ſæpe etiam mordaciſſimum medicamentum tribulationis adjungens, exercet fame Patriarchas, etiam pios, & religioſos: Populum contumacem pœnis gravioribus agitat: Novens aliquando furem avertendis pecoribus pabulum ſpargere, & aliquando Paſtorem flagello ad gregem pecora errantia revocare.

III. Et ibidem *(c)* Non oſculatur ſemper Pater filium, ſed aliquando caſtigat, ergo quando caſtigatur, qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur; habet enim & amor plagas ſuas, quæ dulciores ſunt, cum amariſſime inferuntur. Dulcior enim eſt religioſa caſtigatio, quam blanda remiſſio; Unde ait Propheta *(d)*. *Dulciora ſunt vulnera amici, quam voluntaria oſcula inimici*.

IV. Quamobrem apponimus ſequens Decretum Conc. Later. ſub Innoc. III. *(e)* Qualiter, & quando, quomodo debeat Prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum ſubditorum exceſſus ex authoritatibus novi, & veteris Teſtamenti colligitur evidenter; Ex quibus poſtea proceſſerunt Canonicæ Sanctiones, ſicut olim aperte diſtinximus, & nunc ſacri approbatione Concilii

H lii

(a) *2.p.cauſ 5.p.1.c.1.ex Div. Aug.ſerm. 3.de comm.dit Cleric.vit Reg 3.*

(b) *Epiſt.48.c.2.loc.cit. Can. non omnis.*

(c) C.3.

(d) *Proverb 27.*

(e) *Cap.18.,& lib.5.Decret.de accuſ.& inquiſit.*

lii confirmamus. Legitur enim in Evangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud Dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audivit ab illo; *quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare*: Et in Geneſi Dominus ait: *deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint*, ex quibus authoritatibus manifeſte comprobatur, quod non ſolum cum *Subditus*, verum etiam cum *Prælatus* excedit, ſi per Clamorem, & famam ad aures Superioris pervenerit, non quidem a malevolis, & maledicis, ſed a providis, & honeſtis; nec ſemel tantum, ſed ſæpe (quod clamor innuit, & diffamatio manifeſtat) debet coram Eccleſiæ Senioribus veritatem diligentius perſcrutari, ut ſi rei popoſcerit qualitas, Canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis, non tamquam ſit Author, & Judex, ſed quaſi deferente fama, vel denunciante clamore, officii ſui debitum exequatur. Licet autem hoc ſit obſervandum in ſubditis; diligentius tamen obſervandum eſt in *Prælatis*, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam;
„ Et quia non poſſunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non ſolum arguere; ſed etiam increpare; quin etiam interdum ſuſpendere, nonnumquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur; Ideo Sancti Patres provide ſtatuerunt, ut accuſatio Prælatorum non facile admittatur, ne concuſſis calumniis corruat ædificium, niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolum falſæ, ſed etiam malignæ criminationi janua præcludatur. Verum ita voluerunt providere Prælatis, ne criminarentur injuſte; ut tamen caverent, ne derelinquerent inſolenter contra morbum utrumque invenientes, congruam medicinam, videlicet, ut criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem capitis, ideſt degradationem, intenditur, niſi legitima præcedat inſcriptio, nullatenus admittatur. Sed cum ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, ita ut jam clamor aſcendat, qui diutius ſine ſcandalo diffamari non poſſit, vel ſine periculo tolerari abſque dubitationis ſcrupulo, ad inquirendum, & puniendum ejus exceſſus, non ex odii fomite, ſed charitatis procedatur affectu, quatenus ſi fuerit gravis exceſſus, & ſi non degradatur ab ordine, ab adminiſtratione tamen amoveatur omnino: quod eſt ſecundum Evangelicam ſententiam a villicatione villicum amoveri, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem: debet igitur eſſe præſens is, contra quem facienda eſt inquiſitio, niſi per contumaciam abſentaverit; & exponenda ſunt ei illa Capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi ſeipſum; Et non ſolum dicta, ſed etiam nomina ipſa Teſtium ſunt ei, ut quid, & a quo ſit dictum appareat, publicanda; Nec non exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ, ne per ſuppreſſionem nominum infamandi, per exceptionem vero, & excluſionem deponendi falſum, audacia præbeatur. Ad corrigendos itaque ſubditorum exceſſus tanto diligentius debet Prælatus aſſurgere, quanto damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas contra quos, ut de notoriis exceſſibus taceatur, & ſi tribus modis poſſit procedi, per accuſationem, videlicet, denunciationem, & inquiſitionem eorum; ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per leve compendium ad grave diſpendium veniatur, ſicut accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio, ſic, & denunciationem charitativa admonitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio prævenire, illo ſemper adhibito moderamine, ut juxta formam Judicii, ſcientiæ quoque forma dictetur.

Digitized by Google

ctetur. Hunc tamen ordinem circa Regulares Perſonas non credimus uſquequaque ſervandum: Quæ cum cauſa requirit, facilius, & liberius a ſuis poſſint adminiſtrationibus amoveri.

V. Inſuper advertimur, quod ſola fama non ſufficit ad aliquem condemnandum, ut extra de cohabitatione Clericorum, & Mulierum in Cap. *tua nos*, ſtatuitur; Subdens in ea Decret. Inn.III. „ Teſtibus eſſe judicandum, & ſa„ ne, & legitimis, & probis, vel ipſum factum (ſit adeo notorium) ut nulla „ poſſit tergiverſatione celari. Monemur itidem in majori volumine 11.q.3.in „ Cunctis: Mala cum dicuntur, non credenda, niſi probentur; poteſt enim fa„ ma, ſive bona, ſive mala, eſſe falſa.

## C A P U T XI.

### *De pravis opinionibus, & libris prohibitis.*

I. Quamvis hæc noſtra Nuſcienſis Diœceſis orthodoxo imbuta lacte, Fideique Catholicæ illuſtrata radiis, procul è ſuis Incolis abiecerit Locuſtarum abominabilem exercitum, qui de bituminoſo abyſſi puteo, infauſto Cometa excitante, erupit; Apocalypſis Libro teſtante, Hæreticorum, ſcilicet perſonas, Dogmata, pravoſque errores; itaut vere vinea dilecta a Chriſto Domino plantata, Sacramentis ſæpe munita, pretioſiſſimo Sanguine rigata, tot Apoſtolicorum virorum doctrina, ac exemplo, & præcipue a noſtro Concive ProtoEpiſcopo S.Amato, Diœceſis emeritiſſimo Patrono ſudoribus, ac Charitatis Martyrio exculta, incolumis, & firma in unitate Fidei enixe permanſerit.

II. Ne tamen portæ Inferi unquam prævaleant adverſus eam, & ut ſe caveant a conſortio prava opinantium, qui Diaboli propagines, organa, inſtrumenta ingratæ creaturæ, & Paganiſmi inſtauratores, peſtes, & lues Fidei, mali caupones, clibani impietatis jure merito a Sanctis Patribus nuncupantur *(a)*; omnibus noſtræ curæ commiſſis injungimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ diſtricte mandamus, ut ubi aliquem prave de fide opinantem, vel de hæreſi ſuſpectum, vel Schiſmaticum, aut Apoſtatam, Incantatorem, Sortilegum, Blaſphemum, vel Lamias, aut quomodocumque cum Dæmonio pactum habentem noverint, Nobis, aut Generali noſtro Vicario omnino aperiant; in Domino exhortamur, & præcipimus.

III. Quoniam autem, non ſine animi noſtri mærore experti ſumus, Sciolos aliquos de Theologicis, & Dogmaticis materiis, quibus numquam navarunt operam, ſerena facie balbutire, quin & de Divinis Myſteriis diſputare, non captivantes intellectum in obſequium fidei, cum ſcandalo, & ruina puſillorum, a falſitatis, & mendacii Authore ſtimulati, ignorantes, illicitum eſſe viris indoctis de Fide diſputare ob periculum, cui ſe exponerent, multos errores proferendi. Nos igitur eandem Excommunicationis ſententiam comminamur, quam Summus Pontifex Alex. IV. *(b)* illis verbis: *Inhibemus quoque,*

H 2 ne

(a) *Joan. Chryſ. C.12. Matth. hom. 13. S.Ignat.mart.Epiſt. ad Trachian. S. Iren. l.1. c.76.Clem.Rom.6. Conſt. c.10. S.Baſil. Epiſt. 141. S.Greg. Niſſ.orat. de S. Baſil. S.Cyp. de unit. Eccl. S.Aug. Epiſt. 56. S. Hier. lib.1. in Iſai.& Oſeam.cap.7.*

(b) *In cap. quicumque 2.§.1. de hæret.in 6.*

Digitized by Google

*ne cuipiam laica Perſona liceat publice, vel privatim de Fide Catholica diſputare, qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*; ibi Gloſ. explicans „ *l'y Laica Perſona* ſubdit: Forte intellexerunt de *laico* ad„ modum ultra montanorum, qui *illiteratos laicos* vocant, ac *literatos Cle*„ *ricos* vocant; (*a*) inutile eſt dicere, quod ruralis Clericus diſputando de fide, „ non incidat in hanc pœnam, & dictorum Decretorum Laicus incidat. Vide „ DD. cum S.Thom. (*b*).

IV. Prohibitos item Libros, quorum Lectio ut plurimum Fidelium animas pervertit, fugiant, reſpuant, deteſtentur; etenim ſi prava colloquia bonos mores corrumpunt, eo magis perverſorum ſcripta. Quapropter meminerint omnes adamuſſim obſervare Regulas Judicis, ex quibus patet. quod hæreticorum ſcripta, libros, aut quæcumque eorum opera, propter hæreſim, vel ſuſpicionem falſi Dogmatis damnata, ſeu de Religione tractantia, ſeu quovis modo hæreſes foventia legentes, Typis mandantes, aut quomodolibet defendentes, ligantur Excommunicatione, Summo Pontifici reſervata.

V. Libros vero, in quibus hæreſes nullæ, nihil de Religione, ex alia tamen cauſa vetitos, ſi quis legere, aut retinere præſumpſerit in lethalem culpam incidere pertimeſcat.

VI. Oves igitur Noſtræ Paſtorali curæ Divina diſpoſitione concreditas nominatim hortamur, quemadmodum Apoſtolus Timotheum (*c*): „ Hoc autem „ ſcito, quia in Noviſſimis diebus intrabunt tempora periculoſa, & erunt ho„ mines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, Parentibus non „ obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incon„ tinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & volu„ ptatum amatores magis, quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtu„ tem autem ejus abnegantes; & hos devita. Et concludit: Eſſe addiſcendas ſa„ cras literas, quæ poſſunt inſtruere ad ſalutem per Fidem, quæ eſt in Chriſto „ Jeſu. Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguen„ dum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei „ ad omne opus bonum inſtructus.

## CAPUT XII.

### *De falſis Teſtibus.*

I. MEmorandum illud Matth. 26.: „ Noviſſime autem venerunt duo falſi „ Teſtes, & dixerunt: Hic dixit: *Poſſum deſtruere Templum Dei, &* „ *poſt triduum reædificare illud.*

*Falſi Teſtes producti circa Chriſtum.*

„ II. Quomodo autem falſi Teſtes ſunt (ait S. Hieronymus) ſi ea dicunt, „ quæ Deum dixiſſe legimus? ſed falſus Teſtis eſt, qui non eodem ſenſu dicta in„ telligit, quo dicuntur: Dominus enim dixerat de Templo Corporis ſui: ſed, „ & in ipſis verbis paucis additis, vel mutatis, quaſi juſtam calumniam faciunt: „ Nam Salvator dixerat: *Solvite Templum hoc*: Iſti commutant, & ajunt: *Poſ*„ *ſum deſtruere Templum Dei: Vos*, inquit, *ſolvite, non ego; quia illicitum* „ *eſt, ut ipſi nobis inferamus manus*: Deinde ipſi vertunt. *Et poſt triduum reæ*„ *difi-*

(a) *Diſt.* 188. *Theolog. pracept. tom.* 2. *diſt.* 3. *qu.* 2. *parte* 5.
(b) 22. *qu.* 10. *art.* 7. *apud Bonac. de quaſt.* (c) 2. *Epiſt. ad Timoth. c.* 3.

Digitized by Google

„ *dificabo illud*, ut proprie de templo Judaico dixiſſe videatur; Dominus au„ tem, ut oſtenderet animatum, & ſpirans Templum, dixerat: *& ego in triduo* „ *ſuſcitabo illud*; Aliud eſt reædificare, aliud ſuſcitare; Hæc Divus Hieron. (apud Guilliadum hic). Hinc iſtos falſos appellari teſtes, quià verba mutaverunt, quorum mutatio mutat ſenſum literalem verborum Chriſti.

III. Ex hoc autem loco ſatis Nobis aperitur via exhortandi, monendi, & docendi Populum: Quid faciendum ſit, ac quam cautiùs animadvertendum in ferendis Teſtimoniis, nempe: qui vocantur in contextum Judicum, ut teſtes quod rogantur, dicant; Ante omnia Deum, & veritatem reſpiciant; Deinde odium, atque metum, imo alios affectus noxios, atque pravos deponant; Prætereà nil affigant de ſuo, neque quidquam, quod ad rei veritatem pertineat, detrahant, aut propriis, & privatis expoſitionibus luceant, ſuoque ſenſui accomodent, nihil ſilendo prætereant, aut diſſimulent; ſed verum legitime, & vere exponant.

*Falſa teſtari quã grave peccatum eſt.*

IV. Meminerit quiſque, quod adſtat coram tremendo Judice, & omnis mali ultore Deo, qui Sanctiſſimo ſuo ingenio graviſſime animadvertit in falſos teſtes. Graviſſimum enim peccatum eſt, falſum vel falſo dicere Teſtimonium, id quod diſerte exprimitur in Tabulis(*a*): „ Contemnitur quippe falſo Teſtimonio „ Deus: Fallitur Judex: oſtenditur, & proditur in bonis proximus, vel vitæ, „ vel honoris, vel fortunæ, ejuſque damna omnimode reparanda, reſtituenda, „ reſarcienda conſtat. Unde in lege dixit Deus: *Teſtis mendax non erit impu*„ *nitus*. Salomon quoque, (*b*) *Teſtem*, ait, *fallacem odit Deus*. Sed de hac re diſſeruit Juſtinianus (*c*), atque alii Canones Hiſtoriæ teſtantur, optimos fere, & maximos in orbe viros, falſis oppreſſos Teſtibus, miſerrime occubuiſſe, quominus mirum eſt, ſi hoc ipſum & Filio Dei uſuvenerit, cum propter falſos Teſtes crucifixerunt eum.

*Amicis favendum eſt uſque ad Aras.*

V. Colligamus itaque robur, firmamque coſtantiam ad luem hanc lethalem è Populo Dei evertendam, & tam in Cathechiſmis, quam in Concionibus apprime in ejuſmodi munere elaboremus, & aſſuetæ mendacii excuſationi, quam multoties in aliquibus iniquitatis filiis audivimus, Verbo Divino reſiſtamus. Amicis nequaquam eſſe faciendum in Animarum perniciem, ſed ut dici ſolet, uſque ad Aras: Exemplo Periclis, licet Ethnici, cujus Apophthegma ad nos erubeſcendos meminimus. Pericles enim, ut refert Gallius (*d*) aliquando rogatus, ut in Amici cauſa dejerans, falſum diceret Teſtimonium, juſtiſſime reſpondit: *opus eſt me Amicis opitulari, ſed uſque ad Deos*.

VI. Et ſi Diabolica Ethnicorum lues haſtenus inter nonnullos perditionis filios graſſata ſit, eo uſus more, nimirum alter alterum invitans: Da mihi mutuum Juramentum; in poſterum memores tanti ſceleris, ex quo merito Divinam in his Regionibus ultionem laceſſitam experti ſumus, Dei verba firmentur labiis (*e*) jurantis, vivit Dominus in veritate, in Judicio, & in Juſtitia. Veritas enim eſt præponenda gratiæ, & potentatui hominum (*f*).

VII. Ut igitur Fideles a falſijurii flagitio exterreantur excommunicationis latæ ſententiæ Cenſuræ, omnes, & ſingulos falſarios jam in caſibus Nobis dumtaxat reſervatis obnoxios eo ipſo declaravimus; Et in hac Synodo confirma-

(a) *Exod.20.*
(b) *Proverb.6.*
(c) *Cod.lib.4.tit.20.*
(d) *Lib.noct.att.1.c.3.*
(e) *Jerem.4.*
(f) *Cod.de falſ.Teſt.l.eos teſtes.*

firmamus, & in Virtute Sanctæ Obedientiæ Parochis, ac Concionatoribus præcipimus, ut ſæpe ſæpius explicent Populo verba ipſa, quæ circa perjuros in Tabella prædictorum Caſuum expreſſa, leguntur. Ut in ſecunda parte hujus Synodi in Capite de Sacramento Pœnitentiæ; Vertentes ea Italico ſermone pro omnium captu.

## C A P U T XIII.

### *De Calumniatoribus.*

I. QUemcumque, cui prædicatio Evangelii innoteſcit, ſane non latet, Chriſtum Dominum in terris fuiſſe Politicæ legis, Moſaicæque diſciplinæ obſervantiſſimum; *Non veni*, inquit, *ſolvere legem*, *ſed adimplere*; Idque innuit cum Leproſum, reddita ei ſanitate, mox ad Sacerdotem ablegavit(a); nam quemadmodum apud Nos in dijudicandæ lepræ munere funguntur Medici, & Chirurgi; in Politia Iſraelitica ad Sacerdotes divina lege ordinatos in Judices lepræ attinebat, ut quem juxta legem judicaſſent leproſum, is ab omnibus leproſus haberetur, & a Contubernio reliquorum hominum ſepararetur; quem autem judicaſſent a lepra mundum, is ab omnibus quoque mundus cenſeretur, & in conſortia Civilia admitteretur (b). Porro conſilio inito a Phariſæis, ut caperent Jeſum in ſermone, miſſi fuerunt aliquot eorum aſſeclæ cum Herodis Militibus, & aulicis ſub ovili pelle lupum tegentes, ſpeciem præferentes pietatis, & hypocriſis pallium, dicentes: *Magiſter ſcimus*, *quia verax es*, *& viam Dei in veritate doces...* Poſtmodum: *& non eſt tibi cura de aliquo*, *non enim reſpicis perſonam hominum*; *dic ergo Nobis*, *quid tibi videtur*, *licet cenſum dare Cæſari*, *an non?* (c). Cognita autem Jeſus nequitia eorum, ait: *Quid me tentatis Hypocritæ? oſtendite mihi Numiſma Cenſus*; at illi obtulerunt ei denarium, & ait illis Jeſus: *Cujus eſt Imago hæc*, *& ſuperſcriptio?* dicunt ei, *Cæſaris*; tunc ait illis; *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris*, *Cæſari*; *Et quæ ſunt Dei*, *Deo*; His itaque Chriſtus luculenter docuit, utrumque Regnum poſſe ſubſiſtere, & utrique dandum, quod ſuum eſt: & itidem paſſim in veteri lege præceptum erat: & præcipue (d) ubi Propheta jubet: Fideles obedire Nabucdonoſori Regi Babyloniæ. Et idem in hiſtoria Danielis, & ſociorum ejus (e), ut in omnibus obtemperent Regi adhuc Ethnico præcipienti, quod non eſt contra verbum Dei; quas Civiles Politias cum adveniſſet in Mundum, non ut abrogaret, ſed potius ut probaret, & his verbis gladium poteſtatis, adeoque Magiſtratum probat, atque confirmat; unde eandem ſententiam ſui Divini Magiſtri extulit Paulus (f): *Reddite omnibus debita*; *cui tributum*, *tributum*; *cui vectigal*, *vectigal*; *cui timorem*, *timorem*; *cui honorem*, *honorem*.

*Subiectos parere Poteſtatibus mandatur.*

II. Tandem (g) cum Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, tamquam bonus Paſtor Epiſcopus animarum noſtrarum pertranſiſſet in terris benefaciendo, & ſanando omnes, accidit, quod arceſſitis in deſertum locum, ejus diſcipulis, inſe-

(a) *Matth.*8.
(b) *Levit.*13.,*&* 14.
(c) *Matth.*22.
(d) *Jerem.*29.
(e) *Cap.*2.3.*&* 6.
(f) *Ad Rom.*3.
(g) *Matth.*14.

Digitized by Google

inſequentibus Turbis, ubi multiplicatis quinque panibus, & duobus piſcibus, manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt, & tulerunt, quæ ſupererant, duodecim Cophinos fragmentorum; Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis Mulieribus, & parvulis. Huic Textui Matth. (a) ſubdit Evangeliſta Joannes(b):,, Illi ergo homines,cum vidiſſent,quod Jeſus fe-
,, cerat ſignum, dicebant: quia hic eſt vere Propheta,qui venturus eſt in Mun-
,, dum: Jeſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, &
,, facerent eum Regem, fugit iterum in Montem ipſe ſolus; terrenum Regnum
,, aufugiens;qui licet Cœlorum Rex in ſervi,non Regis figura venerat in Mun-
,, dum miniſtraturus, non regnaturus, & adeo pauper, & humilis, ut de ſe ipſo
,, dixerit(c) Vulpes foveas habent,& volucres Cœli nidos; Filius autem homi-
,, nis non habet, ubi caput ſuum reclinet: Quæ cum ita ſint, & meridiana lu-
,, ce clariora, veritas ipſa teſtatur: Ego palam locutus ſum vobis; attamen ve-
,, ro ante Præſidem Pilatum conſtitutum multi accuſabant eum dicentes:Hunc
,, deprehendimus evertentem gentem, & prohibentem dari Tributa Cæſari, di-
,, centem: ſe Chriſtum Regem eſſe . . . ac mox . . . Commovet Populum, do-
,, cens per Univerſam Judæam, incipiens a Galilæa uſque ad hunc locum. Oh
,, vaferrima Calumniatorum viperina ſoboles! Oh calliđiſſima iniquorũ diabo-
,, lica in ore fraus! Quomodo te prohibentem tributa,quando ipſemet juſſit eſſe
,, tribuenda? Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari? qua fronte! Se Regem fa-
,, cientem aſtruitis, quando vos non latuit ſe latitaſſe, quamdiu oportuit, ut
,, ejuſmodi Plebiſcitum vaneſceret, & tamquam ibi innoxie virorum illorum
,, inopinato auſu offenſus, nocte interveniente, divina functus potentia, ſicco
,, veſtigio ſuper undas procul navi,& remige tranſiliens obviam venit diſcipulis
,, ſuis,quos ſtatim poſt panis multiplicati miraculum, compulerat aſcendere in
,, Naviculam,& præcedere eum transfretum,& cum ſimul tranſfretaſſent, vene-
,, runt in Terram Geneſraeth.

,, III. Quomodo commovet Populum docens per Univerſam Judæam! Et
,, quid docet? Vos falſi eſtis: Cum coram eo plaudentes dixiſtis: Magiſter,ſci-
,, mus quia verax es,& viam Dei in veritate doces? Si quæ Dei ſunt,palam in
,, veritate docet,quomodo commovetur,quo aſtu ſeductorem adſtrinxiſtis?ma-
,, nifeſta vobis ipſis iniquis labiis evincitur contradictio, cum proprium ini-
,, quorum ſit eo abundare in malitia, quo deficere in prudentia, ac veritate.

IV. Ex his colligimus primo,quod ſi Chriſtus Dominus in operibus ſuis, licet impiorum calumnias diligenter caverit, & tamen in adagium illud incurrit: *quod non ſit remedium adverſus morſum Sycophantæ*, id eſt, ejus, qui calumniis afficit, & accuſat; Ejus exemplo docemur, ſummopere laborandum, ne Sycophantis calumniandi occaſionem demus, quod ſi adhuc nulla noſtra culpa Sycophantarii caluerint; meminiſſe oportet, & quod (d) inquit Dominus: nempe ,, ſi Patrem Familias Beelzebuc vocaverunt,quanto magis Dome-
,, ſticos ejus? (e) non eſt Servus major Domino ſuo, ſi me perſecuti fuerint, &
,, vos perſequentur, (f) & beati eſtis,cum maledixerint vobis homines,& per-
,, ſequuti vos fuerint,& dixerint omne malum adverſum vos, mentientes pro-
,, pter me, gaudete, & exultate (quemadmodum primi noſtri Principes (g)
,, Ibant

(a) *Matth.c.14.*
(b) *C.6.*
(c) *Matth* 8,
(d) *Matth.*10
(e) *Joan.*15.
(f) *Matth.*5.
(g) *Act.*5.

„ Ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine „ Jeſu contumeliam pati) quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis, & interim orandum cum Propheta : muta fiant labia doloſa, & obſeratur os obloquentium iniqua, & cum propter Juſtitiam (ut contingere ſolet de iis, quibus „ deficit veritas) calumniis malignantes ſubſtinere cogimur, lacrymis clamemus „ ad Dominum cum Propheta: Feci Judicium, & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me. Et ſi interim *Calumnia* conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius (Eccleſiaſt. cap. 7.); roboremur, ex Apoſtolo affirmante (*a*): „ Qui autem conturbat vos, portabit Judicium quicumque eſt ille.

V. Inſuper Parochos, & Concionatores monitos volumus, ut hujus criminis procacitatem ob oculos crebro fidelibus ponant, & pœnas tanti ſceleris expendant. Irati Dei punientis ultionem oſtendant, ut ejuſmodi a protervia, aliquando, quod tantopere exoptamus, abalienentur. Væ enim, inquit Deus, Haiæ 7., *qui dicitis malum, bonum, ponentes tenebras lucem*; *Unde Textus* (*b*): *Si quia dixerit juſtum, injuſtum, & injuſtum, juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum*. Hinc Chryſoſtomus (in ſecunda oratione: Cum obſcurum ſit vetus Teſtamentum) cum Apoſtolo (*c*) admonet, probatque Calumniatorem pejorem eſſe ſcoriatore, fure, homicida, ut deponentes mendacium, loquatur veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra. Propterea ſubjicimus tanti ſceleris condignas pœnas ſequenti Capite.

## CAPUT XIV.

### *De Pœnis in Jure inflictis contra Calumniatores.*

I. Miro profecto Dei de turbine (*d*) Job, conſtituto colloquio iis videtur, quibus diuturno ſacrarum ſcripturarum ſtudio, fugatis ſæculi ignorantiæ tenebris, divina lux effulget, in eo præſertim animadvertendo ſub nomine Behemoth, complecti Diabolum, qui ſub umbra dormit, in ſecreto calami, manus filiorum perditionis movens, ut anonymos libellos ſcriptando proximorum famæ, boniſque fortunæ inſidientur; & ita exterminator ille ſerpens ſuſurrans per ejus Inſtrumenta, & amanuenſes ſibi ſubalternos famulos cortice zeli, zelotyporum teſſera larvatos, uno papyro lædit, abſumit, devorat, occidit, & omne, quod pejus, peſſimum, ſceleſtiſſimum proſequitur. Sane fortiſſimus ille Regius Pſalmiſta, qui Urſum, & Leonem non timuit, Calumniatorem exhorrebat, & a calumniis hominum liberari poſtulabat. Incredibile enim dictu eſt, quot mala, & damna ab hujuſmodi maledictis Scribis, & Phariſæis pejoribus non paucis, & utinam, & non in his Regionibus, quam plurimis, fuerint perpeſſa, & in dies (opituletur Deus) ne patiantur. Equidem ſub umbra, & in ſecreto Calami Calumniantium dormit Diabolus, dum calumniatores taliter Diaboli officium implent, illique famulantur, ut ipſe illorum opere fretus, otioſus, quaſi dormire, & requieſcere dicatur.

*Ex Synod. Cotron. Ap. viro Ill. & Rev. P. F. Cajetano Coſta.*

II. Paſtoralis ſolicitudo noſtra non quievit paterne exhortando noſtræ Curæ concreditos, ut quaſſatis pernicioſis calamis, paci, & mutuæ Charitatis nec

(a) *Ad Galat.* 5.
(b) *Ex Hieron. ſuper Epiſt. ad Philem.* c. 1. qu. 3.
(c) *Epheſ.* 4.
(d) C. 40.

nec non proprii Paſtoris obedientiæ ſtuderent, quin & caverent, ne ſpretis noſtris monitionibus, excomunicationem, quam reiterando incutimus contra omnes, vel vomitantes, vel exarantes inſanias falſas; & non tantum contra anonymos, & calumnioſos libellos (expreſſo, etiam tacito, vel ficto nomine Authoris) ſcribentes, ſed etiam, & cooperantes, ſimulantes, conſilium dantes, vel quomodolibet adjuvantes: quam Cenſuram ipſo facto incurrendam, nobis tantummodo reſervatam, ut in Cap. de Sacramento Pœnitentiæ, Synodali hac conſtitutione confirmamus: Animumque noſtrum manifeſtamus, quantum ad Nos attinet, obſervanda, exequenda, ad praxim reducenda omnia Jura, & Sanctiones ſingulas, quæ quomodolibet adverſus Calumniatores jure merito ſtatuta ſunt.

III. Ex his meminiſſe oportet, ad Populum edocendum, erudiendum, exterreſcendum, quæ de Corpore Juris modo excerpimus, tamquam parvus Elenchus, ut ſequitur.

*Qua pœna ſit Delator feriendus.*

In magno volumine (a) præcipitur, ut omnis, qui aliis falſa intulerit, puniatur, & pro falſitate ferat infamiam; ibidem Cap. 3. quia juxta Canonicas Patrum ſententias, qui calumniam illatam non probat, pœnam debet incurrere, quam ſi probaſſet, Reus utique ſuſtineret; ibidem Cap. 4. Ad Sacræ Communionis Miniſterium non accedat, qui Crimen illatum non probat, ibidem Cap. 5. Delatori lingua capuletur, aut convincto caput amputetur. Delatores autem ſunt, qui invidia produnt alios. Canon iſte, addit Gloſſa, habetur in Capitula Adriani Cap. 49. allatus, quantum conjicere licet ex legibus ſæcularibus: Nam in Codice Theodoſiano (b) prorſus idem habetur: nimirum: Si quis falſum dixerit, vel perſonam innocentis falſo crimine maculaverit, juxta Sacerdotis Arbitrium diuturna pœnitentia expurgetur: ibidem Cap. 8. Si quis vero Sæcularium per calumniam, Eccleſiam, aut Clericum fatigare tentaverit, & convinctus fuerit, ab Eccleſiæ liminibus, & a Catholicorum Communione, niſi digne pœnituit, coarceatur.

*Et qua pœna, qui Innocentem falſo lædetit: & qua qui Eccl. vel Clericum per Calumniam fatigaverit.*

IV. In eodem magno volumine præcitata ſecunda parte, cauſa ſecunda qu. 3. cap. 1. Si quis .... Non probanda detulerit authoritate hujus ſanctionis, ſcribit S.Damaſus ad Stephanum Archiepiſcopum Epiſt. 3., intelligat ſe jacturam infamiæ ſuſtinere, ut damno pudoris, & exiſtimationis diſpendio diſcat ſibi alienæ verecundiæ impune inſidiari, ſaltem de cœtero non licere; Ibidem Cap. 2. Calumniator ſi in accuſatione defecerit, talionem recipiat: & ſequitur Cap. 3.: Qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipſe patiatur: ibidem Cap. 4. Si quis Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum falſis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei Communionem cenſemus. Ibi Gloſſa (*nec in fine*) ſic legitur in Concilio Eliberitano: apud Adrianum tamen eſt (*niſi in fine*): apud Juvonem: *Non niſi in fine* dandam ei eſſe Communionem.

*Pœna Infamiæ.*

*Pœna talionis.*

*Abſolutio neganda calumniatoribus.*

*Decretal. lib. 5. tit. 2. de Calumniat. c. 1. cum fortius, & c. 2. cum dilectus.*

V. In capite cum fortius notat Gloſſa, quod Hilarius Subdiaconus accuſavit Joannem Diaconum: Cauſa hujus accuſationis commiſſa fuit Anthemio Subdiacono, & quibuſdam aliis: Judices in negotio procedentes, ab accuſatore non probato Crimine, accuſatum inſontem abſolverunt, nulla pœna impo-

*Subdiaconus calumnioſe accuſans, ſuſpenditur; & verberatus mittitur in exilium*



(a) *Decr. 2. parte cauſ. 2. qu. 6. c. 1.* 7. C. 7. *Septimo* C. 360.
(b) *Lib. 10 tit. 10. L. 2. ferè idem, & Lib.*

impoſita pro Calumnia; at cum hoc ad aures Gregorii PP. perveniſſet, reſcripſit Anthemio: Cum fortius punienda ſint crimina, quæ inſontibus, & maxime ſacratis hominibus inferuntur .... tantæ nequitiæ malum ſine digna non debet ultione tranſire, jubemus, eundem Hilarium prius Subdiaconatus, quo indignus fungitur, privari officio, & verberibus publice caſtigatum in exilium deportandum.

VI. In capite ſequenti Inn. III. Decretalem dirigit Epiſtolam Lamorenſi, Segobienſi, & Abulenſi Epiſcopis, his verbis.

*Apingens Calumniam Epiſcopo, officio, & beneficio ſuſpenditur.*

„ Cum dilectus Filius N. Magiſter ſcholarum Palentinus ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſet, & de ſuo Epiſcopo exceſſus varios nuntiaſſet examinationem commiſimus exceſſuum obiectorum.... Cum tamen Proceſſum negotii examinaverimus diligenter, nec intelligere potuerimus probatum eſſe ſufficienter aliquid de prędictis: Eumdem Epiſcopum abſolvendū decernimus ab objectis, vobis mandantes, quatenus memoratum Magiſtrum ſcholarum, donec canonice ſuam purgaverit innocentiam, quod non calumniandi animo ad hujuſmodi crimina proponenda proceſſit, ab officio, & beneficio ſuſpendatis, ut cæteri ſimili pœna perterriti, ad infamiam ſuorum facile non proſiliant Prelatorum.

VII. Iterum igitur, atque iterum monemus, & in viſceribus Jeſu Chriſti exoramus, ut ſerio reflectant pœnas hic prælibatas; ac ab aliis ſacris ſanctionibus, nec non Regiis Juribus inflictas, ut ſi non amore virtutis, ſaltem formidine pœnæ calumniæ abarceantur, quibus cum tanto propriæ animæ, & temporalis ſubſtantiæ detrimento, hactenus experti ſumus nonnullos iniquitatis filios infamem operam dediſſe; calumniandi enim cupiditas eo funditus intellectum exagitat, ut non attendant quique malignantium ad ea, quæ dicunt, quæ ſcribunt, quæ faciunt, adeout contraria quoque loquantur, ex Divo Auguſtino Epiſtola 50. ad Bonifacium (in Canone: quod autem Nobis objiciunt 3. poſt principium 23.): *Uſque adeo autem calumniandi cupiditate cæcantur, ut non attendant, quam ſint inter ſe contraria, quæ loquuntur.*

*Calumniatores cōtradicuntur.*

## CAPUT XV.

### *De Blaſphematoribus, & Superſtitioſis, atque Veneficis.*

I. Eleganti collatione Blaſphemantes, & carnales homines brutis, ac pecoribus comparat Apoſtolorum Princeps Divus Petrus (Epiſt. Cath. 2. c. 2.) inquit enim: *Hi velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant Blaſphemantes in corruptione ſua peribunt*: Hinc quemadmodum Corinthium illum ingeſtuoſum tradidit Divus Paulus Apoſtolus (a) in interitum Satanæ, ut Spiritus ſalvus fiat; ita blaſphemātes, ex quibus inquit 1. ad Timoth. c. 1. *Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare*. Quam igitur grave flagitium ſit blaſphemia, omnibus patet, & tamquam peccatum læſæ Majeſtatis divinę inſectandum: *Majeſtatem autem blaſphemant*, ut inquit S. Judas Thaddæus Epiſt. Cath. c. 1.

II. Tanto igitur immanior eſt blaſphemia, quanto in ipſum Dominum immediate profertur, a qua ut fideles exterreantur, a Parochis, ſeu Concionatoribus moniti reddantur de pœnis a Deo inflictis, & præcipue, quæ habentur in Sacra Scriptura. De Antiocho inſanabili, ac inviſibili plaga ob blaſphemiam a Domino percuſſo (2. Machab. 9.) de Holophernis cæde. (Judith. 12.) da

(a) *Epiſt. 1. ad Corinth. c. 5.*

Digitized by Google

de Goliath. ſimiliter blaſphemo, a Davide lapidis ictu in humo ſtrato, interempto (2.Reg.21.) De Iſraelitico Populo ob blaſphemiam adverſus Jeremiam, fame, & gladio, Deo tam immanis criminis vindice, percuſſo (Jerem. 44.) aliiſque, ac ſimilibus divinis Comminationibus, ut ipſe Dominus Moyſi præcepit: (Levit. 24.) nimirum, ait, ad filios Iſrael loqueris: *Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit Nomen Domini, morte morietur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, ſive ille civis, ſive Peregrinus fuerit.*

III. Confeſſariis ſimiliter in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, ut non perfunctorie, & oſcitanter cum blaſphemis pœnitentibus ſe gerant, quinimmo pravitatem culpæ illis pandant: Severas Bullæ Leonis X. *(a)* pœnitentias injungant; & ſi habituales fuerint, abſolutionem differant. Ipſi enim a S. Bernardino Senenſi *(b)* appellantur: Rapidi canes, diabolici homines, incarnati dœmones, Maledictæ Animæ, divinæque Majeſtatis occiſores, & proditores: quique addit, quod blaſphemia in Deum, & Deiparam adeo impia viſa fuit infidelibus ipſis, ut fallax Machometes in ſuo Alchorano præceperit, ut quicumque Deum, Chriſtum, ac B. Virginem plaſphemaret, medius divideretur: Acri igitur objurgatione corripiant, divinam vindictam comminando, ne in poſterum relabantur *(c)*.

IV. Inſuper ſic unicuique mandavit Deus de proximo ſuo, maximopere in corrigendo Blaſphemum, ut lucretur fratrem ſuum, ultra Indulgentias annorum decem a Fel.Rec. Leon.X. *(d)*, quas acquireret; Et ſi blaſphemia de hæreſi ſaperet, Nobis, Noſtroque Generali Vicario illam revelare quicumque audierit, hortamur.

V. Quoniam vero blaſphemia non in ſolis maledictis, ſed in tribuendo omnipotenti Deo, quod minime convenit, vel negando, quod ejus eſt, vel Creaturis tribuendo, quæ Dei ſunt, conſiſtit; Ideo Parochi, Concionatores, Confeſſarii, cæterique omnes, quibus animarum ſalus cordi eſt, hæc cuncta fidelibus explanare non negligant.

VI. Imprecationum quoque Virus animi amaritudinem exhibens, paternis monitis ab ovile ovium evellere ſtudeant, & morboſas pecudum linguas dure increpent, ne totum gregem contaminent, ac eandem ſolicitudinem adhibeant in eos, qui defunctos impetere non verentur quotidianis maledictis.

VII. Clericum tandem blaſphemiæ crimine irretitum, Eccleſiaſticis honoribus, Beneficiis, Dignitatibus privandum ſanxiſſe Canones, omnibus innoteſcat *(e)*.

## §. I.

### *De Damnatis Superſtitionibus, vanis obſervantiis, divinationibus, & ſortilegiis.*

I. Socios fieri Dæmoniorum *(f)* maximum flagitium continet, ac graviora ſupplicia mereretur, quam ipſi Dæmones, qui per vaſa ſibi apta, per

I 2 pra-

(a) *In Conſt. 7. Supernæ Jul.3. Conſt.23. in multis, & S Pii V. Conſt.5.cum primum.*

(b) *Serm.41.art.1.*

(c) *Can.non putes 23.q.5.Can.error.diſt.83.*

(d) *In Conc.Lat.ſeſ.9.*

(e) *Conc. Lat. ſub Leon.X.ſeſ.9.S.Carol. Borr.Syn Mediol.2. Bened. XIII Syn. Diœc. Benev.loc.cit.2.c.17.F Joſeph Ciantes Marſiz. Syn Diœc.an.1643.cap.ult. Dominicus Manfred Syn.Muran.anno 1728.*

(f) *1.ad Corinth.10.*

pravos, ſcilicet, eorum aſſeclas, ſeducunt illos, qui ſpernunt veritatem, & credunt mendacio, de quibus idem Apoſtolus *(a)* ſanam doctrinam non ſubſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, onerati peccatis ob facinorum multitudinem vere malefici nuncupati; Ex iis aliqui, permiſſu, aut juſto judicio Dei, & elementa concutiunt, turbant mentes, minus in Deum confidentium, ac ſine veneni hauſtu, virulentia tantum carminis interimunt (vide Lucan:) *(b) Mens hauſtus nulla ſanie polluta veneni. Incantata perit.*

II. Immundis enim Spiritibus accitis audent ventilare, ut quique ſuos perimant malis artibus inimicos *(c)* ut futurorum ſcientiam jactent, & per inventiones eorum inventa ſunt Auſpicia, Augurationes, & ipſa, quæ Angelorum malorum dicuntur oracula, & Negromantia*(d)*; quibus præſtigiis illuduntur, qui fallaciis Dæmonum humana curioſitate credunt, & impudenter appetunt ſcire, quod nulla ratione convenit inveſtigare, ac interim ſubduntur poteſtati Satanæ, qui, ut plurimos fallat, inquit Apoſtolus *(e)*: Ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum Lucis *(f)*.

III. Magicam artem permittit Deus, ut ipſi, qui hoc audiunt, vel vident, probentur, & appareat, qua fide ſint, vel devotione erga Deum. Proſequitur Auguſtinus *(g)*: Qui autem huic arti credunt, perpetuæ damnationi ſe obſtringunt: Ex eodem Auguſtino *(h)*: Et ſi perverſe credunt, in hæreſim incidunt, & ſunt excommunicati *(i)*.

IV. Exinde divinationes ex operatione Dæmonis provenientes, vel quia expreſſe Dæmones vocantur, ad futura manifeſtanda; vel quia Dæmones ingerunt ſe vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominum vanitati implicent; unde ſuperſtitioſi evadant *(k)*, incidunt proinde in Idololatriam Dæmones adorantes *(l)*.

V. Sortilegi ſunt, qui ſub nomine fictæ Religionis per quaſdam, quas Sanctorum ſortes vocant, divinationis ſcientiam profitentur, ut quarumcumque ſcripturarum inſpectione, futura promittunt: Ubi Gloſſa verbo ſortes: Nota, quod ſortes, quædam ſunt licitæ: Illicitæ ſunt, quæ fiunt per magicas incantationes, vel quæ fiunt ad exercendas vanitates aliquas, vel quæ fiunt ad acquirenda aliqua occulta *(m)* ſed quæ fiunt neceſſitatis cauſa non ſunt illicitæ, ut ſi contentio eſſet de electione aliquorum, & eſſet paritas utrique in omnibus, exemplo Matthiæ; poſſunt fieri ſortes: attamen inquit Divus Hierony-

(a) *2.ad Timoth.3.& 4.*
(b) *Apud Maranta Medul. Decret. fol. mihi* 488.
(c) *Aug.in Conec.mirum de Magar.præſtig.14.poſt princ.cauſ.26. qu.5.c.14.§. magi ſunt,qui vulgo malefici 26.qu.5.*
(d) *Aug. de civit. Dei in Can. qui ſine ſalv.ſalutem vult habere 7.in fin.26.qu.2.*
(e) *2.ad Corinth.11.*
(f) *Ex Aug. in d. Can. nec mirum de Mag. præſtig.14 §.præſtigium vero,& §.præt. quidam quærendum putant.26.q.5.*
(g) *De Civ.Dei d.Can.quam mirum de mag.præſtig.14.in fin.§.ſi autem aliquis mihi opponit 26.qu.5.*
(h) *Can.qui ſine ſalu.ſalutem vulchabere 7.26.qu 2.*
(i) *Conc.Aquirenſe in Can.Epiſc eorumque miniſtri lib.4.cap.14 n 7.,& ſeq.*
(k) *S.Thom.2.2.q.95.art 2.,& ſeq.,& q.96.*
(l) *Tarrebl.in practicabilibus Juris Spir. lib.2.c.7.n.11.,& ſeq.par.5.in 2.par.decret. cauſa 16.q.1.Can.1. Qui ſunt ſortilegi mihi pag.1363.*
(m) *Can.hi,qui,& can.illud idem.*

ronymus in Can. non exemplo loc. cit. : Si qui tamen neceſſitate aliqua compulſi Deum putant ſortibus, exemplo Apoſtolorum, eſſe conſulendum: videant hoc ipſos Apoſtolos, non niſi collecto Fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuſis, egiſſe. Non autem licet indiſcriminatim peruti ſortibus, ex Leone IV. Epiſcopis Brittanniæ (a): *Sortes, quibus cuncta vos in veſtris diſcriminatis judiciis, quod Patres damnaverunt, nihil aliud, quam divinationes, & maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Chriſtianos ultra nolumus nominari, & ne exerceantur, ſub anathematis Interdicto prohibemus.*

VI. Ibidem (cap. 6. illud, quod eſt),, ad hoc genus pertinent omnes ,, etiam ligaturæ, atque Remedia, quæ Medicorum quoque diſciplina contemnat, ſive imprecationibus, ſive in quibus notis, quas characteres vocant, ſive in quibuſdam rebus ſuſpendendis, atque ligandis, vel etiam ſaltandis, quodammodo non ad temperationem corporum, ſed ad quaſdam ſignificationes, aut occultas, aut manifeſtas..... (In fine) omnes igitur ,, artes hujuſmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitiones ex quadam peſtifera ſocietate hominum, & Dæmonum, quaſi pacta infidelis, & doloſæ ,, amicitiæ conſtituta penitus ſunt repudianda, & fugienda a Chriſtiano.

VII. Ibidem (b) ſi quis Ariolos, Auſpices, vel Incantatores obſervaverit, aut Philauteriis (Philauteria inquit Gloſſa) dicuntur hic cartæ, in quibus continentur incantationes, uſus fuerit, anathema ſit.

VIII. Ibidem (c) ſtatuit Concilium Toletanum 4. cap. 28., quod ſi quis Epiſcopus, vel cujuſcumque ordinis Clericus, divinos, vel ſortilegos conſulit, deponatur; & ad pœnitentiam peragendam perpetuo in Monaſterio detrudatur.

IX. Aliquanti Clerici (d), ſive Laici ſtudent auguriis, vel ſub Nomine fictæ Religionis per eas, quas Sanctorum ſortes vocant, Divinationis ſcientiam profitentur: aut quarumcumque ſcripturarum inſpectione futura promittunt. Hæc quicumque Clericus, aut Laicus detentus fuerit, vel conſulere, vel docere, ab Eccleſia habeatur extraneus (ubi Gloſſa, verbo docere) nam ſimilis eſt culpa, prohibita diſcere, & docere, ut Canon de mala culpa: multa ſunt, quæ melius eſt neſcire, quam ſcire (e).

X. Ibidem ſequitur Cap. 7. ſortes, quibus cuncta vos in veſtris diſcriminatis, ideſt, inquit Gloſſa, judicatis, vel dijudicatis, quod Patres damnaverunt, nihil aliud, quam divinationes, & Maleficia eſſe decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Chriſtianos ultra nolumus nominari; & ne exerceantur (ſubdit Gloſſa Interlinealis, ut abſcindantur) ſub Anathematis Interdicto prohibemus.

XI. Ibidem Can. 12., Epiſcopi, eorumque Miniſtri omnibus modis (addit Gloſſa viribus) elaborare ſtudeant, ut pernicioſam, & a Diabolo inventam ſortilegam, & magicam, Maleficam artem ex Parochiis ſuis penitus eradicent: Et ſi aliquem virum, aut mulierem hujuſmodi ſceleris ſectatorem invenerint, turpiter dehoneſtatum de Parochiis ſuis ejiciant. Ait enim Apoſtolus: Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correctionem de vita, ſciens,

(a) *Cap. 4. loc. cit. in Can. 7.*
(b) *Cauſ. 26. q. 5. c. 1.*
(c) *Cap. 5. ſi quis Chriſtus.*
(d) *Cauſ. 26. q 5. cap. 6. pag. 1372.*
(e) *38. diſt. quamvis.*

ſciens, quia ſubverſus eſt, qui hujuſmodi eſt: ſubverſi ſunt, & a Diabolo captivi tenentur, qui relicto Creatore ſuo, Diaboli ſuffragia quærunt; & ideo a tali peſte debet mundari Sancta Eccleſia.

## C A P U T XVI.

### *De Jurejurando.*

I. Quod meminiſſe piget: majoris reverentiæ, timoris, ac venerationis, quæ nunc eſt inter Chriſti Fideles, apud omnes Populos, vel ab omni ævo, vis fuit Jurisjurandi: nullum vinculum ad aſtringendam fidem majores noſtri jurejurando arctius eſſe voluerunt, inquit Cicero *(a)*: Hinc gravis pœna perjuris imminere numquam non credita, ut Heſiodus dixit de Juramento.

*Clade Mortalibus vade*
*Advertunt quoties fallaci pectore jurant.*

II. Itaut poſterius etiam majorum delicta lueret, quod non niſi de graviſſimis criminibus creditum, & ipſum pejerandi propoſitum, & ſi perjurium ſecutum non eſſet, a Deo puniretur; Ipſaque ſine facto voluntas quoque pœnam in ſe accerſeret, quorum utrumque Herodotus lib. 2. confirmat Narratione de Glauco Epicidide, qui deliberaverat tantum, an juratam de depoſito fidem falleret: ubi hoc carmen Pythiæ affert idem Herodotus.

*At juramento, quædam eſt ſine nomine proles*
*Trunca manus, & trunca pedes, tamen impetu magno*
*Advenit, atque omnem vaſtat ſtirpemque Domumque.*

III. Animadverſio nempe divina ſemper fervida, diu ſevera contra hujuſmodi irreligioſos perjuros, veritatis, ac Dei ipſius contemptores, a noſtris majoribus, & a quibuſque noſtrum, nondum tradita, ſed experimentis plorabilibus nimis clara comperta eſt; itaut ſufficeret ad tanta innumerabilia flagella a Deo perjurii vindice irrogata, memoriæ recolligenda, percontari librum ſuæ Religionis, in eoque legere tot Familias ſine prole conſumptas, domus undique devaſtatas, Parentes, Conſanguineos inter ſe perſecutos in egeſtate reductas, ac fruges terræ infæcundas, inſulſas, devaſtatas a malitia habitantium in ea. Perjuro enim nulla fides, nulla jurisjurandi Religio eſt, pavendumque, quoniam etſi perſonæ perjurio læſæ jus deficiat, cum Deo tamen negotium eſt; ideo Juramenti fractio, quod perjurium dicitur, gravi pœna feritur, nec minori æſtimatur, quam adulterium, fornicatio, homicidium ſponte commiſſum ex Euthychiano PP. *(b)*.

IV. *Eſt enim Jusjurandum affirmatio Religioſa. Quod autem affirmante, quaſi Deo teſte, promiſeris, id tenendum eſt*, ipſe ethnicus Cicero docet (off. 3.) Contra igitur Religionem, ac venerationem Divini Nominis perjurii flagitium eſt, non obſtantibus verbis aliter a mente prolatis, penitus damnata nonnullorum temera excuſatione, dicentium: jurata lingua eſt, mente juravi nihil: teſtante divo Auguſtino *(c)*. Perjuri ſunt, qui ſervatis verbis expectationem eorum, quibus juratum eſt, deceperunt. Et S. Iſidorus *(d)*: *quacumque arte verborum*

(a) *Off. 3. Cap. 9. de Fortitud.*
(b) *In Can. prædicendum eſt, etiam ut perjurium fideles caveant 17. ſine fin. 22. q. 1.*
(c) *Epiſt. 224.*
(d) *Lib 2. de ſum. bono c. 31. cit. cauſ. 22. q. 5. 1. quacumque.*

Digitized by Google

*borum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei Nomen in vanum aſſumit, & Proximum dolo capit.*

V. Verba enim Jurisjurandi ſtricte accipienda, neque ultra receptum loquendi morem extendenda ſunt: itaut non dilatetur, aut amplius accipiatur interpetrando; ſed hoc tantum, quod vulgo ſic dicitur, & Deus, qui teſtis invocatur, tamquam ut teſtis ſit, ac vindex (ut Supremus Dominus puniendi Jus habens) perfidiæ ultio, quæ poſcitur, ipſe, qui ſcit omnia, ultor erit; & ideo omne Jusjurandum in diras deſinit; ſi quis perjuraverit. Ethnici quoque teſtabantur, inquit Plutarcus (*a*). Hinc Cicero (*b*), quæ pœna a Diis immortalibus Perjuro, hæc eadem mendaci conſtituta eſt, non enim ex pactione verborum, quibus Jusjurandum comprehenditur, ſed ex perfidia, & malitia, per quam inſidiæ tenduntur alicui, Dii immortales hominibus iraſci, & ſuccenſere conſueverunt.

VI. Juramenti enim cauſa eſt, ut qui jurat, veritatem dicat, quia omnis, qui jurat, ad hoc jurat, ut quod verum eſt, eloquatur (*c*), in firmitatem namque ejus quod dicitur, quod verum ſit, Deus teſtis advocatur, qui Veritas eſt: Ex Hieronymo (*d*) illis verbis: ſed quod melius eſt Deo id exhibere, quam Dæmonibus, quia Deus fons eſt veritatis, Dæmones Mendacii; qui vero Mendacium dicit, & jurat, Dei nomen in vanum aſſumit, & tantum ſcelus committit, ex Iſidoro (*e*) Juramenti Religio tanta eſt, ut qui in Sanctos audet jurare, hoc, dici ſolet, jejunus faciat, ne incaute jurat, ſed cum omni honeſtate, & timore Dei, ex Cornelio PP. (*f*) Aurea notanda Divi Joannis Chryſoſtomi ſententia (*g*): Si credis veracem eſſe eum, qui cum ſibi negotium eſt, noli ei Jurisjurandi imponere neceſſitatem, quod ſi ſcis fore, ut mentiatur, ne coge eum & perjurare (*h*), cum antea animadvertiſſet tutius eſſe a Juramento ſervari. Periculoſum enim de ſuo actu jurare: Cum multa Nobis eripiat ipſa rerum Natura ſubjecta caſibus: Et in hoc ſenſu, ſcilicet, non aſſertorium certum Juramentum, quando neceſſitas imperat, ſed ad incertum, ac promiſſorium futuri incerti explicantur verba Chriſti Domini: Audiſtis dictum eſt antiquis, non pejerabis, ſed reddes Domino Juramentum (*i*). Non pejerabis, reddes autem Domino Juramenta tua. Ego vero dico vobis, ne jurate omnino, & ratio, quam S.Jacobus adjicit: ne fallaces inveniamini, ut apparet Job. (*k*) & verbis Philonis Hebræi (*l*) utamur, nempe: optimum, atque utiliſſimum, & rationali naturæ convenientiſſimum eſt Juramento abſtinere, atque ita ſe veraciter aſſuefacere.

VII. Juramentum exigendum ab eo non eſt, neque expetendum, quem falſo juraturum exiſtimamus, ne ille perjurium faciat; & Nos faciendi cauſa ſimus; (ex Aug. in Can. ſi peccatum eſſet juratio 14. ibique Gratianus §. ex præmiſſis colligitur 22. qu. 5. Vide Ricc. Epiſcopum Vici. dec. 2. n.2. par.4.

VIII. Ad

(a) *Queſt. Rom.*
(b) *Pro Roſcio Comedo.*
(c) *Ex Can. Iram hæc cauſa eſt. 22. in init 22. qu 5.*
(d) *In Can. conſidera quod hic ſalvator 8 22. q 1. in fine.*
(e) *In Can. quacumque arte verborum quiſque juret 9. 21. q. 5.*
(f) *In Can. honeſtum etiam videatur ib. 22. qu. 5.*
(g) *De ſtatut. c. 15.*
(h) *G. 12.*
(i) *Ex Deuit 19.*
(k) *C. 24. verſ. 30. Matt. 24. 51.*
(l) *In Decalogo.*

VIII. Ad praxim igitur devenimus: Juramentum ut ſit licitum, tres Comites habere debet, Judicium, Juſtitiam, & veritatem, hoc eſt, ut verum ſit, quod juratur; ſitque juſtum, & cum reverentia Deo debita fiat: Non autem leviter, ſed diſcrete, & ex cauſa neceſſaria; Conſiderando locum, cauſam, tempus, & cæteras circumſtantias, & cum Judicio, non præcipitanter, & temere feratur *(a)*. Eſt enim Juramentum aſſertio, vel negatio de aliquo licito poſſibili, & honeſto Sacræ rei atteſtatione firmata *(b)*. Eſtque duplex, Aſſertorium, & Promiſſorium: Aſſertorium, aliud de calumnia, aliud de veritate dicenda. Promiſſorium vero de faciendo, de perſolvendo, de judicio ſiſti, & judicatum ſolvendo, & his ſimilia *(c)*.

IX. Licitum efficitur juramentum novem de cauſis, ſeptem propter bonum introducendum, & duabus propter malum amovendum. Primo pro veritate confirmanda *(d)*. Secundo, pro veritate declaranda, quia in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum *(e)*. Tertio, pro pace confirmanda *(f)*. Quarto, pro Amicorum animis conciliandis *(g)*. Quinto, pro fidelitate ſervanda, pro qua venerunt Senes Iſrael ad Regem, qui percuſſit cum eis fœdus coram Domino *(h)*. Sexto, pro Fide, pro Obedientia, & pro veritate, ſicut juraverunt viri Galilæi ad Jepte *(i)*. Septimo, pro Conſuetudine Eccleſiæ ſervanda, pro ut Canonici Juramentum præſtant; Et filii Iſrael juraverunt ſe Domino ſervituros *(k)*. Octavo, pro Calumnia evitanda; ut quando præſtatur Juramentum de Calumnia, quod præſtari poteſt in qualibet parte litis, tam ante, quam poſt lites conteſtationem *(l)*. Nono, pro Infamia tollenda, quæ Juramento, & Teſtibus purgatur (extra de Purgationibus, Can. per totum) Unde verſus;

*Pax, & fama, Fides, Reverentia, Cauſa damni*
*Defectus veri, ſibi poſcunt Magna caveri. (m)*

X. Illicitum Juramentum pluribus modis dicitur. Primo ex perſona jurantis, ut ſunt Impuberes, quorum Juramenta non tenent *(n)*. Secundo eſt illicitum ex perſona, cui juratur, ut cum Clericus in manibus Laici jurat, quod non licet *(o)*. Tertio ex cauſa turpi obligatoria ad hoc impellente; ut quando Herodes filiæ Saltatricis juravit, licet tolerabilius fuiſſet promiſſum non facere, quam facere, quod turpe fuit *(p)*. Quarto eſt illicitum ex modo, ut quando temere, & indiſcrete, aut ſine neceſſitate juratur, ut fecit Jepte, qui cum indiſcrete juraſſet, ſe immolaturum, quod ei victori, redeunti de prælio primitus occurriſſet: Filiam unicam, quæ ei primo præ gaudio illius victorioſi Adventus occurrit, occidit *(q)*. Quinto eſt illicitum ex tempore, ut

ſi Do-

(a) *C.jurab.22.Navar.in C.12.n.2.103. Graf.dec.aur.C.3.n & 4.lib.2.parte 12.*
(b) *Auguſt.in Sum.n.1.de Jurejurando.*
(c) *§.quot ſunt ſpecies n.3.eodem.*
(d) *C.non eſt 22.q.1.Can.quamquam 14.q.2.& Can.fin.de Jurejurando.*
(e) *Licet de Teſtam.*
(f) *Cap.omne quod 21.*
(g) *Cod.1.cap.omne, & cap.novit.de Judic.*
(h) *2.Reg.cap.5.& cap.ſignific.de elect.*
(i) *Judic.11.& cap.ſignificaſti §.ajunt. verſ.hac nim.de elect.*
(k) *Exod c.24.*
(l) *Cap.1.de Juram.Calum.in 6.*
(m) *Gloſ.in cap.ſignif.in verbo pro veritate de elect. Cap. Nullus de Jurejurando ex Graf.dec.aurea cap.15.n.5.lib.2.*
(n) *Cap.Pueri, & cap.honeſt.22.qu.5.& l.qui juraſſe ff.de Jurejurando.*
(o) *Cap nullus 22.q.5.*
(p) *Cap.unuſquiſ.22.qu.4.C.Innoc.§ unde uſus eſt enim 22.Ead.q.4.*
(q) *Jud.in d.c.22.in fin. in cap. ſi non licet, §.ſed his except. 23.qu.5.d.C.unuſquiſ., & cap.ergo eod.22.qu.1.*

ſi Dominicis, vel aliis feſtis, & prohibitis diebus in Judicio jurejurarent (a).

*Theſes contra Perjurium ab Innoc. XI. damnata.*

Vocare Deum in Teſtem Mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

*Num. XXV.*

Cum cauſa licitum eſt ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

*Num. XXVI.*

Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit: intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit: vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, non eſt perjurus.

*Num. XXVII.*

Cauſa juſta utendi his Amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem Corporis, honorem, res familiares tuendas; vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

## C A P U T XVII.

### *De Uſuris.*

I. JUre Divino, imo & naturali vetitas uſuras eſſe definitur, Jure præſertim Canonico (b): mutuum enim gratuitum eſſe oportet, præcipiente Chriſto Domino illis verbis: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Idcirco adeo eſt uſura omni Jure prohibita, ut ſi quis pertinaciter aſſereret eſſe permiſſam, vel non peccatum lethale continere, hæreticus cenſeatur; prout definitum legimus in œcumenico Viennenſi Concilio in Clementina (c); neque conſuetudo (quæ potius tanquam corruptela circa uſuras ejicienda eſt) excuſat a reſtituendi obligatione; quoniam uſuras ſolvens ſemper coacte ſolviſſe præſumitur (d). Imo in Jure uſurarius manifeſtus in multas incidit pœnas, & præcipue privatur condere Teſtamentum, & conditum annullatur. Incapax quoque efficitur Sanctiſſima Communione; atque Eccleſiaſtica Sepultura, & tanquam infamis, & criminoſus a Teſtimonio repellitur (e).

II. Inde Eccleſiæ lumina Doctores ſtrenue hanc luem inſectati ſunt. S.Hieronymus (f) ait: *Putant quidem, uſuram tantum eſſe in pecunia, quod providens ſcriptura Divina omnis rei aufert ſuperabundantiam, ut plus non capias, quam dediſti*. Lactantius de officiis tractans hominis Chriſtiani (g). *Non dabit*, inquit, *in uſuris pecuniam: hoc eſt enim de alienis malis lucra captare*. S.Ambroſius de officiis (h): *Subvenire non habenti humanitatis eſt; duritia autem plus extorquere, quam dederis*. S.Cyprianus de Lapſis: *Gravia peccata numerans*, addit: *uſuris multiplicantibus fœnus augere*.

K III.

(a) *C.decrevit eod 22 qu.5.*

(b) *Can.25.Matth.q.171.& 172.*

(c) *Clem.unic.tit.de uſur.§ vult.can.conſuluit de uſur.cauſ.14 q 3.& 4. Covar. variar.reſol lib.3.c.1.S.Th.2.2.q.78.art.1.& paſſim DD.*

(d) *Rot.p.16. Decembris dec.419.n 8. Specul.dec.91.n.81.& 82. Farinac.q.95.n.5.& ſeq.*

(e) *C.Quia in omnibus de uſur.Menoch. de arbit.cap.435.n.1.& 398. ubi late de pœnis uſur.Covar.*

(f) *In cap.17.Ereth.*

(g) *Epiſt.Inſtit.c.2.*

(h) *3.c.2.*

III. S.Chryſoſtomus (*a*) : *Si jejunes , vide ne pecuniam tuam colloces fœnori ; jejunes ? rumpe violentorum pactorum cautiones* : Et in cap. ultimo ad Corinth. : *Pecuniam fœnore paratam , non magis , ſi in eleemoſynam detur ; Deo acceptam eſſe, quam ſi detur ex quæſtu meretricio* .

IV. S.Auguſtinus (*b*) : *Quid dicam de uſuris , quas etiam ipſæ leges, & Judices reddi jubent ? ita crudeliter eſt qui ſubtrahit aliquid , vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore* .

V. S.Maximus (*c*): *Recte,Frater, frequentabis Eccleſiam,ſi greſſus tuos lethalibus laqueis avida illa non implicet, & involvat uſura* . His adde Baſilium (*d*);& quæ in Conciliis, Sanctiſque Scriptoribus collegit Gratianus (*e*) .

VI. Uſura itaque nihil aliud refert,quam lucrum immediate ex mutuo proveniens , & pro lucro intelligitur quicquid temporale pretio æſtimabili percipitur , ut pecunia , munus , obſequia , & ſimilia ; & præter realem , ſeu externam, nempe pacto intercedente, adeſt etiam mentalis, ſive interna ; cum quis mutuat intentione lucrandi, licet nullo inito pacto .

VII. Damnum vero conſequens , ſeu emergens , & lucrum ceſſans, dummodo vere , & realiter verificantur ( non autem fictitie , & verbo tenus ſomniantur)aliquid ultra ſortem exigi permittunt,deductis labore,& expenſis, quas mutuans ipſe feciſſet in negotiatione pecuniæ,vel rei retentione,ad hoc, ut ſervetur æqualitas(in Contractibus quibuſcumque natura ipſa æqualitatem imperat), ne plus exigatur, quam par eſt (*f*): *Pretia enim rerum*,inquit Paulus Juriſconſultus (*g*) *non ex affectu , aut utilitate ſingulorum , ſed communiter finguntur , ideſt , ut alibi explicat , quanti omnibus valeret* . Quapropter frumenta mutuo dari ſolita, vel vendi pecunia credita , non niſi ad pretium communiter taxatum exigi, ſine labe uſuræ, poſſunt ; quoniam pretium rei debet ſtatui, quod non unus, alterve vehementer appetens, aut magnas ex ea utilitates ſperans pro illo daret , ſed quod ei ſenſus , & origo ( in his Regionibus vulgo dicitur *alla voce* ) communis attribuit .

VIII. Verum enim vero multoties palliatur uſura . Primò ſub ſpecie contractus cenſualis , cum re vera ſit mutuum : Quoties enim cenſus conſtituitur , omiſſis conditionibus & pactis a Martino V. , & Nicolao V. probatis : puta ſi creditor facultatem ſibi reſervet repetendi ſortem ; aut ſi bona immobilia debitor hypothecæ non ſubijciat ; contractus erit procul dubio fœneratitius . Secundò in contractu avertendi periculum , quem *Aſſicurationem* vocant ; nam periculi hujus pretium ex communi æſtimatione ad tramites Juris petendum eſt ; non enim fas eſt ſimulare periculum , quod nullum eſt , & pretium pro eo paciſci . Tertiò , in ſocietate negotiatoria, ubi ſi confertur pecunia cum pecunia , & pecuniæ æquales etiam oportet partes in damno , & lucro : ſi inæquales fuerint ; partes quoque fient pro rata . Itidem ſi operæ aut æquales , aut inæquales conferantur : vel ſi alius operam , alius pecuniam , vel rem aliquam , æqualis oportet ſit operæ , pecuniæ , vel rei traditæ fructus . Tanti enim æſtimatur labor operantis, quanti ſors ab altero contributa , ut dici ſolet ; ſcilicet , æquipondio , vel æquum reddere , ac compenſari Par pari datum hoſtimen-

(a) *De Jejunio* 5.
(b) *Epiſt.*54.
(c) *Hom.*3.*de Quadrageſima*.
(d) *In Serm.Dom.in Monte* .
(e) *Cauſ.*14.*q*.3.& 4.
(f) *Inſtit. de mandato* §.*ult.l.*1.§.*ſi quis ſervum de depoſito* .
(g) *L.*63.*ff.ad l.falcid.l.*23.*ff.ad l.Aquil.*

mentum eſt opera pro pecunia; Sed hæc collatio his modis fieri licet; aut opera confertur cum ſolo pecuniæ, vel rei traditæ uſu, quo caſu ſors Domino perit, vel ſalva eſt; Aut opera confertur cum ipſo pecuniæ, vel ſortis collatæ Domino, quo caſu, qui operam impendit, particeps ſit ſortis *(a)*.

IX. Ut autem ſociorum aliquis lucri ſit particeps, immunis damni; Eſt quidem præter naturam ſocietatis. Poteſt tamen conveniri ſine injuria, dummodo ſervetur æqualitas, cum fideliter ( non vi, dolo, non coactione, neque capitis intercedente diminutione ob ſocii forſitan urgentem paupertatem ). Fiet mixtus Contractus ex ſocietate, & ex contractu averſi Periculi, ſive aſſicurationis, in quo ita ſervabitur æqualitas, ſi tanto plus lucri ferant, quam alioqui laturus fuerat, qui in ſe damnum recepit: Ut autem quis majus damnum ſentiat ſine majori lucro; ideo admittendum non eſt, quia naturalis eſt ſocietati utilitatum, ſervata proportione periculi, laboris, ac principalis ſortis Communio, ut ſine ea nequeat ſocietas conſiſtere *(b)* omniſque ſocietas eſt illicita, ac uſuraria, in qua quis vult ſocius eſſe in lucro, & non in damno.

## THESES CONTRA USURAS CONFLICTÆ

*Num. XLII. ab Alex. VII.*

Licitum eſt mutuanti aliquid ſupra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem, uſque ad certum tempus.

*Num. XL. ab Inn. XI.*

Contractus Mohatra licitus ſit, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retroventionis præviæ inito cum intentione lucri.

*Num. XLI. ab eodem.*

Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt Creditor aliquid ultra ſortem a Mutuario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

*Num. XLII. ab eodem.*

Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur, tanquam ex Juſtitia debitum.

## C A P U T XVIII.

### *De Sententia Excommunicationis.*

I. DIvina excommunicandi poteſtas, tamquam gladius reſecandi improbos, tuendi bonos pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ regimine, pro contumacia coercenda, ac Chriſti Fidelibus, abdicata prorſus præſumptione, & contemptu, in debita obedientia ſervandis, Eccleſiæ tradita per illa Chriſti Domini verba *(c)*: *Quod ſi non audierit, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus: Amen dico vobis: quacumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cœlis: Et quacumque ſolueritis ſuper Terram, erunt ſoluta, & in Cœlis.* Ex Bonif. VIII. (in Extravaganti un. l. Eccleſiæ 2. in §. eſt autem hæc Authoritas *Qua* 2. de Major., & obedientia inter Com.).

 II.

(a) *Nav 17 n.250 Covar. 3. v. c. 2. Leſſ. lib 11.2 25 dub 3.*

(b) *L. ſi non ff. pro Socio Aug. verb. Societas 1. §. 7. Sylv. verb. Societas q. 2. Novar. 17 n.255. Covar. & Leſ. loc. cit.*

(c) *Matth. 18. v. 17.*

II. Qua uſus eſt Apoſtolus tradens Corinthium ingeſtuoſum Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus ſalvus eſſet ( Epiſt. ad Corinth. c. 5. ) & quidem poſtea ejuſmodi mucrone ab ejus putrida ſanie curatum, ac reſipiſcentem propere, & oranter priſtino Fidelium conſortio, ac Communioni reſtituit (2. Corinth. c. 2. ), & ſimiliter Blaſphemos illos (ad Timoth. 1. in fin. ) ; *Ex quibus*, inquit, *eſt Hymenaus, & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare*. Ibique S. Chryſoſtomus *(a)* Excommunicationem, & Reſecationem a Corpore Chriſti intelligit;ita ut nulla cum eis Fidelium eſſet communio, nulla ſpiritualium ſuffragiorum participatio *(b)*.

III. Eſt autem diſciplina non eradicatio ad ædificationem, non ad deſtructionem, quin medicinalis, non Mortalis *(c)*, Gladius quidem ſpiritualis, ſeu Mucro Epiſcopalis, quo Eccleſia non occidere, ſed vivificare intendit *(d)*, ac maxima pœna, quæ damnatio nominatur, qua nulla eſt major *(e)* ex Divo Auguſtino teſtante : *Gravior eſt, quam ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubjiceretur (f)*.

IV. Idcirco, non niſi caute, diſcrete, juridice, præcedente trina monitione, atque omni habita circumſpectione adhibenda præcipitur a Tridentino ( ſeſ. 25. c. 3. de refor. ), ab eoque mandatur omnibus Judicibus Eccleſiaſticis cujuſcumque Dignitatis exiſtant, ut in omnibus Judiciis quandocumque executio Realis, vel Perſonalis in qualibet parte Judicii propria Authoritate ab ipſis fieri poterit, abſtinendo ſe, tam in procedendo, quam definiendo, a Cenſuris Eccleſiaſticis. Et ratio affertur a Cardinali de Luca *(g)* hoc dilemmate : „ Aut debitor idoneus eſt, aut non ; ſi idoneus, de facili cum executio- „ ne Reali, & Perſonali cogi poteſt ; Et ſi non eſt idoneus, non intrant Cenſu- „ ræ, ad quas deveniri non poteſt contra eum, qui ex impotentia non implet, „ & n.14.concludit : Magna reprehenſione,imo punitione digni ſunt Epiſcopi, „ aliique Prælati, & Officiales Eccleſiaſtici,præſertim vero *quidam Commiſſa- „ rii Cameræ Apoſtolicæ*, qui in hoc adeo lubrici ſunt,cum maximo hujus Ec- „ cleſiaſtici remedii præjudicio.

V. Fundamentum enim Cenſuræ nemo ignorat, eſſe peccatum mortale proprium grave Contumaciæ, & Inobedientiæ, quo quis pertinaciter Eccleſiæ obedire recuſat *(h)*. Eo igitur corruente, cenſuram quoque corruere æquum eſt ; idque clare patet ex Decretali Greg. PP. IX. *(i)* ibi clarius Gloſſa adnotat : quod „ Qui ſolvere, vel ſodisfacere non poteſt, non eſt excommuni- „ candus, ſed præſtet idoneam cautionem, quod ſolvet, quam cito poterit, „ ideſt, ut proſequitur idem Textus,ſi ad pinguiorem fortunam devenerit. Atque explicans verba illa *Odoardum Clericum* debitum propter rerum inopiam ſolvere non valentem,ſubdit : „ Et ideo inanis eſt actio,quam inopia de- „ bitoris excludit *(k)*, quia, qui nihil habet, nihil dare poteſt *(l)*. Et impoſſi- „ bile

(a) *Apud Guillian. Epiſt. 1. ad Tim. c. 1. in fin.*

(b) *Can. notandum eſt, quod quidam 37. in fin. verb. 24. q. 3.*

(c) *Moc. IV. in Con. Lugd. c. medic. de Sent. Exc. inb.*

(d) *C. inter hæc c. 33. q. 2. C. viſis liter. 1. in fin q. 2.*

(e) *C. corrigatur 17. 24. q. 3.*

(f) *Cont. adverſ. leg., & Proph. c. 17.*

(g) *Diſcuſ. 34. ad d. ſeſſ. 25. c. 3. n. 9.*

(h) *Alonſ. Ric. in prax. excom. reſol. 448. ex cap. qua fronte de Ap. cap. ſign. de off ord. cap. non ab hom. de Iud. cap. cum ſi* Rom., & *cap.* Frater. de Cler. Excom. Miniſtr.

(i) *Decret. tit. 23. de ſol. c. 3. Oduard. Cler.*

(k) *ff. de dolo, nam is. Et de reſtitut. Spoliat. olim.*

(l) *1. q. 7. de imputum ff. de fur. itaque Fullo in principio.*

„ bile præceptum non obligat *(a)*. Impoſſibilium enim nulla eſt obligatio *(b)* Et
„ tandem concludit: Quód ſi certus eſſet Judex, quod nihil ſolvere poſſet, vel
„ ſi ceſſiſſet bonis, ſententia non tenuiſſet, vel ſi tenuiſſet, injuſta tamen fuit.
„ Et Judex tenetur ſibi ad intereſſe; Etenim in eodem Decretalium lib. 5. :*(c)* Ita
„ ſtatuitur, nempe: Cumque adverſus Excommunicatorem de injuſta Excom-
„ municatione conſtiterit, Excommunicator condemnetur ad intereſſe Ex-
„ communicato; Alias nihilominus, ſi culpæ qualitas poſtulaverit, Superio-
„ ris arbitrio puniendus: Cum non levis ſit culpa tantam infligere pœnam In-
„ ſonti.

VI. Inſuper Monitoria ad finem detegendi veritatem, non lubrice, ſed mature relaxentur, & non niſi in ſubſidium, & quando veritas aliunde probari nequeat, ex ipſo Sacro Concilio *(d)* prioribus illis verbis, ſcilicet: „ Cum ex-
„ perientia doceat, ſi temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis con-
„ temni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem. Quapro-
„ pter Excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis ad finem reve-
„ lationis, ut ajunt, aut pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus ferri ſolet....
„ Non alias, quam ex re non vulgari, cauſaque diligenter, ac magna matu-
„ ritate per Epiſcopum examinata, quæ ejus animum moveat.... Ejus arbi-
„ trio, & conſcientia, quando ipſe pro re, loco, Perſona, aut tempore eas
„ decernendas eſſe judicaverit.

VII. Parochos propterea monemus, ut Populum erudiant, Cenſuras pertimeſcere, & præſertim cum Monitoria prædicta, hujus Curiæ Delegatione, ab ipſis evulgari contingerit: Explicando Excommunicationem eſſe Cenſuram Eccleſiaſticam, quæ privat hominem Chriſtianum tantis Eccleſiæ bonis, Fidelibuſque Communibus, Sanctorum Communione, Participatione Sacramentorum, Suffragiorum, Indulgentiarum: Communicatione in Divinis Officiis: Sepultura Eccleſiaſtica: Civilibuſque Commerciis, cæteriſque, quæ continentur hoc verſu:

*Os, orare, vale; Communio menſa negatur.*

VIII. Adeoque, ſive juſta, ſive injuſta timenda ex Divo Gregorio *(e)*. Indecet proinde homini Chriſtiano vincula Eccleſiaſtica contemnere, cum non homo ſit, qui ligat, ſed Chriſtus, qui Eccleſiæ ſponſæ ſuæ hanc poteſtatem contulit *(f)*; per quam ſeparatur a corpore Chriſti, & non eſt amplius ejus membrum; neque vegetatur ſpiritu ejus *(g)*.

IX. Regulares pareant Sacris Conciliis Viennenſi (in Clem. de ſententia Excommunicationis) ac Tridentino (ſeſſ. 25. de Regul. cap. 12.). Ubi cenſuræ, & Interdicta, nedum ab Apoſtolica Sede inflicta, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, ut præcipiuntur, a Regularibus in eorum Eccleſiis publicari, atque ſervari. Quod, ut Epiſcopi mutuo inter ipſos obſervent, declaravit Inn. III. ita ſcribens Archiepiſcopo Rothomacenſi (Can. ad reprimendam de off. Judic. ordin.): *Sicut latas a vobis in ſubditos cenſuras vultis, ut alii obſervent; ita latas ab aliis & vos ipſi ſervetis, & a veſtris faciatis ſub-* ditis

(a) *ff quæ ſent. l. Paulus* 2.
(b) *ff. de Reg Iur impoſſ.*
(c) *Tit 39. c. 48 Sacro §. cumque.*
(d) *Cit Seſ. 25 c. 3.*
(e) *In Can. Sent. Paſt.* 1. 11. *q.* 3.
(f) *Ex Divo Criſoſth. in Can. nemo Contem. formidor. Chriſtian.* 33. *eidem* 11 *q.* 3.
(g) *Ex ipſo Chriſt. in cap. nihil, ſic debet formid. Chriſtianus* 33. *ead.* 11. *q.* 3.

*ditis obſervari (a)*; *Prælati etenim ſibi mutuum conſilium, & auxilium præſtare tenentur (b)*.

Ultimo, quæ denique diximus de Excommunicatione, eodem ferme modo intelligenda eſſe de aliis Cenſuris, ſtatuimus = Cajetanus Epiſcopus Nuſcanus = Canonicus D. Andreas Santagata Notarius Apoſtolicus, ac Synodi Secretarius.

## PARS SECUNDA

### *De Sacramentis ad Ritualis Romani Præſcriptum Adminiſtrandis.*

CUm Paulus V. fel. rec. (In Præfat. Rit. Rom.) juſſerit Univerſis, & ſingulis, ubique Locorum exiſtentibus, ad quos ſpectat: „Ut in poſterum tanquam Ec„cleſiæ Romanæ Filii, ejuſdem Eccleſiæ Omniū Matris, & Magiſtræ auctoritate „conſtituto Rituali in Sacris Functionibus utantur, & in re tanti momenti, quę „Catholica Eccleſia, & ab ea probatos uſus antiquitatis, ſtatuit, inviolate ob„ſervent: Scitu dignum ſummopere cenſemus tum quod Sacroſancta Tridenti„na Synodus de iis Ritibus decrevit (c); Nimirum: *Si quis dixerit: Receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, Anathema ſit.* „ Item, quod ab Innocentio XI. proſcriptum fuerit „in damnatis Propoſitionibus, n. 1. his verbis: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

Non enim decet, ut membra a Capite diſcrepent, nec contraria gerant (Gloſſa Marginalis explicat: *aut aliter gerant (d)*); ac proinde operæ pretium exiſtimavimus, Formulas ipſas, doctrinas, & materias Sacramentorum in præfato Rituali præſcriptas, in hac Synodo apponere; atque Librum adeo ſcitu neceſſarium, & non niſi Parochis notum, a quibus dumtaxat in Baptiſterio reſeratum, in Sacramentis miniſtrandis præpropere, quod refert, traſcurritur; Et quod ſcitur a paucis, neceſſe eſt, ut ignoretur a plurimis; ad ejuſmodi ignorantiam auferendam omnibus aperire.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Sacramento Baptiſmi Rite Adminiſtrando.*

*Ex Rituali Romano.*

SAcrum Baptiſma, Chriſtianæ Religionis, & æternæ vitæ januam, quod inter alia novæ legis ſacramenta a Chriſto inſtituta, primum tenet locum; cunctis ad ſalutem neceſſarium eſſe, ipſa veritas teſtatur illis verbis (e); *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Itaque ſumma ad illud opportune, riteque adminiſtrandum, ac ſuſcipiendum, diligentia adhibenda eſt.

Cum

(a) *Et lib. 1. Decretal. tit. 34. c. Treguas, & Alex. III in conc. Lateranſ.*

(b) *In dict. de Tregua, & diſt. 39. præcipimus, & Cap. Prælat.*

(c) *Seſſ. 7. Can. 13.*

(d) *De Conſecr. diſt. 3. cap. 22. Celebritatem.*

(e) *Joann. 3. C. Nulla præter de Conſ. diſt. 4.*

Digitized by Google

Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia ſint de jure Divino abſolute neceſſaria, ut Materia, Forma, Miniſter; Alia ad illius ſolemnitatem pertineant, ut Ritus, ac Cæremoniæ, quas ex Apoſtolica, & antiquiſſima traditione acceptas, & approbatas, niſi neceſſitatis cauſa, o nittere non licet: De iis aliqua præmonenda ſunt, ut Sacrum hoc miniſterium rite, ac ſancte peragatur.

### *De Materia Baptiſmi.*

Ac primum intelliget Parochus, cum hujus Sacramenti Materia ſit aqua vera, & naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi poſſe.

Aqua vero ſolemnis Baptiſmi ſit eo anno benedicta in Sabato Sancto Paſchatis, vel Sabato Pentecoſtes, quæ in fonte mundo nitida, & pura diligenter conſervetur; & hæc quando nova benedicenda eſt, in Eccleſiam, vel potius baptiſterii Sacrarium, effundatur.

Si aqua benedicta tam imminuta ſit, ut minus ſufficere videatur, alia non benedicta admiſceri poteſt, in minori tamen quantitate.

Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum, ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ ibique præſcribitur.

Sed ſi aqua conglaciata ſit, curet, ut liquefiat: ſin autem ex parte congelata ſit, aut nimirum frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, & admiſcere aquæ baptiſmali in vaſculo ad id parato, & ea tepefacta ad baptizzandum uti, ne noceat Infantulo.

### *De Forma Baptiſmi.*

Quoniam Baptiſmi forma his verbis expreſſa: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, omnino neceſſaria eſt: Ideo eam nullo modo liceat mutare, ſed eadem verba uno, & eodem tempore, quo fit ablutio, pronuncianda ſunt.

Latinus Presbyter latina Forma ſemper utatur.

Cum Baptiſmum iterare nullo modo liceat, ſi quis ſub conditione, de quo infra, ſit baptizandus, ea conditio explicanda eſt, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Hac tamen conditionali Forma non paſſim, aut leviter uti licet, ſed prudenter, & ubi re diligenter perveſtigata, probabilis ſubeſt dubitatio, Infantem non fuiſſe baptizatum.

Baptiſmus licet fieri poſſit aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem, primus tamen, vel ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu, pro Eccleſiarum conſuetudine retineantur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in modum Crucis uno, & eodem tempore, quo verba proferuntur, & idem ſit aquam adhibens, & verba pronuncians.

Ubi vero Baptiſmus fit per infuſionem aquæ, cavendum eſt, ne aqua, ex Infantis capite in fontem, vel in Sacrarium Baptiſterii prope ipſum Fontem extructum defluat, ſed in aliquo vaſe ad hunc uſum parato, recepta, in ipſius baptiſterii, vel in Eccleſiæ Sacrarium effundatur.

### *De Miniſtro Baptiſmi.*

Legitimus quidem Baptiſmi Miniſter eſt Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus: ſed quoties Infans, aut Adultus verſatur in vitæ periculo, poteſt ſine ſolemnitate a quocumque baptizari in qualibet lingua, ſive Clerico, ſive Laico etiam excommunicato, ſive fideli, ſive Infideli, ſive Catholico, ſive Hæretico, ſive Viro, ſive Fæmina, ſervata tamen forma, & intentione Eccleſiæ.



Digitized by Google

Sed ſi adſit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, & Vir Fæminæ, niſi pudoris gratia deceat Fæminam potius, quam virum baptizare Infantem non omnino editum, vel niſi melius Fæmina ſciret Formam, & modum baptizandi. Quapropter hortari debet Parochus, ut Fideles, præſertim obſtetrices rectum baptizandi ritum probe teneant, & ſervent.

Pater, aut Mater propriam Prolem baptizare non debet, præterquam in Mortis articulo, quando alius non reperitur, qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ Matrimonii uſum impediat.

*De Baptizandis Parvulis.*

Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos Infantes, ſive baptizandos, ſive baptizatos, quam primum fieri poterit, & qua decet Chriſtiana modeſtia ſine pompæ vanitate deferant ad Eccleſiam, ne illis Sacramentum tantopere neceſſarium nimium differatur cum periculo ſalutis, & ut iis, qui ex neceſſitate privatim baptizati ſunt, conſuetæ cæremoniæ, rituſque ſuppleantur, omiſſa forma, & ablutione.

Nemo in utero Matris clauſus baptizari debet. Sed ſi Infans caput emiſerit, & periculum Mortis immineat, baptizetur in Capite, nec poſtea ſi vivus evaſerit, erit iterum baptizandus. At ſi aliud membrum emiſerit, quod vitalem indicet motum, in illo, ſi periculum pendeat, baptizetur; & tunc ſi natus vixerit, erit ſub conditione baptizandus eo modo, quo ſupra dictum eſt: *Si non es baptizatus, Ego Te baptizo in nomine Patris*, &c. Si vero ita baptizatus, deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco Sacro ſepeliri.

Si Mater prægnans mortua fuerit, fœtus quamprimum caute extrahatur, ac ſi vivus fuerit, baptizetur; ſi fuerit mortuus, & baptizari non potuerit, in loco Sacro ſepeliri non debet. Infantes expoſiti, & inventi, ſi re diligenter inveſtigata, de eorum baptiſmo non conſtat, ſub conditione baptizentur.

In Monſtris vero baptizandis, ſi caſus eveniat, magna cautio adhibenda eſt, de quo, ſi opus fuerit, Ordinarius Loci, vel alii periti conſulantur, niſi Mortis periculum immineat.

Monſtrum, quod humanam ſpeciem non præſeferat, baptizari non debet, de quo ſi dubium fuerit, baptizetur ſub hac conditione: *Si tu es homo, Ego Te baptizo*, &c.

Illud vero, de quo dubium eſt, una ne, aut plures ſint perſonæ, non baptizetur, donec id diſcernatur: diſcerni autem poteſt, ſi habet unum, vel plura capita, unum, vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda, & animæ, hominesque diſtincti, & eo caſu ſinguli ſeorſum ſunt baptizandi, unicuique dicendo: *Ego Te baptizo*, &c. ſi vero periculum Mortis immineat, tempuſque non ſuppetat, ut ſinguli ſeparatim baptizentur, poterit Miniſter ſingulorum Capitibus aquam infundens, omnes ſimul baptizare, dicendo: *Ego Vos baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Quam tamen formam iis ſolum, & in aliis ſimilibus mortis periculis ad plures ſimul baptizandos & ubi tempus non patitur, ut ſinguli ſeparatim baptizentur, alias nunquam licet adhibere.

Quando vero non eſt certum, in Monſtro eſſe duas perſonas, ut quia duo capita, & duo pectora non habet bene diſtincta, tunc debet primum unus abſolute baptizari, & poſtea alter ſub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, Ego Te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

*De Patrinis.*

Parochus, antequam ad baptizandum accedat, ab iis, ad quos ſpectat, exquirat

quirat diligenter, quem, vel quos ſuſceptores, ſeu Patrinos elegerint; qui Infantem de Sacro Fonte ſuſcipiant, ne plures, quam liceat, aut indignos, vel ineptos admittant.

Patrinus unus tantum ſive Vir, ſive Mulier, vel ad ſummum unus, & una adhibeantur ex Decreto Concilii Tridentini; ſed ſimul non admittantur duo Viri, aut duæ Mulieres, neque ipſius baptizandi Pater, aut Mater.

Hos autem Patrinos ſaltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis conſignatos eſſe maxime convenit.

Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non eſſe admittendos Infideles, aut Hæreticos, non publice excommunicatos, aut interdictos, non publice crimino ſos, aut Infames, nec præterea qui ſana mente non ſunt, nec qui ignorant rudimenta fidei. Hæc enim Patrini ſpirituales Filios ſuos, quos de baptiſmi Fonte ſuſceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur.

Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujuſvis Ordinis Regulares a ſæculo ſegregati. Et neque ullus Eccleſiaſticus, niſi licentia obtenta Epiſcopi, ex laudabili præſertim hujus Diœceſis conſuetudine.

## *De tempore, & Loco adminiſtrandi Baptiſmi.*

Quamvis Baptiſmus quovis tempore, etiam Interdicti, & ceſſationis a Divinis, præſertim ſi urgeat neceſſitas, conferri poſſit: Tamen duo potiſſimum ex antiquiſſimo Eccleſiæ ritu Sacri ſunt dies, in quibus ſolemni cæremonia, hoc Sacramentum adminiſtrari maxime convenit: Nempe Sabbatum Sanctum Paſchæ, & Sabbatum Pentecoſtes, quibus diebus baptiſmalis Fontis aqua rite conſecratur. Quem ritum quatenus fieri commode poteſt, in Adultis baptizandis, niſi vitæ periculum imminea t, retineri decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis, aut Cathedralibus Eccleſiis.

Ac licèt, urgente neceſſitate, ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius baptiſmi adminiſtrandi locus eſt Eccleſia, in qua ſit Fons Baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam.

Itaque, neceſſitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, niſi forte ſint Regum, aut Magnorum Principum Filii, id ipſis ita depoſcentibus; dummodo id fiat in eorum Cappellis, ſeu Oratoriis, & in aqua Baptiſmali de more benedicta.

Baptiſterium ſit decenti loco, & forma, materiaque ſolida, & quæ aquam bene contineat, decenter ornatum, & cancellis circumſeptum, ſera, & clave munitum, atque ita obſeratum, ut pulvis, vel aliæ ſordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri poteſt, depingatur imago Sancti Joannis Chriſtum baptizantis.

## *De Sacris Oleis, & aliis Requiſitis.*

Sacrum Chriſma, & Sanctum Oleum, quod & Catechumenorum dicitur, quorum uſus in Baptiſmo eſt, eodem anno ſint ab Epiſcopo de more benedicta, Feria quinta in Cœna Domini.

Curet Parochus, ut ea ſuo tempore quam primum habeat, & tunc vetera in Eccleſia comburat.

Veteribus Oleis, niſi neceſſitas cogat, ultra annum non utatur: Ac ſi deficere videantur, & Chriſma, aut Oleum benedictum haberi non poſſit, aliud Oleum de Olivis non benedictum adjiciatur, ſed in minori quantitate.

Chriſma, & Oleum Sacrum ſit in ſuis vaſculis argenteis, aut ſaltem ſtanneis

neis bene obturatis, quæ vaſcula ſint inter ſe diſtincta, & propriam unumquodque inſcriptionem habeat majuſculis literis inciſam, ne quis error committatur.

Ad uſum vero quotidianum minora habeantur vaſcula ex argento, ſi fieri poteſt, aut ſtanno, ſive ſeparata, ſive etiam conjuncta, apte tamen diſtincta, & bene cooperta, & cum ſuis inſcriptionibus, ut ſupra, ne Parochus aberret, & unum pro altero ſumat, quod cavere debet diligenter.

In ea igitur ex majoribus vaſculis Chriſmatis, & Olei quod ſufficiat, infundatur, atque, ut effuſionis periculum caveatur, commodum erit in his vaſculis bombacium, ſeu quid ſimile habere, Oleo Sacro, & Chriſmate ſeparatim perfuſum, in quo pollex, cum opus eſt, ad inungendum immittatur.

Hæc vaſcula ita parata in loco proprio, honeſto, ac mundo, ſub clave, ac tuta cuſtodia decenter aſſerventur, ne ab aliquo, niſi a Sacerdote, temere tangantur, aut eis ſacrilege quiſpiam abuti poſſit.

Parochus, quantum fieri poteſt, curet, ne per Laicos, ſed per ſe, vel per alium Sacerdotem, vel ſaltem per alium Eccleſiæ Miniſtrum hæc Olea deferantur; caveat item, ne de iis quicquam ulli unquam tribuat, cujuſvis rei prætextu.

Sal, quod in os baptizandi immittendum eſt, ſit benedictum ſua peculiari benedictione, quæ infra præſcribitur, neque utatur ſale exorcizato ad benedicendum aquam, ſitque prius bene confractum, & attritum, ſiccum, ac mundum: Sal ita benedictum nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, ſed ad alios baptizandos ſervetur, aut in Sacrarium abjiciatur.

Cum igitur Baptiſmi ſacramentum jam adminiſtrandum eſt, hæc in promptu eſſe debent.

Vaſcula Sacri Olei Catechumenorum, & Chriſmatis.

Vaſculum cum ſale benedicendo, vel jam, ut dictum eſt, benedicto.

Vaſculum, ſeu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam baptiſmi fundendam ſupra caput baptizandi, quod nulli præterea alii uſui deſerviat.

Pelvis, ſeu bacile, ad excipiendam aquam ex capite defluentem, niſi ſtatim in Sacrarium defluat.

Goſſipium, alio nomine bombacium, ſeu quid ſimile ad abſtergenda loca Sacris Oleis inuncta.

Stolæ duæ, ubi commode haberi poſſunt, una violacea, & altera alba, ut infra notatur, mundæ, ſin minus, una ſaltem adhibeatur.

Medulla panis, qua inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abſtergantur, & vas pro manuum lotione poſt Baptiſmum, quod huic tantum uſui deſervire decet.

Alba veſtis in modum pallioli, ſeu linteolum candidum Infantis capiti imponendum. Cereus, ſeu candela cerea, baptizato ardens tradenda.

Denique Ritualis liber ſit paratus, & item liber Baptiſmalis, in quo baptizati deſcribuntur.

Omnibus igitur opportune præparatis, Sacerdos ad tanti Sacramenti adminiſtrationem, lotis manibus, ſuperpelliceo, & ſtola violacea indutus accedat: Clericum unum, ſeu plures, ſi poteſt, ſecum adhibeat, ſuperpelliceo pariter indutos, qui ſibi miniſtrent.

Ita

Ita paratus accedat ad limen Eccleſiæ, ubi foris expectant, qui Infantem detulerunt.

Interroget (niſi de his bene ſibi conſtat), an ſit ſuæ Parochiæ, Maſculus, an Fœmina, an ſit Domi baptizatus, & a quo, & quam rite, & qui ſint Compatres, qui Infantem teneant, pro eoque reſpondeant: quos pie, ac decenter aſſiſtere, ac prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes reſpondere, admoneat.

Et quoniam iis, qui baptizantur, tanquam Dei Filiis in Chriſto regenerandis, & in ejus militiam adſcribendis, nomen imponitur, curet ne obſcæna, fabuloſa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina imponantur; ſed potius, quatenus fieri poteſt, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, & patrociniis protegantur.

His igitur expeditis, & accepto nomine baptizandi, poſiti, ſi Infans fuerit, ſuper brachium dextrum illius, qui eum defert, Parochus ad Baptiſmum procedat, in hunc modum nominatim interrogans.

*Ordo Baptiſmi Parvulorum.*

N. *Quid petis ab Eccleſia Dei?*

Patrinus reſpondet. *Fidem.*

Sacerdos. *Fides quid Tibi præſtat?*

Patrinus reſpondet. *Vitam æternam.*

Sacerdos. *Si igitur vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: Diliges Dominum Deum Tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: Et proximum tuum ſicut te ipſum.*

Deinde ter exſufflet leniter in faciem Infantis, & dicat ſemel: *Exi ab eo, (vel ab ea) immunde Spiritus, & da locum Spiritui Sancto Paraclito.*

Poſtea pollice faciat ſignum Crucis in fronte, & in pectore Infantis, dicens: *Accipe ſignum Crucis tam in Fronte ✠, quam in Corde ✠: Sume fidem Cæleſtium præceptorum, & talis eſto moribus, ut templum Dei jam eſſe poſſis.*

O R E M U S.

Preces Noſtras, quæſumus, Domine, clementer exaudi, & hunc electum tuum N. Crucis Dominicæ impreſſione ſignatum perpetua virtute cuſtodi: ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta ſervans, per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. ℟. Amen.

Deinde imponat manum ſuper caput Infantis, ac dicat:

O R E M U S.

Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N., quem ad rudimenta Fidei vocare dignatus es; Omnem cæcitatem cordis ab eo expelle; diſrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei, Domine, januam pietatis tuæ, ut ſigno ſapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fætoribus careat, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem. Per eundem Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicit ſalem, qui ſemel benedictus aliis ad eundem deſervire poteſt. *Benedictio Salis.*

Exorcizo Te, Creatura Salis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, in

Charitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti ✠, & in virtute Spiritus Sancti ✠, Exorcizo te per Deum vivum ✠, per Deum verum ✠, per Deum Sanctum, per Deum ✠, qui Te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit, ut in nomine Trinitatis efficiaris ſalutare Sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus Te, Domine Deus Noſter, ut hanc Creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices ✠, & benedicendo benedicas ✠, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Deinde immittat modicum Salis benedicti in os Infantis, dicens: *N. Accipe Salem Sapientiæ; propitiatio ſit tibi in Vitam æternam. Amen. Pax Tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS

Deus Patrum Noſtrorum, Deus Univerſæ Conditor veritatis, Te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. reſpicere digneris propitius, & hoc primum pabulum ſalis guſtantem, non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cœleſti, quatenus ſit ſemper ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens. Perduc eum, Domine, quæſumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. Amen.

Exorcizo Te, immunde Spiritus, in Nomine Patris ✠. & Filii ✠, & Spiritus Sancti ✠, ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N. Ipſe enim Tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus ſuper Mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo, maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero; da honorem Jeſu Chriſto Filio ejus, & Spiritui Sancto: Et recede ab hoc Famulo Dei N., quia Iſtum ſibi Deus, & Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, ad ſuam Sanctam gratiam, & benedictionem, fontemque Baptiſmatis vocare dignatus eſt. Hic pollice in fronte ſignat Infantem, dicens: *Et hoc ſignum Sanctæ Crucis ✠, quod Nos fronti ejus damus, Tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eumdem Chriſtum Dominum Noſtrum. ℟. Amen.*

Mox imponit manum ſuper caput Infantis, & dicit:

OREMUS

Æternam, ac Juſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis, & veritatis, ſuper hunc Famulum tuum N., ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ; munda eum, & ſanctifica; da ei ſcientiam veram, ut dignus gratia Baptiſmi tui effectus, teneat firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanam. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. ℟. Amen.

Poſtea Sacerdos imponit extremam partem ſtolæ ſuper Infantem, & introducit eum in Eccleſiam dicens:

N. *Ingredere in Templum Dei, ut habeas partem cum Chriſto in vitam æternam. Amen.*

Cum fuerint Eccleſiam ingreſſi, Sacerdos procedens ad fontem cum ſuſceptoribus conjunctim clara voce dicit:

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli, & Terræ. Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum Noſtrum. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus, Mortuus, & Sepultus. Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit a

Mor-

Digitized by Google

Mortuis. Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis: Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum: Sanctam Eccleſiam Catholicam: Sanctorum Communionem: Remiſſionem peccatorum: Carnis reſurrectionem: Vitam æternam. Amen.

Pater Noſter, qui es in Cœlis, ſanctificetur Nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, ſicut in Cœlo, & in Terra: Panem noſtrum quotidianum da Nobis hodie, & dimitte Nobis debita Noſtra, ſicut & Nos dimittimus debitoribus Noſtris: Et ne nos inducas in tentationem: ſed libera Nos a malo. Amen.

*Ac deinde antequam accedat ad Baptiſterium dicat Exorciſmum.*

Exorcizo Te, Omnis Spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, & in nomine Jeſu Chriſti Filii ejus Domini, & Judicis Noſtri ✠, & in virtute Spiritus Sancti ✠, ut diſcedas ab hoc plaſmate Dei N., quod Dominus Noſter ad templum Sanctum tuum vocare dignatus eſt, ut fiat templum Dei vivi, & Spiritus Sanctus habitet in eo. Per eundem Chriſtum Dominum Noſtrum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Poſtea Sacerdos digito accipiat de ſaliva oris ſui, & tangat aures, & nares infantis, tangendo vero aurem dexteram, & ſiniſtram dicat:

Epheta, quod eſt aperire: (deinde tangat nares, dicens): In odorem ſuavitatis. Tu autem effugare diabole, appropinquabit enim judicium Dei.

Poſtea interroget baptizandum nominatim dicens: N. *Abrenuncias Satanæ?* Reſpondet Patrinus. *Abrenuncio.*

*Et omnibus operibus ejus?* Reſp. *Abrenuncio.*

*Et omnibus pompis ejus?* Reſp. *Abrenuncio.*

Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, & Infantem ungit in pectore, & inter ſcapulas in modum Crucis, dicens:

*Ego te lineo ✠ Oleo ſalutis in Chriſto Jeſu Domino Noſtro, ut habeas vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Subinde pollicem, & inuncta loca, abſtergit bombacio, vel re ſimili: & interrogat expreſſo nomine baptizandum, Patrino reſpondente:

N. *Credis in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli, & Terræ?* ℟. *Credo.*

*Hic deponit ſtolam violaceam, & ſumit aliam albi coloris.*

*Credis in Jeſum Chriſtum Filium ejus Unicum Dominum Noſtrum natum, & paſſum?* ℟. *Credo.*

*Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionem, vitam æternam.* ℟. *Credo.*

Subinde expreſſo nomine baptizandi, Sacerdos dicit:

N. *Vis baptizari?* Reſp. Patrinus. *Volo.*

Tunc Patrino, vel Matrina, vel utroque (ſi ambo admittantur) Infantem tenente, Sacerdos vaſculo, ſeu urceolo accipit aquam Baptiſmalem, & de ea ter fundit ſupra caput Infantis in modum Crucis, & ſimul verba proferens, ſemel tantum diſtincte, & attente dicit:

N. *Ego te baptizo in Nomine Patris* ✠, fundat primo, *& Filii* ✠, fundat ſecundo, *& Spiritus Sancti* ✠, fundat tertio. Ubi autem eſt conſuetudo baptizandi per immerſionem, Sacerdos accipit Infantem, & advertens, ne lædatur, caute caput ejus immergit, & trina merſione baptizat, & ſemel tantum dicit:

dicit: N. *Ego Te baptizò in Nomine Patris* ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus* ✠ *Sancti.*

Mox Patrinus, vel Matrina, vel uterque ſimul Infantem de Sacro fonte levant, ſuſcipientes illum de manu Sacerdotis.

Si vero dubitatur, an Infans fuerit baptizatus, utatur hac forma:

N. *Si non es baptizatus, Ego te baptizo in Nomine Patris* ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus* ✠ *Sancti.*

Deinde intingit pollicem in Sacro Chriſmate, & ungit Infantem in ſummitate capitis in modum Crucis, dicens:

*Deus Omnipotens, Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui Te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, quique dedit Tibi remiſſionem omnium peccatorum*, hic inungit; *Ipſe Te liniat Chriſmate ſalutis* ✠ *in eodem Chriſto Jeſu Domino Noſtro in vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Sacerdos dicit. *Pax tibi.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Tum bombacio, aut re ſimili abſtergit pollicem ſuum, & locum inunctum, & ponit capiti ejus linteolum candidum in locum veſtis albæ, dicens:

*Accipe Veſtem Candidam, quam immaculatam perferas ante Tribunal Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & habeas vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Poſtea dat ei, vel Patrino candelam accenſam, dicens:

*Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi Baptiſmum tuum: Serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, poſſis occurrere ei, una cum omnibus Sanctis in aula Cæleſti, habeaſque vitam æternam, & vivas in ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.*

Poſtremo dicit: N. *Vade in pace, & Dominus ſit Tecum.* ℟. *Amen.*

Si vero fuerint plures baptizandi, ſive Maſculi, ſive Fœminæ, in Catechiſmo Maſculi ſtatuantur ad dexteram, Fœminæ verò ad ſiniſtram, & omnia pariter dicantur, ut ſupra in proprio genere, & numero plurali: verum prima nominis interrogatio, exſufflatio, Crucis impreſſio, ſeu ſignatio, tactus aurium, & narium cum ſaliva, abrenunciationis interrogatio, unctio olei Catechumenorum, interrogatio de fide, ſeu ſymbolo, & ipſe Baptiſmus, inunctio Chriſmatis, candidæ veſtis impoſitio, atque accenſæ candelæ traditio, ſingulariter ſingulis, & primum maſculis, deinde fœminis fieri debent.

Si Infans, vel Adultus ægrotus adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat, antequam Baptiſmus perficiatur; Sacerdos, omiſſis, quæ Baptiſmum præcedunt, eum baptizet, ter, vel etiam ſemel infundens aquam ſuper caput ejus in modum Crucis, dicens: *Ego Te baptizo in Nomine Patris* ✠, &c.

Si non habeatur aqua baptiſmalis, & periculum impendeat, Sacerdos utatur aqua ſimplici.

Deinde ſi habeat Chriſma, liniat eum in vertice, dicens:

*Deus Omnipotens, Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti*, &c. ut ſupra. Poſtea dat ei linteolum candidum, dicens: *Accipe Veſtem*, &c.

Ac demum dat ei ceream candelam accenſam, dicens: *Accipe Lampadem*, ut ſupra. Si ſupervixerit, ſuppleantur alii ritus omiſſi.

Admonendi ſunt ſuſcepturi de ſpirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique Patre, & Matre, quæ cognatio impedit Matrimonium, ac dirimit.

Curet Parochus, Parentes Infantis admoneri, ne in lecto ſecum ipſi, vel Nutrices parvulum habeant, propter oppreſſionis periculum: ſed eum diligenter cuſtodiant, & opportune ad Chriſtianam diſciplinam inſtruant.

Com-

Commonendi ſunt etiam parentes, & alii, ſi opus fuerit, ne Filios Hebræis, aliiſve Infidelibus, vel Hæreticis Mulieribus ullo modo lactandos, aut nutriendos tradant.

Antequam Infans ex Eccleſia aſportetur, aut ſuſceptores diſcedant, eorum nomina, & alia de adminiſtrato Baptiſmo ad præſcriptam formam in Baptiſmali libro Parochus accurate deſcribat.

## CAPUT II.

### *De Confirmatione.*

Ratio poſtulat, ut in omnibus, & ſingulis Eccleſiis, uno, eodemque modo cæremoniæ, & Ritus Pontificales obſerventur. Hinc licet ſolus Epiſcopus confirmationis ordinarius ſit Miniſter, ne ſimiliter ignorentur doctrinæ, ac ritus de ejuſmodi ſacramento, quemadmodum in Pontificali Romano præſcribuntur, ut omnibus pateſiant, tranſcribi ſtatuimus. *Clem. VIII. ſuper Pontificalis Editione.*

Præmittimus tamen, a Parochis curandum eſſe, Populum docere vim, effectum, & efficaciam hujus Sacramenti, Spiritus Sancti gratia Sacri Chriſmatis unctione; quod ex balſamo, & oleo (ut Chriſti bonus odor in omni loco, in omnibus efficiamur) a ſolo Epiſcopo conſecratur, ac confertur, ut per Baptiſmi; Januam ad Fidem ingreſſi, per manus Epiſcopalis impoſitionem Spiritum Sanctum accipientes, veri Chriſtiani inveniantur *(a)*; In Baptiſmo enim regeneramur ad vitam; per hoc ſacramentum confirmamur ad pugnam; ac in fide roboramur: Regeneratio per ſe ſalvat; confirmatio autem armat, & inſtruit ad agones mundi hujus, & communis hoſtis prælia *(b)*: Alapa autem infigitur in facie confirmati in ſignum Chriſtianæ fortitudinis, tum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, tum ad omnes injurias pro Chriſto tolerandas.

Præterea inſtruatur Populus, quod nullus confirmatus debet reconfirmari. Nullus, qui non ſit confirmatus, poteſt eſſe in confirmatione Patrinus; nec Pater, aut Mater, Maritus, aut Uxor: Nullus Excommunicatus, Interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut Chriſtianæ Fidei rudimentis non edoctus, ingerat ſe ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum. Adulti deberent prius peccata confiteri, & poſtea confirmari; vel ſaltem de Mortalibus, ſi in ea inciderint, conterantur.

Hoc Sacramento contrahitur ſpiritualis cognatio impediens matrimonium contrahendum, & dirimens jam contractum, quæ cognatio confirmantem, & confirmatum, illiuſque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egreditur.

Nullus præſentet niſi unum, aut duos; non plures, niſi aliter neceſſitas ſuadeat, arbitrio Epiſcopi; cujus licentia, vigore hujus Synodi, requiritur, ut Eccleſiaſticus eſſe poſſit Patrinus; ſicuti in Baptiſmo.

Confirmandi deberent eſſe jejuni.

Confirmato debet ligari frons, & ſic manere quouſque Chriſma deſiccetur, vel extergatur.

Proinde unuſquiſque confirmandus portet lineam Vittam mundam, cum qua ligetur Caput.

Nullus

(a) *Can. Omnes fideles 1. de conſec. diſt. 5. diſt. 5. Can. manus quoque impoſitionis 4. eadem* (b) *Can. Spiritus Sanctus 2. eadem diſt. 5.*

Nullus confirmatus diſcedat, niſi benedictione accepta, quam Pontifex poſt omnium confirmationem dabit.

Infantes per Patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris. Adulti vero, ſeu alii majores ponant pedem ſuum ſuper pedem dextrum Patrini ſui. Et ideo, neque Maſculi Fœminis Patrini, neque Fœminæ Maſculis Matrinæ eſſe deberent.

Attingamus nunc quæ oporteant per Pontificem exequi in confirmandis: Nempe iis diſpoſitis poſt manuum lotionem, Mitra depoſita, ſtans verſa facie ad confirmandos genua flectentes, dicit.

*Spiritus Sanctus ſuperveniat in vos, & virtus Altiſſimi cuſtodiat vos a peccatis.*

Deinde ſignans ſe manu dextra a fronte ad pectus ſigno Crucis, dicit:

℣. Adjutorium Noſtrum in Nomine Domini.

℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.

℣. Domine exaudi Orationem meam.

℟. Et clamor meus ad Te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Tunc extenſis verſus confirmandos manibus, dicit:

O R E M U S

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos Fámulos tuos ex aqua, & Spiritu Sancto: quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum; emitte in eos ſeptiformem ſpiritum tuum Sanctum Paraclitum de Cœlis. ℟. Amen.

Spiritum Sapientiæ, & Intellectus. ℟. Amen.

Spiritum Conſilii, & Fortitudinis. ℟. Amen.

Spíritum Scientiæ, & pietatis. ℟. Amen.

Adimple eos Spiritu timoris tui, & conſigna eos ſigno Cru ✠ cis Chriſti, in vitam propitiatus æternam. Per eumdem Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum: Qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Pontifex ſedens ſuper faldiſtorium prædictum, vel etiam, ſi multitudo confirmandorum id exegerit, diſpoſitis illis per ordinem ſuper gradus presbyterii, vel alibi, Pontifex ſtans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos, & uno ordine confirmato, illi ſurgunt, & alii genuflectunt, & confirmantur, & ſic uſque in finem. Et Pontifex inquirit ſigillatim de nomine cujuslibet confirmandi, ſibi per Patrinum, vel Matrinam flexis genibus præſentati, & ſummitate pollicis dextræ manus chriſmate intincta, dicit:

N. *Signo te ſigno Cru ✠ cis:* quod dum dicit, producit pollice ſignum Crucis in frontem illius; proinde proſequitur.

*Et Confirmo Te Chriſmate ſalutis. In Nomine Patris ✠, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.*

Deinde leviter eum in Maxilla cædit, dicens: *Pax Tecum.*

Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis, & lavat pollicem, & manus ſuper pelvim.

Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piſcinam Sacrarii. Interim dum lavat manus, cantatur ſequens Antiphona, vel legitur a Miniſtris, quod etiam in ſimilibus ſervari debet.

*Con-*

*Confirma hoc Deus, quod operatus es in Nobis a templo Sancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.*

℣. *Gloria Patri* &c.

℟. *Sicut erat* &c. deinde repetitur Antiphona ton. 8.

*Confirma hoc Deus*, qua repetita, Pontifex depoſita mitra ſurgit, & ſtans verſus ad Altare, junctis ante pectus manibus, dicit.

℣. *Oſtende Nobis Domine miſericordiam tuam.*

℟. *Et ſalutare tuum da Nobis.*

℣. *Domine exaudi Orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad Te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum Spiritu tuo.*

Deinde junctis adhuc ante pectus manibus, & omnibus confirmatis devote genua flectentibus, dicit.

O R E M U S.

Deus, qui Apoſtolis tuis Sanctum dediſti ſpiritum, & per eos, eorumque ſucceſſores cæteris Fidelibus tradendum eſſe voluiſti; reſpice propitius ad humilitatis Noſtræ famulatum; & præſta, ut eorum Corda, quorum Frontes Sacro Chriſmate delinivimus, & ſigno Sanctæ Crucis ſignavimus, idem Spiritus Sanctus in eis ſuperveniens, templum gloriæ ſuæ dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Patre, & eodem Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Deinde dicit:

*Ecce ſic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.*

Et vertens ſe ad confirmatos, faciens ſuper eos ſignum Crucis, dicit:

*Bene ✠ dicat Vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ veſtræ, & habeatis vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Expedita itaque confirmatione, Pontifex ſedens, accepta Mitra, Patrinis, & Matrinis annuntiat, quod inſtruant Filios ſuos bonis moribus, quod fugiant mala, & faciant bona, & doceant eos

*Credo in Deum, & Pater Noſter, & Ave Maria*; quoniam ad hoc ſunt obligati.

Hoc Sacramentum poteſt conferri minus ſolemniter quocumque die, hora, & loco, ex cauſa ad arbitrium Epiſcopi.

## C A P U T III.

### *De Sacramento Pænitentiæ.*

SAcrum Pœnitentiæ Sacramentum ad eos, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, in gratiam Dei reſtituendos, a Chriſto Domino inſtitutum (a) eo diligentius adminiſtrandum eſt, quo plura requiruntur ad illud recte, digneque tractandum, ac ſuſcipiendum: Cum autem ad illud conſtituendum tria concurrunt, Materia; Forma, & Miniſter: illius quidem remota materia ſunt peccata, proxima vero ſunt actus Pœnitentis: nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio: Forma autem, illa abſolutionis verba: *Ego Te abſolvo*, &c. Miniſter denique eſt Sacerdos, habens poteſtatem abſolvendi, vel ordinariam, vel dele-

M lega-

(a) *Trid. Seſſ. 14. de Pœn. & Can. 3. Seſſ. 14. Cap. 3. ex Joan. 20., & Matt. 16.*

ligatam. Sed ſi periculum Mortis immineat, approbatuſque deſit Confeſſarius, quilibet Sacerdos poteſt a quibuſcumque cenſuris, & peccatis abſolvere. In ejus Miniſtro requiritur etiam bonitas, ſcientia, atque prudentia, cum ſigillo ſecretæ Confeſſionis ſub exacto, perpetuoque ſilentio. Quibus, & aliis ad id opportunis, ut optime ſint inſtructi, omni ſtudio curare debeant Confeſſarii.

In primis meminerit Confeſſarius, ſe Judicis pariter, & Medici perſonam ſuſtinere, ac Divinæ Juſtitiæ ſimul, & Miſericordiæ Miniſtrum a Deo conſtitutum eſſe; ut tanquam arbiter inter Deum, & homines honori Divino, & Animarum ſaluti conſulat.

Ut ergo recte judicare queat, diſcernens inter lepram, & lepram, & tanquam peritus Medicus Animarum Morbos prudenter curare, & apta cuique remedia applicare ſciat; quantam poteſt maximam ad id ſcientiam, atque prudentiam, tum aſſiduis ad Deum precibus, tum ex probatis Auctoribus, præſertim e Catechiſmo Romano, & prudenti conſilio peritorum, ſtudeat ſibi comparare.

Sciat Caſus, & Cenſuras Sedi Apoſtolicæ, & Ordinario ſuo reſervatos, & ſuæ cujuſque Eccleſiæ conſtitutiones, eaſque diligenter obſervet.

Denique hujus Sacramenti doctrinam omnem recte noſſe ſtudebit, & alia ad ejus rectam adminiſtrationem neceſſaria, atque in hoc Miniſterio ita procedat, ut infra præſcribitur.

*Ordo Miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ.*

Sacerdos ad audiendam Confeſſionem vocatus, promptum, facilemque ſe præbeat; ac priuſquam ad audiendum accedat, ſi tempus ſuppetat, ad hoc miniſterium recte, ſanĉteque obeundum, Divinum auxilium piis precibus implorabit.

In Eccleſia, non autem in privatis ædibus Confeſſiones audiat, niſi ex cauſa rationabili, quæ cum inciderit, ſtudeat tamen id decenti, ac patenti loco præſtare.

Habeat in Eccleſia ſedem Confeſſionalem, in qua Sacras Confeſſiones excipiat: quæ ſedes in patenti, conſpicuo, & apto Eccleſiæ loco ſit poſita, crate perforata inter Pœnitentem, & Sacerdotem inſtructa.

Superpelliceo, & ſtola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret conſuetudo.

Pœnitens ſi opus fuerit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis, & habitus accedat, & flexis genibus ſigno Crucis ſe muniat.

Mox Confeſſarius inquirat de illius ſtatu (niſi aliter notus fuerit), & quam pridem ſit confeſſus, & an impoſitam pœnitentiam adimpleverit, num rite, atque integre aliàs confeſſus fuerit, num conſcienciam ſuam, ut decet, prius diligenter diſcuſſerit.

Quod ſi Pænitens aliqua cenſura, vel caſu reſervato ſit ligatus, a quo ipſe non poſſit abſolvere, non abſolvat, niſi prius obtenta facultate a ſuperiore.

Si vero Confeſſarius, pro Perſonarum qualitate, cognoverit pœnitentem ignorare Chriſtianæ fidei rudimenta; ſi tempus ſuppetat, eum breviter inſtruat de articulis Fidei, & aliis ad ſalutem cognitu neceſſariis, & ignoranciam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea poſtmodum diligencius addiſcat.

Tum Pœnitens Confeſſionem generalem latina, vel vulgari lingua dicat, ſcilicet, *Confiteor* &c., vel ſaltem utatur his verbis: *Confiteor Deo Omnipotenti,*

*ti, & tibi Pater* : Peccata ſua exinde confiteatur, adjuvante, quotieſcumque opus fuerit, Sacerdote; qui confitentem non reprehendet, niſi finita, ut dicetur, Confeſſione: neque interpellabit, niſi opus fuerit aliquid melius intelligere; proinde fiduciam ei præbeat, & humaniter ſuggerat, ut omnia peccata ſua rite, & integre confiteatur, remota ſtulta illa quorumdam verecundia, qua præpediti, ſuadente Diabolo, peccata confiteri non audent.

Si Pœnitens, numerum, & ſpecies, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias, non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caveat, ne curioſis, aut inutilibus interrogationibus quenquam detineat, præſertim juniores utriuſque ſexus, vel aliàs, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans; ne ſcandalum patiantur, indeque peccare diſcant.

Demum audita confeſſione, perpendens peccatorum, quæ ille admiſit, magnitudinem, ac multitudinem pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione, opportunas correctiones, ac monitiones, prout opus eſſe viderit, paterna Charitate adhibebit; ad dolorem, & contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam, ac melius inſtituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

Poſtremo ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, injungat, habita ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis, & item diſpoſitionis pœnitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus leviſſimas pœnitentias imponat, ne ſi forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut ſatisfactio non ſit tantum ad novæ vitæ remedium, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam præteritorum peccatorum caſtigationem.

Quare curet, quantum fieri poteſt, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat; veluti Avaris eleemoſynas; Libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones; Superbis humilitatis officia; Deſidioſis devotionis ſtudia. Rarius autem, vel ſerius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utiliſſimum fuerit conſulere, ut ſæpe, puta ſemel in Menſe, vel certis diebus ſolemnibus confiteantur, & ſi expediat, communicent.

Pœnitentias pecuniarias ſibi ipſis Confeſſarii non applicent: neque a Pœnitentibus quicquam tanquam miniſterii ſui præmium petant, vel accipiant:

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifeſtam pœnitentiam non imponent.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio: Ne abſolvat eos, qui talis beneficii ſunt incapaces: quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant: neque etiam eos abſolvat, quorum peccata ſunt Superioribus reſervata.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis conſtitutus, abſolvendus eſt ab omnibus peccatis, & cenſuris, quantumvis reſervatis: ( ceſſat enim tunc omnis reſervatio ), ſed prius, ſi poteſt, cui debet, ſatisfaciat; ac ſi periculum evaſerit, & aliqua ratione Superiori, a quo aliàs eſſet abſolvendus, ſe ſiſtere teneatur, cum primum poterit, coram eo ſe ſiſtat, quid quid debet, præſtiturus.

Quod ſi inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox,



Digitized by Google

& loquela ægro deficiat, nutibus, & ſignis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque in genere, vel in ſpecie cognitis; vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.

Meminerit porro Sacerdos, ægris non eſſe injungendam gravem, aut laborioſam pœnitentiam: ſed indicendam tantum illam, quam ſi convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliqua oratione, aut levi ſatisfactione impoſita, & acceptata, abſolvantur, prout opus fuerit.

*Abſolutionis Forma.*

Cum igitur pœnitentem abſolvere voluerit, injuncta ei prius, & ab eo acceptata ſalutari pœnitentia primo dicit:

*Miſereatur tui Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis, perducat Te ad vitam æternam. Amen.*

Deinde dextera verſus pœnitentem elevata, dicit: *Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & Miſericors Dominus. Amen.*

*Dominus Noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & Ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum poſſum, & Tu indiges; Deinde Ego Te abſolvo a peccatis tuis, in Nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Si Pœnitens ſit Laicus, omittitur verbum *Suſpenſionis*.

*Paſſio Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Merita Beatæ Mariæ Virginis, & Omnium Sanctorum, & quid quid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint Tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

In confeſſionibus autem frequentioribus, & brevioribus omitti poteſt *Miſereatur* &c., & ſatis erit dicere: *Dominus Noſter Jeſus Chriſtus* &c., ut ſupra, uſque ad illud: *Paſſio Domini, &c.*

Urgente vero aliqua gravi neceſſitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego Te abſolvo ab Omnibus Cenſuris, & peccatis: In Nomine Patris* &c.

*De Pœnitentia Propoſitiones Damnatæ.*

*Alex.VIII.7. Decemb. 1690.* Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

*Idem. Ibidem.* Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

*Idem. Ibidem.* Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

*Idem. Ibidem.* Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutionis induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ: ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo diſtante.

*Idem. Ibidem.* Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

*Idem. Ibidem.* Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

*Idem. Ibidem.* Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

*Idem. Ibidem.* Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

Paro-

Parochianus poteſt ſuſpicari de mendicantibus, qui de eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, vel lucrum ſubſidii temporalis. *Idem. Ibidem.*

Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis. *Innoc. XI. 2. Mar. 1679.*

Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem modo honeſtam. *Idem. Ibidem.*

Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem. *Idem. Ibidem.*

Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v.g. poteſt contingere in die magnæ feſtivitatis, aut Indulgentiæ. *Idem. Ibidem.*

Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, & ſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem. *Idem. Ibidem.*

Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione verſatur peccandi, quam poteſt, & non vult omittere; quin imo directe, & ex propoſito quærit, aut eo ſe ingerit. *Idem. Ibidem.*

Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit. *Idem. Ibidem.*

Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel Proximi. *Idem. Ibidem.*

Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiam ſi per negligentiam, etiam culpabilem, neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. *Idem. Ibidem.*

Sufficit Myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, et Incarnationis ſemel credidiſſe. *Idem. Ibidem.*

Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.*

Prælati Regulares poſſunt in foro Conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, et ab excommunicatione propter eam incurſa. *Alex. VII. 24. Sept. 1665.*

Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti Chartam, poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſolicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denuntiandus. *Idem. Ibidem.*

Modus evadendi obligationem denunciandæ ſolicitationis eſt, ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante; hic poteſt ipſum abſolvere, abſque onere denunciandi. *Idem. Ibidem.*

Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere. *Idem. Ibidem.*

Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato. *Idem. Ibidem.*

Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. *Idem. Ibidem.*

Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat. *Idem. Ibidem.*

Qui Beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario. *Idem. Ibidem.*

Mollities, ſodomia, beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione procuraſſe pollutionem. *Idem. Ibidem.*

Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam. *Idem. Ibidem.*

Non

*Alex. VII.* 8. Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, ſi hæc ni-
*Mart.* 1666. mis utilis eſſet ad oblectamentum Concubinarii, vulgò *Regalo*, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno Concubinarium
*Clem. VIII.* 20. afficerent, & alia famula difficile inveniretur.
*Jun.* 1602. Licet per literas, ſive per internuntium confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem petere, hancque pro utraque
*Paul.V.*14.*Jun.* parte intelligendam eſſe declaravit . . . . . . . . Scientia ex confeſſione ac-
1605. quiſita, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, uti licet, ſi aliud multo gravius ex non uſu ſequatur; in cujus comparatione prius merito condemnatur: addita deinde explicatione, ſive limitatione, quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu, quo multo gravius gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur. Hæc propoſitio, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione prohibita eſt. Anno 1682. 18. Novemb.
*Alex. VII.* 24. Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopis reſervatis, non ob-
*Sept.* 1665. tenta ad id Epiſcoporum facultate.

Concilium Tridentinum non obligat Regulares ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut ſæcularium confeſſiones audire poſſint, neque de illius Concilii auctoritate privilegia Regularium reſtringi poſſunt, cum in Gallia
*Alex. VII.* 30. receptum non ſit, præterquam in deciſionibus fidei: neque Bulla Pii IV. pro
*Jan.* 1659. confirmatione illius Concilii promulgata . . . .

Ubi Concilium Tridentinum eſt receptum, non poſſunt Epiſcopi reſtringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt, ad Confeſſiones audiendas, neque illas ulla ex cauſa revocare, quinimo ordinum Mendi-
*Alex. VII.* 30. cantium Religioſi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, & ſi ab Epi-
*Jan.* 1659. ſcopis Religioſi non approbentur, rejectio illa valet tantum, ac ſi approbatio conceſſa fuiſſet.

Regulares Ordinum Mendicantium ſemel approbati ab uno Epiſcopo ad Confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi, habentur approbati in aliis, nec nova
*Alex. VII.* 30. Epiſcoporum indigent approbatione. Regulares habent poteſtatem abſolvendi
*Jan.* 1659. a peccatis Epiſcopo reſervatis, etiam ſi ab Epiſcopo auctoritas indulta ipſis non fuerit.

### *De Caſibus Reſervatis.*

Perantiqua Eccleſiæ Diſciplina, Divina Auctoritate, Conciliorum ſtatutis, & SS. PP. Teſtimonio, uſuque probata, eos, quos poſuit Dominus regere Eccleſiam, docet, & admonet, ut ad compeſcendum effrenatum ſcelerum curſum, quo præceps in æternam Mortem fertur humana cupiditas, atrociora quædam delictorum genera ſummorum tantum Sacerdotum Judicio reſervent; Quæ quidem reſervatio non ſolum in externa Politia, ſed etiam coram Deo,
*Seſſ.* 14. *cap.*7. ut Tridentina Synodus declaravit, vim habet. His pro Paſtorali officio inhæ-
*& Can.*11. rentes infraſcriptos caſus reſervamus . . . . . . . .

### *Ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cajetano de Arco Epiſcopo Nuſcano, Caſus Reſervati, quibus eſt annexa in Foro Pœnitentiali Excommunicatio, vel Suſpenſio ipſo Facto incurrenda.*

I. Utentes, animo aliis nocendi, vel ad captandum amorem, vel ad alium finem pravum, maleficiis, ſortilegiis, divinationibus, incantationibus. Item abu-

abutentes Sacramentis, aut quacumque re ſacra ad malum finem, præter conſuetum Eccleſiæ uſum; & ad prædicta omnia cooperantes, aut conſentientes.

II. Sacrilegi ob furtum rei ſacræ; vel non ſacræ in Eccleſiis, Cœmeteriis, Oratoriis, Sacriſtiis patratum; ac in iiſdem ſanguinem, vel ſemen cum gravi culpa effundentes.

III. Legatis Piis, cum poſſint, ſatisfacere negligentes, vel ea jure ex officio revelare adſtricti, Noſtræ Curiæ denunciare non curantes in fraudem pie diſponentium. Sicut & non ſolventes decimas, & redditus quoſcumque Eccleſiaſticos; Eoſque fructus, vel eorum bona uſurpantes, aut quocumque modo, & fraude horum debitorum ſolutionem impedientes in gravem cujuſvis Loci Pii jacturam.

IV. Deponentes, aut deponendum curantes falſum, etiam extra judicium, vel confidentialiter tam publice, quam privatim, quovis quæſito colore, ac prætextu, etiam ſi non ſit in judicio ratificatum; vel qui utuntur falſis teſtibus, Inſtrumentis, & Scripturis falſis, tam publicis, quam privatis in Judicio, vel extra cum gravi damno alterius. Nec non Notarii inſtrumenta, aut cujuſvis generis ſcripturas falſas, ſive fictas condentes, ſive ſtipulantes. Actuarii, vel Scribæ alteratam informationem doloſe capientes, aut non omnia dicta Teſtium ſcribentes in grave tertii præjudicium.

V. Incendentes, excidentes ſegetes, arbores frugiferas, vites, ſive plantas, cum notabili damno alterius.

VI. Exequentes, mandantes, vel conſulentes homicidium voluntarium, vel alicujus corporis membri mutilationem; vel abortum fœtus quamvis inanimati, & propinantes venenum in hominis perniciem.

VII. Conficientes, edentes, vel divulgantes calumnias, infamias falſas, libellos famoſos, cum notabili jactura alienæ famæ, & honoris. Et in præfatis caſibus etiamſi obtenta fuerit a Nobis facultas abſolvendi a reſervatis, nunquam impartienda ſit abſolutio, niſi prævia debita reſtitutione damni illati, famæ, vel honoris.

VIII. Concubinarii elapſo anno, qui etiam a Confeſſariis poſt obtentam a Nobis facultatem pro reſervatis, non abſolventur, niſi facta ſeparatione Thori, & Domus ſaltem per Menſem completum, ſe continuerint. Item Inceſtuoſi in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, etiam in cognatione ſpirituali. Nec non ſtuprantes Virgines vi, vel metu, vel ficta promiſſione ducendi illas in Uxorem. Ac Sponſi, & Sponſæ pravam inter ſe converſationem habentes ante Matrimonium legitime contractum per verba de præſenti, eorumque Parentes eamdem converſationem, pernoctationem, vel copulam permittentes. Mulieres autem in his luxuriæ caſibus, ſi vere ſint pœnitentes, a quocumque Confeſſario a Nobis approbato abſolvi poſſunt.

IX. Confeſſarii omnes etiam Parochi ſollicitantes in Caſibus Bullæ Gregorii XV. *Univerſi* &c. Excommunicationem ipſo facto Nobis reſervatam incurrant. Regulares vero ab audiendis Confeſſionibus ipſo facto ſuſpenſi remaneant; quam ſuſpenſionem Nobis etiam reſervamus. Eorumque, (quod abſit) complices peccatorum, cum quibus impudice verſati fuerint, abſolvere minime poſſe ſub pœna ejuſdem ſuſpenſionis Nobis ipſo facto reſervatæ, declaramus.

X. Interceptantes, aut quomodolibet aucupantes, aperientes, legentes contra jus tertii, ac publicam fidem, literas miſſivas; vel cæcas, ſeu ficto nomine conficientes contra veritatem: itidemque conſulentes, ac cooperantes.

XI. Pro-

XI. Proceſſus, Libros, & quaſcumque ſcripturas ad Epiſcopale Archivium, aut Capitulare, aut Parochiale pertinentes, vel ad loca Pia, vel in grave aliorum damnum ſurripientes, lacerantes, detinentes, non reſtituentes.

Declaramus autem in his caſibus, & cenſuris Nobis reſervatis neminem comprehendi ante decimum quartum Annum completum.

Itidem: ut Confeſſariis omnibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, Parochis, ac etiam Pœnitentiario, ſit omnino reſtricta, & non conceſſa Facultas abſolvendi ab iis caſibus dumtaxat Noſtro Judicio reſervatis; Et non ſint quo ad illos approbati, excepto tantummodo Mortis Articulo, juxta Sacrorum Canonum Sanctiones. Et ſi qua forte dubitatio de illorum intelligentia ſuboriatur, a Nobis tantùm, & Succeſſoribus Noſtris interpretandos, declarandos, & explicandos eſſe, ſtatuimus.

## C A P U T IV.

*De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. De Reali Præſentia Domini Noſtri Jeſu Chriſti in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*

*Conc. Triden. Seſſ. 13. cap. 3. de Euchariſt.*

PRincipio docet Sancta Synodus, & aperte, ac ſimpliciter profitetur in almo Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis, & vini Conſecrationem, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum (a) verum Deum, atque hominem, vere, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri; nec enim inter ſe pugnant (b), ut ipſe Salvator Noſter ſemper ad dexteram Patris in Cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi Naturalem; & ut multis, nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam & ſi verbis exprimere vix poſſumus (c), poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus: Ita enim Majores Noſtri omnes, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de Sanctiſſimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertiſſime profeſſi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem Noſtrum inſtituiſſe; cum poſt panis, vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius Corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem, diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt (d), quæ verba a Sanctis Evangeliſtis commemorata (e), & a Sancto Paulo poſtea repetita, cum propriam illam, & apertiſſimam ſignificationem præſeferant, ſecundum quam a Patribus intellecta ſunt: Indigniſſimum ſane flagitium eſt, ea a quibuſdam contentioſis, & pravis hominibus ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis, & Sanguinis Chriſti negatur, contra univerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri: quæ tanquam (f) columna, & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut ſatanica, deteſtata eſt, grato ſemper, & memori animo præſtantiſſimum hoc Chriſti beneficium agnoſcens.

*De Ratione Inſtitutionis Sanctiſſimi hujus Sacramenti.*

*Conc. Trid. Seſſ. 13. de Euch. c. 2.*

Ergo Salvator Noſter diſceſſurus ex hoc Mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo Divinitas Divini ſui erga homines amoris velut effu-

(a) *Joan.* 1.
(b) C. 1. *de Sum. Trin. ſup. Seſſ. 3. in Symb. Eph.* 1 *Matt.* 19. *in fin.*
(c) *Matt.* 19. *Luc.* 18.
(d) *Matt.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.
(e) 1. *Cor.* 11.
(f) 1. *Tim.* 1.

Digitized by Google

effudit (a) memoriam faciens mirabilium ſuorum (b): & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit; ſuamque annunciare mortem, donec ipſe ad judicandum Mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit (c): *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*: Et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis; & a peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis; adeoque ſymbolum unius illius corporis (d), cujus ipſe caput exiſtit, cuique nos tamquam membra arctiſſima, Fidei, Spei, & Charitatis connexione aſtrictos eſſe voluit; ut idipſum omnes diceremus (e), nec eſſent in nobis ſchiſmata.

*De excellentia Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuper reliqua Sacramenta.* *Conc. Trid. ſeſſ. XIII. de Euch. cap. III.*

Commune hoc quidem eſt Sanctiſſimæ (f) Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem: verum illud in ea excellens, & ſingulare reperitur (g), quod reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor ante uſum eſt; nondum enim Euchariſtiam (h) de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cum vere tamen ipſe affirmaret, corpus ſuum eſſe, quod præbebat, et ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem (i) verum Domini Noſtri Corpus, verumque ejus Sanguinem ſub panis, & vini ſpecie una cum ipſius Anima, & Divinitate exiſtere; ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum; ipſum autem Corpus ſub ſpecie panis, ſanguinem ſub ſpecie vini, animamque ſub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini (k), qui jam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypoſtaticam unionem. Quapropter veriſſimum eſt (l), tantumdem ſub alterutra ſpecie, atque ſub utraque contineri: totus enim, & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totius item ſub vini ſpecie, & ſub ejus partibus exiſtit.

*De Tranſubſtantiatione.* *Idem Conc. Trid. ead. ſeſſ. cap. IV.*

Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter, Corpus ſuum id (m), quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit; ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ (n) panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini Noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis ejus: quæ converſio convenienter, & proprie a Sancta Catholica Eccleſia Tranſubſtantiatio eſt appellata.

N De

(a) *Pſal.* 110.
(b) 1. *Cor.* 11. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11. *C. iteratur de Confeſ. diſt.* 2.
(c) *Joan.* 6.
(d) 1. *Cor.* 11. *Eph.* 5. *Rom.* 12. 1. *Cor.* 5.
(e) 1. *Cor.* 1.
(f) *C. Sacrific. de Conſ. diſt.* 2.
(g) *C. Multi* 1. *q.* 1.
(h) *Matt.* 26. *Mar.* 14. 1.
(i) *Inf. Can.* 1.
(k) *Rom.* 6. *ſemel Chriſtus c. iteratur C. ſinguli, & C. qui manducant de conſ. diſt.* 2. *infra can.* 3.
(l) *Seſſ.* 21. *c.* 3. *vid. hom.* 3. *de Paſch. inter eas, quæ Euſ. Emiſſeno adſcribuntur, & de conſ. diſt.* 2. *ubi pars eſt, &c.*
(m) *Luc.* 22. *Joan.* 6. 1. *Cor.* 11.
(n) *C. Panis de Conſec. diſt.* 2. *Matt. de celeb. Miſ. infra c.* 2. *in* 2. *Later. Conc.*

Digitized by Google

*De cultu, & veneratione huic Sanctiſſimo Sacramento exhibenda.*

*Idem Conc. Trid. ead. ſeſſ. cap. IV.*

Nullus itaque dubitandi locus relinquitur (*a*), quin omnes Chriſti Fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctiſſimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit a Chriſto Domino, ut ſumatur, inſtitutum; nam illum eundem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in Orbem Terrarum dicit (*b*): *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, *quem Magi procidentes adoraverunt*; quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe, ſcriptura teſtatur. Declarat præterea Sancta Synodus, pie, & religioſe admodum in Dei Eccleſiam (*c*) inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam, & feſto die præcelſum hoc, et venerabile Sacramentum ſingulari veneratione, ac ſolemnitate celebraretur (*d*), utque in proceſſionibus reverenter, & honorifice illud per vias, & loca publica circumferretur. Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum (*e*), & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane Divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur. Atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, et confuſi aliquando reſipiſcant.

*Sacroſ. Conc. Trid ſeſſ. 13. de Eucharìſ. cap. VI.*

*De aſſervando Sacræ Eucharistiæ Sacramento, & ad Infirmos deferendo.*

Conſuetudo (*f*) aſſervandi in Sacrario Sanctam Euchariſtiam adeo antiqua eſt, ut eam ſæculum etiam (*g*) Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipſam ſacram Euchariſtiam ad Infirmos, et hunc uſum diligenter in Eccleſiis conſervari, præter quam quod cum ſumma æquitate, et ratione conjunctum eſt; tum multis in (*h*) Conciliis præceptum invenitur; et vetuſtiſſimo Catholicæ (*i*) Eccleſiæ more eſt obſervatum. Quare Sancta hæc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc, et neceſſarium morem ſtatuit.

*Conc. Trid. ſeſſ. 13. de Euchar. cap. 7.*

*De Præparatione, quæ adhibenda eſt, ut digne quis Sacram Euchariſtiam percipiat.*

Si non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi ſancte; certe, quo magis ſanctitas, et divinitas cœleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia, et ſanctitate ad id percipiendum accedat, præſertim cum illa plena formidinis verba apud (*k*) Apoſtolum legamus: *Qui manducat, & bibit indigne; judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum (*l*)

*Probet*

(a) *Inf. Can. 6.*
(b) *Pſalm. 99. Heb. 1. Matt. 2. Matt. 28. Luc. 24.*
(c) *Urban. Pap. citat. Clementinarum lib. 3. de Reliq. & venerat. Sanct.*
(d) *Infra Can. 6.*
(e) *1. Cor. 14. Hebr. 2.*
(f) *Inf. Can. 7. C. ſane de celeb. Miſ. c. 3. de cult. Euch. C. Præsb. de conſ. diſt. 2.*
(g) *1. Nicæn. forte c. 14.*
(h) *Conc. 11. Remenſ. c. 2.*
(i) *Conc. Later. ſub. Jun. 3. c. 16. c. præſente 93. diſt. d. Ancir. c. 6. 1. Nic. cap. 12. Card. 4. c. 77 78 Ag auth. c. 15. &c.*
(k) *1. Cor. 11. c. quid ergo c. ſancta C. ſicut Judas, & c. timorem de conſ diſt. 21.*
(l) *1. Cor. 1. c. qui ſcelerate de conſ. diſt. 1. C. quotidie &c. panem de Conſ. diſt. 2. c. omnis qui, cum ſeq. de pæn. diſt.*

Digitized by Google

*Probet ſe ipſum homo*. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi *(a)* contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat: quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit *(b)* illis copia Confeſſoris; quod ſi neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur:

*De uſu admirabilis hujus Sacramenti.*

Quoad uſum autem, *(c)* recte, et ſapienter Patres noſtri tres rationes hoc Sanctum Sacramentum accipiendi diſtinxerunt: quoſdam enim docuerunt ſacramentaliter dumtaxat id ſumere, ut peccatores; Alios tantum ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viva *(d)*, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem ſentiunt: Tertios porro ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter: Hi autem ſunt, qui ita ſe prius probant, & inſtruunt *(e)*, ut veſtem nuptialem induti ad divinam hanc menſam accedant. In ſacramentali autem ſumptione, ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent *(f)*: Sacerdotes autem celebrantes ſe ipſos communicarent: qui mos *(g)* tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, jure ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat, & obſecrat per viſcera miſericordiæ Dei Noſtri, ut omnes, & ſinguli, qui Chriſtiano nomine cenſentur, in hoc unitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo jam tandem aliquando conveniant, & concordent, memoreſque tantæ Majeſtatis, & tam eximii amoris Jeſu Chriſti, Domini Noſtri *(h)*, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum: hæc Sacra Myſteria Corporis, & Sanguinis ejus, fidei conſtantia, & firmitate, ea animi devotione, ac pietate, & cultu credant, & venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint; & is vere eis ſit animæ vita, & perpetua ſanitas mentis; cujus vigore confortati ex hujus miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem patriam pervenire valeant, eundem panem *(i)* Angelorum, quem modo ſub ſacris velaminibus edunt, abſque ullo velamine manducaturi.

*Conc. Trid. ſeſſ. 13. de Euch. cap. 8.*

## EX RITUALI ROMANO

*De ejuſdem SS. Sacramenti adminiſtratione.*

OMnibus quidem Eccleſiæ Catholicæ Sacramentis religioſe, ſancteque tractandis magna, ac diligens cura adhibenda eſt, ſed præcipue in adminiſtrando, ac ſuſcipiendo ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenro, quo nihil dignius



(a) *Et infra c. 11.*
(b) *Inf. Can. 11.*
(c) *C. quid eſt, cum ſeq. C. dupliciter & c. in illo de Conſ. diſt. 2. Auguſt. contra donat. ſæpe Proſp. in lib. ſent.*
(d) *Gal. 5.*
(e) *Inf. Can. 8. Matt. 22.*
(f) *C. relatum de Conſ. diſt. 1. Can. 10.*
(g) *Heb. 5. & 7.*
(h) *Joan. 6. c. 1. de Conſ. diſt. 2.*
(i) *Pſ. 77. C. revera, & c. omnis de Conſ. diſt. 2.*

dignius, nihil ſanctius, & admirabilius habet Eccleſia Dei: cum in eo contineatur præcipuum, et maximum Dei donum, et ipſemet omnis gratiæ, et ſanctitatis fons, Auctorque Chriſtus Dominus.

Parochus igitur ſummum ſtudium in eo ponat, ut cum ipſe venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, cuſtodiat, et adminiſtret, tum Populus ſibi commiſſus, religiose colat, ſancte, frequenterque ſuſcipiat, præſertim in majoribus anni ſolemnitatibus.

Ideo Populum ſæpius admonebit: qua præparatione, et quanta animi religione, ac pietate, et humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacramentum debeat accedere: ut præmiſſa ſacramentali Confeſſione, omnes ſaltem a media nocte jejuni, et utroque genu flexo Sacramentum humiliter adorent, ac reverenter ſuſcipiant viri, quantum fieri poteſt, a mulieribus ſeparati.

Moneantur præterea communicantes, ut ſumpto Sacramento, non ſtatim ab Eccleſia diſcedant, ut colloquantur; nec ſtatim vagis oculis circumſpiciant, aut expuant; neque de libro ſtatim orationes recitent, ne Sacramenti ſpecies de ore decidant, ſub qua par eſt devotione aliquantiſper in oratione permaneant, gratias agentes Deo de tam ſingulari beneficio, atque etiam de Sanctiſſima Paſſione Dominica, in cujus memoriam hoc Myſterium celebratur, et ſumitur.

Curare porro debet, ut perpetuo aliquot Particulæ conſecratæ eo numero, qui ſuorum infirmorum, et aliorum fidelium communioni ſatis eſſe poſſit, conſerventur in Pyxide ex ſolida, decentique materia, eaque munda, et ſuo operculo bene clauſa, albo velo cooperta, et quantum res feret, ornato in Tabernaculo clave obſerato.

Hoc autem Tabernaculum Conopeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum in Altari Majori, vel in alio, quod venerationi, et cultui tanti Sacramenti commodius, aut decentius videatur, ſit collocatum, ita ut nullum aliis ſacris functionibus, aut eccleſiaſticis officiis impedimentum afferat. Lampades coram eo plures, vel ſaltem una, die, noctuque perpetuo colluceant: curabitque Parochus, ut omnia ad ipſius Sacramenti cultum, ordinata, integra, mundaque ſint, et conſerventur.

Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Particulas frequenter renovabit. Hoſtiæ vero, ſeu Particulæ conſecrandæ ſint recentes, et ubi eas conſecraverit, veteres primo diſtribuat, vel ſumat.

Fideles omnes ad ſacram Communionem admittendi ſunt, exceptis iis, qui juſta ratione prohibentur. Arcendi autem ſunt publice indigni, quales ſunt, excommunicati, interdicti, manifeſtique infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, et alii ejus generis publici peccatores: niſi de eorum pœnitentia, et emendatione conſtet, et publico ſcandalo prius ſatisfecerint.

Occultos vero peccatores, ſi occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem ſi publice petant, et ſine ſcandalo ipſos præterire nequeat.

Amentibus præterea, ſeu phreneticis communicare non licet: licebit tamen, ſi quando habeant lucida intervalla, et devotionem oſtendant, dum in eo ſtatu manent, ſi nullum indignitatis periculum adſit.

Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem, et guſtum habent, adminiſtrari non debet.

*Ordo*

*Ordo miniſtrandi Sacram Communionem.*

Sacerdos ſanctiſſimam Euchariſtiam miniſtraturus, Particulis conſecratis, vaſculo decenti, et commodo loco expoſitis, et ante communicandos linteo mundo extenſo, lotis prius manibus, ſuperpelliceo indutus, ac deſuper ſtola coloris officii illius diei convenientis, præcedente Clerico, procedit ad Altare manibus junctis; et accenſis cereis, facta prius, et poſtea genuflexione, extrahit Pyxidem, et illam ſuper Corporale depoſitam diſcooperit. Miniſter genibus flexis in Cornu Epiſtolæ facit confeſſionem generalem, dicens: *Confiteor Deo* &c.

Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis ante pectus vertit ſe ad Populum (advertens ne terga vertat Sacramento) et in cornu Evangelii dicit: *Miſereatur veſtri* &c. & addit: *Indulgentiam, abſolutionem* ✠, *& remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus.* ℟. *Amen*: dicens *Indulgentiam* &c. manu dextera in formam crucis ſignat communicandos.

Deinde ad Altare ſe convertit, genuflectit, manu ſiniſtra Pixidem prehendit; et duobus digitis pollice, et indice Sacramentum accipit, et elevat; et converſus ad Populum in medio Altaris, dicit clara voce: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*: mox ſubdit: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur Anima mea*: quod tertio repetit.

Poſtea accedit ad communicandum, incipiens a parte Epiſtolæ, et primo Sacerdotibus, vel aliis de clero ad gradus Altaris genuflexis; et ſi fieri poteſt, ſint diſtincti a Laicis. Verò Sacerdotes communicent cum Stola.

Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, et faciens cum eo ſignum crucis ſuper Pyxidem ſimul, dicit: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat Animam tuam in vitam æternam. Amen.*

Completa Communione, Sacerdos reverſus ad Altare dicere poterit: *O Sacrum Convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

℣. *Panem de Cœlo præſtitiſti eis.* Tempore Paſchali additur *Alleluja.*
℟. *Omne delectamentum in ſe habentem.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

O R E M U S.

Deus qui nobis ſub Sacramento mirabili, Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus, ita nos Corporis, et Sanguinis tui Sacra Myſteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis etc.

Tempore Paſchali dicitur Oratio.

Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde: ut quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Sacerdos advertat, ut ſi aliquod fragmentum digitis adhæſerit, deponat in Pyxidem: digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat, & purificatorio abſtergat: ablutionem in Sacrarium injiciat; genuflectit; reponit Sacramentum in tabernaculum, & clave obſerat. Deinde benedicit communicatos, dicens

*Bene-*

*Benedictio Dei Omnipotentis Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper Vos, & maneat ſemper. ℟. Amen.*

Si Communio facienda erit intra Miſſam, fit ſtatim poſt Communionem Celebrantis (niſi ex rationabili cauſa ſit facienda poſt Miſſam). Quod ſi contingat, abſoluta Miſſa, ſtatim aliquos communicari, tunc Sacerdos adhuc Planeta indutus, Sacram Communionem, ut ſupra, miniſtrabit.

*De Communione Paſchali.*

Curet autem Parochus, ut in Quadrageſima per ſe, vel per alios Concionatores Populo opportune denuncietur conſtitutio Concilii Lateranenſis ſub Innocentio tertio, quæ ſic habet:

„ Omnis utriuſque Sexus Fidelium, poſtquam ad Annos diſcretionis per„ venerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur pro„ prio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adim„ plere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, „ niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam „ ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin, & „ vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepul„ tura.

Ut igitur hoc ſalutare Concilii decretum inviolabiliter ſervetur, deſcripta habeat nomina ſuorum Parochianorum; & qui dicto tempore non Communicaverint, & poſt octavam Paſchæ eos, qui propriæ ſalutis immemores ſæpius admoniti non obtemperaverint, Nobis denunciet, ſervata vero laudabili hujus Diœceſis conſuetudine, pro opportunitate Villicorum, prorogandi tempus prædictum ad noſtrum beneplacitum; infra tamen Aſcenſionis Domini diem.

Quo ad fieri poteſt, operam dabit Parochus, ut in ipſo die Paſchæ Fideles Communionem accipiant per ſe ipſum, niſi legitime impediatur. Et ſi fuerint alienæ Parochiæ ad proprium Parochum remittat, præter Peregrinos, & alios, qui certum domicilium non habent.

*De Communione Infirmorum.*

Viaticum Sacratiſſimi Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſummo ſtudio, ac diligentia ægrotantibus opportuno tempore procurandum eſt, ne forte contingat, illos tanto bono, Parochi incuria, privatos decedere. Caveat tamen, ne ad Indignos cum aliorum ſcandalo deferatur: quales ſunt publici uſurarii; concubinati; notorie criminoſi; nominatim Excummunicati, aut denunciati, niſi ſeſe prius Sacra Confeſſione purgaverint, & publicæ offenſioni, prout de jure, ſatisfecerint.

Hortetur Parochus infirmum, ut Sacram Communionem ſumat, etiam ſi graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat; maxime ſi feſti alicujus celebritas id ſuadeat, neque ipſe illam miniſtrare recuſabit.

Viaticum autem miniſtrabitur, cum probabile eſt, quod infirmus Communionem amplius ſumere non poterit: Attamen ſi æger ſumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaſerit, & Communicare voluerit, ejus pio deſiderio Parochus non deerit.

Viaticum brevi morituris dari poteſt non jejunis; diligenter tamen curandum eſt, ne tribuatur iis, a quibus ob phreneſim, ſive ob aſſiduam tuſſim, aliumve ſimilem morbum, aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti, timeri poteſt.

Paro-

Digitized by Google

Parochus igitur proceſſurus ad communicandum infirmum, aliquot Campanæ ictibus jubeat convocari Parochianos, ſeu Confraternitatem Sanctiſſimi Sacramenti (quæ in Noſtra Diœceſi in omnibus ſuis locis laudabiliter viget) ſeu alios pios Chriſti Fideles, qui Sacram Euchariſtiam cum intorticiis comitentur, & umbellam, ſeu baldachinum deferant. Præmoneat, ut ægri cubiculum mundetur, & in eo paretur menſa linteo mundo cooperta, in quo Sanctiſſimum Sacramentum decenter deponatur.

Ipſe vero Sacerdos, impoſito ſibi prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat Vas cum Particulis Sacratis antea repoſitis, & deinde umbellam, ſeu baldachinum ſubeat, nudo capite proceſſurus.

Ordinatur proceſſio; in qua ſequantur duo Clerici, vel qui illorum vices ſuppleant: quorum alter aquam benedictam cum aſperſorio, & burſam cum corporali, quod ſupponendum erit Vaſculo Sanctiſſimi Sacramenti ſuper menſam in Cubiculo infirmi; Alter librum Rituale deferat, pulſando jugiter campanulam. Succedunt deferentes intortitia: Poſtremo Sacerdos Sacramentum geſtans elevatum ante pectus ſub Umbella dicens Pſalmum *Miſerere*, & alios.

Ingrediens locum, ubi jacet Infirmus, dicat: *Pax huic Domui*.

℟. *Et omnibus habitantibus in ea*.

Tum depoſitum Sacramentum ſuper Menſa, ſuppoſito Corporali, genuflexus adorat: mox accepta aqua benedicta, aſpergit infirmum, & Cubiculum, dicens Antiphonam: *Aſperges me, Domine, hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*: & primum verſum Pſalmi *Miſerere mei Deus*, cum *Gloria Patri, ſicut erat*, &c. deinde repetitur antiphona: *Aſperges me*, &c. poſtea.

℣. *Adjutorium Noſtrum in Nomine Domini*.
℟. *Qui fecit Cœlum, & Terram*.
℣. *Domine exaudi Orationem meam*.
℟. *Et Clamor meus ad Te veniat*.
℣. *Dominus Vobiſcum*.
℟. *Et cum Spiritu tuo*.

O R E M U S

Exaudi Nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens, Æterne Deus: & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. ℟. Amen.

His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoſcat, num ſit bene diſpoſitus ad ſuſcipiendum Sacrum Viaticum; & utrum velit aliqua peccata confiteri, audiat, & abſolvat. Poſtea facta de more Confeſſione generali, vel ab Infirmo, vel ab alio ejus nomine, Sacerdos dicit: *Miſereatur*, &c. *Indulgentiam*, &c. facta genuflexione, accipit Sacramentum de Vaſculo, & elevans oſtendit Infirmo: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*, & more ſolito ter dicat: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur Anima mea*; & more ordinario dicat: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam*, &c.

Si vero Communio datur per modum viatici, dicat: *Accipe Frater*, vel *Soror, Viaticum Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti: qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam. Amen*.

Si

Si mors immineat, & periculum ſit in mora, tunc dicto: *Miſereatur*, &c. prædictis precibus omnibus, vel ex parte, omiſſis, ei ſtatim Viaticum præbeatur.

Poſtea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens; & Infirmo detur ablutio. Deinde dicat. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

OREMUS

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur: ut accipienti Fratri Noſtro (vel Sorori Noſtræ) Sacroſanctum Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti Filii tui, tam Corpori, quam animæ proſit ad remedium ſempiternum. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

His expletis genuflectit, ſurgit, & accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo ſignum Crucis ſuper Infirmum, nihil dicens; & ordine, quo venerat, revertitur ad Eccleſiam, dicendo Pſal. *Laudate Dominum de Cœlis*, & alios; & cum pervenerit ad Eccleſiam, ponit Sacramentum ſuper Altare, adorat; deinde dicit: ℣. *Panem de Cœlo praſtitiſti eis*. ℟. *Omne delectamentum in ſe habentem*. ℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

OREMUS

Deus, qui Nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus; ita Nos Corporis, & Sanguinis tui Sacra Myſteria venerari, ut Redemptionis tuæ fructum in Nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et annuntiatis Indulgentiis a Summis Pontificibus conceſſis, cum Sacramento in Pyxide velo cooperta facit ſignum Crucis ſuper Populum nihil dicens. Poſtremo in loco ſuo reponat.

## CAPUT V.

### *De Sacramento Extremæ Unctionis, Ejuſdemque Doctrina.*

*Conc. Trid. de Sacram. Extr. unct. Cap. 1. Seſſ. 14.*

*Eph. 6.*

CLementiſſimus Redemptor Noſter, qui ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus remediis adverſus omnia omnium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Chriſtiani conſervari ſe integros, dum viverent, ab omni graviore Spiritus incommodo poſſint; Ita extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio munivit. Nam etſi Adverſarius Noſter (a) occaſiones per omnem Vitam quærat, & captet, ut devorare animas noſtras quoquo modo poſſit; Nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſuæ verſutiæ nervos intendat ad perdendos nos, ſciens, quod modicum tempus habet.

*De Inſtitutione.*

Inſtituta eſt autem Sacra hæc Unctio Infirmorum, tanquam vere, & proprie Sacramentum novi Teſtamenti a Chriſto Domino (b) apud Marcum quidem inſinuatum; per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini Fratrem Fidelibus commendatum, ac promulgatum (c): *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & Oratio Fidei ſalvabit Infirmum, & alleviabit eum Dominus; Et*

(a) *1. Petri. 5. Cap. Nulli dubium 3. q. 1.*
(b) *Mar. 6. in fine.*
(c) *Jacob. 5. C. Presbyt. 95. diſt. C. 1. §. 1. de Sacr. Unct.*

*Et ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*. Quibus verbis, ut Apoſtolica traditione, per manus accepta, Eccleſia didicit; docet materiam, formam, proprium Miniſtrum, & effectum hujus ſalutaris Sacramenti. Intellexit enim Eccleſia, Materiam eſſe Oleum ab Epiſcopo benedictum; Nam Unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat; Formam deinde eſſe illa verba: *Per iſtam Sanctam Unctionem*, &c.

*Ritus hujus Sacramenti adminiſtrandi*.

Tanquam Cœleſtis medicina hoc Sacramentum, non animæ ſolum, ſed etiam Corpori proficuum omni ſtudio, ac diligentia periculoſe ægrotantibus adhibendum eſt: Et eo quidem tempore, ſi fieri poſſit, cum illis adhuc integra mens, & ratio viget; ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipſis etiam fidem, ac piam animi voluntatem conferre poſſint, dum ſacro liniuntur Oleo.

In quo illud in primis ex generali Eccleſiæ conſuetudine obſervandum eſt, ut, ſi tempus, & Infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta Infirmis præbeantur.

Habeat igitur Parochus loco nitido, & decenter ornato, in vaſe argenteo, ſeu ſtanneo diligenter cuſtoditum Sacrum Oleum Infirmorum; quod ſingulis Annis Feria quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto, renovandum eſt. Id tamen, ſi forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat; modico Oleo non benedicto in minori quantitate ſuper infuſo, reparari poteſt.

Oleum porro ipſum, vel per ſe ſolum, vel in bombacio, ſeu re ſimili, ſervari poteſt; ſed ad evitandum effuſionis periculum multo commodius ad Infirmos defertur in bombacio.

Debet autem hoc Sacramentum Infirmis præberi, qui cum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut Mortis periculum imminere videatur, & iis, qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam ſine alia infirmitate.

Infirmis autem, qui dum ſana mente, & integris ſenſibus eſſent, illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu dederint ſigna Contritionis, etiam ſi deinde loquelam amiſerint, vel amentes effecti ſint, vel delirent, aut non ſentiant; nihilominus præbeatur.

Sed ſi Infirmus, dum phreneſi, aut amentia laborat, veriſimiliter poſſet quicquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, niſi periculum tollatur omnino.

Impœnitentibus vero, & qui manifeſto in peccato mortali moriuntur, & excommunicatis, & non dum baptizatis, penitus denegetur.

Non miniſtretur etiam prælium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula ſubituris, aut Reis ultimo ſupplicio mox afficiendis, aut Pueris rationis uſum non habentibus.

Si quis autem laborat in extremis, & periculum immineat, ne decedat, antequam finiantur unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: *Per iſtam Sanctam Unctionem* &c., ut infra; deinde ſi adhuc ſupervivat, dicantur Orationes prætermiſſæ ſuo loco poſitæ.

Si vero, dum inungitur, Infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, & prædictas orationes omittat.

Quod ſi dubitet, an vivat adhuc, unctionem proſequatur ſub conditione,

ne, pronunciando formam, dicens: *Si vivis, per iſtam Sanctam Unctionem*, &c. ut infra.

Si autem acciderit, infirmum poſt peccatorum ſuorum Confeſſionem ad exitum vitæ properare, tunc cum Sacro Viatico poterit & Oleum Infirmorum ad eum deferri per ipſum Sacerdotem, qui defert Sacram Euchariſtiam: ſi tamen alius Presbyter, vel Diaconus, qui Oleum Sanctum deferat, haberi poſſit, per ipſum deferatur; qui Superpelliceo indutus cum Oleo Sacro occulte delato ſequatur Sacerdotem Viaticum portantem; & poſtquam infirmus Viaticum ſumpſerit, inungatur a Sacerdote.

In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit; ut cum Infirmus convaluerit, iterum in periculum Mortis incidit.

Quinque verò Corporis partes præcipue ungi debent, quas velut ſenſuum inſtrumenta, homini natura tribuit; nempe Oculi, Aures, Nares, Os, & Manus; attamen Pedes etiam, & Renes ungendi ſunt; ſed renum unctio in Mulieribus, honeſtatis gratia, ſemper omittitur; atque etiam in viris, quando Infirmus commode moveri non poteſt, ſed ſive in Mulieribus, ſive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet.

Manus verò, quæ reliquis Infirmis interius ungi debent, Presbyteris exterius ungantur.

Dum Oculos, Aures, & alia Corporis membra, quæ paria ſunt, Sacerdos ungit, caveat, ne altero ipſorum inungendo, Sacramenti Formam prius abſolvat, quam ambo hujuſmodi paria membra perunxerit.

Si quis autem ſit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.

Hujus autem Sacramenti forma, qua Sancta Romana Eccleſia utitur, ſolemnis illa precatio eſt, quam Sacerdos ad ſingulas unctiones adhibet, cum ait: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, ſive per auditum*, &c. *deliquiſti*.

*Ordo Miniſtrandi Extremæ Unctionis Sacramentum.*

Sacerdos hoc Sacramentum miniſtraturus, parari curet apud Infirmum Menſam mappa candida coopertam, vas cum bombacio in ſeptem globulis diſtincto; medullam panis, & aquam ad abluendas manus, & detergendos digitos. Deinde cum Clericis, vel ſaltem uno, qui Crucem ſine haſta, aquam benedictam cum Aſperſorio, & librum Rituale deferat, accipit vas Sacri Olei infirmorum, ſacculo ſerico violacei coloris incluſum, caute deferens, ne effundi poſſit. Quod ſi longius iter peragendum, aut etiam equitandum ſit, vas olei burſæ incluſum ad collum appendat, ut ſecurius perferat: Et cum perventum fuerit ad locum, ubi jacet Infirmus, Sacerdos intrans cubiculum dicit: *Pax huic Domui*. ℟. *Et omnibus habitantibus in ea*.

Poſtea poſito Oleo ſuper Menſam, ſuperpelliceo, ſtolaque violacea indutus, ægroto Crucem pie deoſculandam porrigit; mox in modum Crucis eum aqua benedicta, cubiculum, & circumſtantes aſpergit, dicens antiphonam: *Aſperges* &c. Si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Deinde illum conſoletur, & de hujus Sacramenti vi, atque efficacia (ſi tempus fuerit) breviter admoneat, & in ſpem erigat vitæ æternæ. Poſtea dicat:

℣. *Adjutorium Noſtrum in Nomine Domini*.
℟. *Qui fecit Cælum, & Terram*.

℣. *Domi-*

℣. *Dominus vobiſcum*.
℟. *Et cum Spiritu tuo*.

O R E M U S.

„ Introeat, Domine Jeſu Chriſte, domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu, æterna felicitas, divina proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa, ſanitas ſempiterna: effugiat ex hoc loco acceſſus dœmonum, adſint Angeli pacis, domumque hanc deſerat omnis maligna diſcordia. Magnifica, Domine, ſuper nos nomen Sanctum tuum, & bene ✠ dic noſtræ converſationi: Sanctifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui Sanctus, & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu Sancto, in ſæcula ſæculorum. Amen.

„ Oremus, & deprecemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut benedicendo bene ✠ dicat hoc Tabernaculum, & omnes habitantes in eo, & det eis Angelum bonum cuſtodem, & faciat eos ſibi ſervire ad conſiderandum mirabilia de lege ſua; avertat ab eis omnes contrarias poteſtates; eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac ſanos in hoc tabernaculo cuſtodire dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

O R E M U S.

„ Exaudi Nos, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de Cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. Amen.

Quæ orationes, ſi tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tum de more facta Confeſſione generali, latino, vel vulgari ſermone, Sacerdos dicat: *Miſereatur tui*, &c. *Indulgentiam abſolutionem*, &c. Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat adſtantes, ut pro illo orent, & ubi commodum fuerit, pro loco, & tempore, & adſtantium numero, vel qualitate, recitent ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, vel alias Preces, dum ipſe unctionis Sacramentum adminiſtrat, mox dicat:

*In Nomine Patris ✠, & Filii ✠, & Spiritus ✠ Sancti extinguatur in te omnis virtus Diaboli per impoſitionem manuum Noſtrarum, & per invocationem omnium Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum. Amen.*

Deinde intincto pollice in Oleo Sancto, in modum Crucis inungit infirmum in partibus hic ſubſcriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum.

Ad Oculos.

*Per iſtam Sanctam Unctionem ✠, & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum deliquiſti. Amen.*

Miniſter vero ſi eſt in Sacris, vel ipſemet Sacerdos poſt quamlibet unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii, eaque in vaſe mundo reponat, et ad Eccleſiam poſtea deferat, comburat, cineresque projiciat in Sacrarium.

Ad Aures.

*Per iſtam Sanctam Unctionem ✠, & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquiſti. Amen.*

Ad Nares.

*Per iſtam Sanctam Unctionem ✠, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indul-*

*dulgeat tibi Dominus quidquid per odoratum deliquiſti. Amen.*

Ad Os, compreſſis labiis.

*Per iſtam Sanctam Unctionem ✠, & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per guſtum, & locutionem deliquiſti. Amen.*

Ad Manus.

*Per iſtam Sanctam Unctionem ✠, & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quid quid per tactum deliquiſti. Amen.*

Et adverte, quod Sacerdotibus, ut dictum eſt, manus non inunguntur interius, ſed exterius.

Ad Pedes.

*Per iſtam Sanctam Unctionem ✠, & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per greſſum deliquiſti. Amen.*

Ad Lumbos, ſive Renes.

*Per iſtam Sanctam Unctionem ✠, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem deliquiſti. Amen.*

Hæc autem unctio ad lumbos omittitur ſemper in fœminis, & etiam in viris, qui ſine periculo moveri non poſſunt. Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit: *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Salvum fac ſervum tuum.*

℟. *Deus meus ſperantem in Te.*

℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Eſto ei, Domine, Turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Jacobum locutus es: infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittuntur ei: cura, quæſumus, Redemptor noſter, gratia Sancti Spiritus, languores iſtius infirmi, ejuſque ſana vulnera, & dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis, & corporis ab eo expelle, plenamque interius, & exterius ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, ad priſtina reparetur officia. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

OREMUS.

Reſpice, quæſumus Domine, famulum tuum N., in infirmitate ſui corporis fatiſcentem, & animam refove, quam creaſti; ut caſtigationibus emendatus, ſe tua ſentiat medicina ſalvatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ORE-

Digitized by Google

OREMUS.

„ Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictioni tuæ „ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate cu- „ ſtodis, ad invocationem tui nominis benignus aſſiſte : ut famulum tuum ab „ ægritudine liberatum, & ſanitate donatum, dextera tua erigas, virtute con- „ firmes, poteſtate tuearis, atque Eccleſiæ tuæ ſanctæ cum omni deſiderata „ proſperitate reſtituas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Ad extremum, pro perſonæ qualitate, ſalutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, & ad fugandas Dæmonum tentationes roboretur.

Deinde aquam benedictam, & Crucem, niſi aliam habeat, coram eo relinquet, ut illam frequenter aſpiciat, & pro ſua devotione oſculetur, & amplectatur.

Admoneat etiam domeſticos, ut ſi morbus ingraveſcat, vel infirmus incipiat agonizare, ſtatim ipſum Parochum accerſant, ut morientem adjuvet, ejuſque animam Deo commendet. Sed ſi mors immineat, priuſquam diſcedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit.

## CAPUT VI.

### *De Ordinis Sacramento.*

EX Concilio Tridentino *Seſſ.23. Cap.1. de Sacr. Ord.* luculenter hujus Sacramenti vera, & Catholica explicatio traditur, docente: Chriſtum Dominum Apoſtolis ſuis, eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus conſecrandi, & offerendi viſibile ſacrificium, ac peccata remittendi, & retinendi poteſtatem tradidiſſe, his verbis:

„ Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta ſunt, ut „ utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo Teſtamento Sanctum „ Euchariſtiæ Sacrificium viſibile ex Domini inſtitutione, Catholica Eccleſia „ acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum eſſe viſibile, & externum Sa- „ cerdotium, in quod vetus translatum eſt. Hoc autem ab eodem Domino Sal- „ vatore noſtro inſtitutum eſſe, atque Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus in „ Sacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi (*a*) & miniſtrandi „ Corpus, & Sanguinem ejus, nec non, & peccata dimittendi, & retinendi, „ Sacræ Literæ oſtendunt, & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit.

Hinc ad tanti Sacrificii venerationem, ab Eccleſiæ initio ſemper in uſu fuiſſe ſeptem ordines, ex eodem Concilio (*b*) inſtruimur, ita edocente:

„ Cum autem divina res ſit tam Sancti Sacerdotii miniſterium, conſenta- „ neum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Ec- „ cleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent Miniſtrorum Ordi- „ nes, qui Sacerdotio ex officio deſervirent; ita diſtributi, ut, qui jam clericali „ Tonſura inſigniti eſſent, per minores ad Majores aſcenderent. Nam non ſolum „ de Sacerdotibus, (*c*) ſed & de Diaconis Sacræ Literæ apertam mentionem „ faciunt; & quæ maxime in illorum Ordinatione attendenda ſunt, graviſſi- „ mis verbis docent; & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina,

atque

(a) *Matt.18. Matt.26. Joann.20.*
(b) *Ead. Seſſ. Cap.2.*
(c) *1. Tim.5. & Act.21. verſ.3.*

Digitized by Google

„ atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi, ſcilicet, Acoly-„ ti, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii, in uſu fuiſſe cognoſcuntur, quamvis „ non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines (a) a Patribus, & „ Sacris Conciliis refertur, in quibus, & de aliis inferioribus frequentiſſime le-„ gimus.

Proinde Ordinem, Sacramentum eſſe indubie credendum, eodem Sacroſancto Concilio ſubnectente ſequentibus verbis: „ Cum Scripturæ teſtimo-„ nio (b), Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, „ per Sacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gra-„ tiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe vere, & proprie unum „ ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis; inquit enim Apoſtolus (c): *Admoneo* „ *te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mea-*„ *rum*; *non (d) enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, &* „ *dilectionis, & ſobrietatis*.

Ut autem quempiam non lateat, Sanctitatem Ordinibus annexam, animadvertenda operæ pretium cenſemus, ſubſtantialia in cujuslibet Ordinis collationis forma; ac myſtica in deprecationibus in Pontificali Romano adnotata Verba. *Verba equidem menti ſerviunt, & dicentis voluntatem demonſtrant*, inquit Gloſſa (e): Idcirco Dei Filius dicitur Verbum; ſicut enim per Verbum manifeſtatur alicujus voluntas; ita per Filium voluntas Patris. Per verba autem, quæ nomine Eccleſiæ ab Ordinante Epiſcopo in ſingulis Ordinibus conferendis proferuntur, quid ab Ordinatis adimpleri oporteat, intelligitur; cum ideo vocis miniſterio utimur, & non ſono dumtaxat vocis, ſed mente dicentis, ut nullus exiſtimetur dicere, quod non ſentit (f); Ideoque geminatio verborum denotat loquentis animadverſionem, & animum deliberatum (g); atque ex alio axiomate: *Quod ordo facti, ſicut & ordo Scripturæ, vel etiam verborum argumentum præſumptionem præſtat ad aliquid faciendum, vel dicendum, vel etiam inferendum* (h). Ne igitur vacua, & tranſitoria dicta opinentur fœcundiſſima illa verba, quæ in cujuslibet Ordinis collatione in Sacro Pontificali ſcripta ſunt, hic annectere putavimus, ut quiſque ſedulo perſpiciat, num Apoſtolica illa verba tamquam ſibi dicta parvipendeat: *Vide Miniſterium, quod accepiſti, ut illud impleas* (i): & num talis ſit, qualis in ſua Ordinatione Eccleſia deſignaverit per ſpiraculum vitæ, ſeu Spiritum Eccleſiaſticum in animam ejus inſpiratum; Qui quidem Spiritus adeo ei neceſſarius eſt, ut illo deficiente, reliquæ partes, veluti abſque motu, & vita remaneant; Ita ut aptari ſibi illud poſſit Prophetæ Zachariæ (cap. 11.) dicentis: O *Paſtor Idolum*: O *Sacerdos Idolum*: *ſicut enim Idolum Os habet, & non loquitur*: *Oculos, & non videt*: *Manus, & pedes, & nec palpat, nec graditur*; *ſic & Sacerdos ſpiritu illo deſtitutus*.

Quapropter deveniamus ad cujuſque Ordinis Pontificalis Romani verba inſpicienda.

*In*

(a) *C.Nullus 60 diſt.*
(b) *1.Tim.4.*
(c) *2.Tim.1.lib.2.Tim.4.diſt.*
(d) *2.Tim.1.6.*
(e) *In Can.Verb.Dei 51 de pœn.diſt.1.*
(f) *Celſ.in lib.19.ff.L. labeo ait 7.§.id Tubero ff.de ſuppell.legata.*
(g) *Rot.deciſ.453.n.3.*
(h) *Grat.in ſumma diſt.20.§.ſed aliud ex cauſis.*
(i) *Ad Coloſ.4.*

*In Prima Tonſura Epiſcopi verba ſunt.*

℣. *Sit Nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc, & uſque in ſaculum.*

℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.*

℟. *Qui fecit Cœlum, & Terram:*

Oremus, Fratres chariſſimi, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, pro his famulis ſuis, qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro ejus amore feſtinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eis perpetuum conſervet, & a mundi impedimento, ac ſæculari deſiderio corda eorum defendat; ut ſicut immutantur in vultibus, ita dextera manus ejus virtutis tribuat eis incrementa, & ab omni cœcitate ſpirituali, & humana oculos eorum aperiat, & lumen eis æternæ gratiæ concedat. Qui vivit, & regnat cum Deo Patre in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum.

Hinc ſedente Pontifice, ſchola inchoat, & proſequitur Antiphonam, & Pſalmum.

*Tu es Domine, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.*

Pſalmus.

Conſerva me, Domine, quoniam ſperavi in te: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui ſunt in terra ejus: mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Repetitur tota Antiphona: *Tu es Domine &c.*

Incepto Pſalmo, Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in fronte, in occipitio, ad utramque aurem; deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, & quilibet cum tondetur, dicit.

*Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.*

O R E M U S.

Præſta, quæſumus, Omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore divino depoſuimus; in tua dilectione perpetuo maneant, & eos ſine macula in ſempiternum cuſtodias. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

*Tunc ſchola inchoat, & proſequitur Antiphonam. Tono octavo, vel ſeptimo.*

Hi accipient benedictionem a Domino, & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo: quia hæc eſt generatio quærentium Dominum.

Domini eſt terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundavit eum: & ſuper flumina præparavit eum.

Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: & miſericordiam a Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Jacob.

Attol-

Digitized by Google

Attollite portas, Principes, veſtras, & elevamini portæ æternales: Et introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, Principes, veſtras, & elevamini portæ æternales: Et introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Repetitur Antiphona: *Hi accipiunt*, &c. qua finita ſurgit Pontifex ſine mitra, et ad Altare converſus, dicit: *Oremus*: et Miniſtri dicunt: *Flectamus genua*. ℟. *Levate*; & converſus ad Tonſos dicit Pontifex.

„ Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hos Famulos tuos be-
„ ne ✠ dicere dignare, quibus in tuo Sancto nomine habitum Sacræ Religio-
„ nis imponimus; ut, te largiente, & devoti in Eccleſia tua perſiſtere, et vi-
„ tam percipere mereantur æternam. Per Chriſtum Dominum Noſtrum.
„ ℟. Amen.

Pontifex ſedet cum Mitra: accipit in manu Superpelliceum: dicit ſingulis:

„ Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt,
„ in juſtitia, & ſanctitate veritatis. Et imponit cuilibet repetendo: *Induat te*, etc. quo expedito, ſurgit ſine mitra, et verſus ad illos dicit.

O R E M U S.

Omnipotens ſempiterne Deus, propitiare peccatis noſtris, et ab omni ſervitute ſæcularis habitus hos famulos tuos emunda; ut dum ignominiam ſæcularis habitus deponunt, tua ſemper in ævum gratia perfruantur; ut, ſicut ſimilitudinem coronæ tuæ eos geſtare facimus in capitibus, ſic tua virtute hæreditatem ſubſequi mereantur æternam in cordibus. Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

*In ſede cum Mitra alloquitur.*

Filii Chariſſimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & privilegia Clericalia ſortiti eſtis. Cavete igitur, ne propter culpas veſtras illa perdatis, et habitu honeſto, boniſque moribus, atque operibus Deo placere ſtudeatis. Quod ipſe vobis concedat per Spiritum Sanctum ſuum. ℟. Amen.

*Ad Oſtiariatum.*

Suſcepturi, Filii chariſſimi, officium Oſtiariorum, videte, quæ in domo Dei agere debeatis. Oſtiarium oportet percutere cymbalum, et campanam; aperire Eccleſiam, et Sacrarium; et librum aperire ei, qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam veſtram, illarum rerum, quæ intra Eccleſiam ſunt, aliquid depereat; certiſque horis domum Dei aperiatis Fidelibus, et ſemper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut ſicut materialibus clavibus Eccleſiam viſibilem aperitis, & clauditis; ſic et inviſibilem Dei Domum, corda ſcilicet fidelium, dictis, et exemplis veſtris claudatis Diabolo, et aperiatis Deo; ut divina verba, quæ audierint, corde retineant, et opere compleant: quod in vobis Dominus perficiat per miſericordiam ſuam.

*Pontifex accipit, & tradit omnibus claves Eccleſiæ, quas ſucceſſivè manu dextra ſinguli tangant, Pontifice dicente.*

Sic agite, quaſi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.

*Ducun-*

*Ducuntur Ordinandi ad aperiendum, & claudendum oſtium Eccleſiæ, & ad pulſandum campanas. Poſtea redeunt ad Pontificem, & genuflectunt, & Pontifex cum Mitra dicit:*

„ Deum Patrem Omnipotentem, Fratres Chariſſimi, ſuppliciter deprecemur, ut hos famulos ſuos bene ✠ dicere dignetur, quos in officium Oſtiariorum eligere dignatus eſt, ut ſit eis fideliſſima cura in Domo Dei, diebus, ac noctibus ad diſtinctionem certarum horarum ad invocandum nomen Domini, adjuvante Domino Noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Pontifex depoſita mitra ſtans verſus Altare dicit:

*Oremus*: Miniſtri ſubjungunt: *Flectamus genua*. ℟. *Levate*. Et ſtatim verſus ad illos genuflexos, ſtans ſine mitra, dicit:

„ Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Oſtiariorum, ut inter Janitores Eccleſiæ tuo pareant obſequio, & inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

## *Ad Lectoratum.*

„ Electi, Filii Chariſſimi, ut ſitis Lectores in domo Dei noſtri, officium veſtrum agnoſcite, & implete. Potens eſt enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Lectorem ſiquidem oportet legere ea, quæ (vel ei qui) prædicat; & lectiones cantare, & benedicere panem, et omnes fructus novos. Studete igitur verba Dei, videlicet lectiones ſacras diſtincte, et aperte, ad intelligentiam, et ædificationem fidelium, abſque omni mendacio falſitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuria veſtra ad inſtructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis: quatenus auditores veſtros verbo pariter, et exemplo veſtro docere poſſitis. Ideoque dum legitis, in alto loco Eccleſiæ ſtetis; ut ab omnibus audiamini, et videamini figurantes poſitione corporali, vos in alto virtutum gradu debere converſari, quatenus cunctis, a quibus audimini, et videmini, cœleſtis vitæ formam præbeatis, quod in vobis Deus impleat per gratiam ſuam.

*Hinc tradit omnibus Codicem, quem manu dextera tangunt, dicens:*

„ Accipite, et eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter, et utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtraverunt ab initio.

*Pontifex cum Mitra ſtans verſus ad eos genuflexos, dicit:*

„ Oremus, Fratres Chariſſimi, Deum Patrem Omnipotentem, ut ſuper hos famulos ſuos, quos in ordinem Lectorum dignatur aſſumere, bene ✠ dictionem ſuam clementer effundat: quatenus diſtincte legant, quæ in Eccleſia Dei legenda ſunt, et eadem operibus impleant. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium ſuum, qui cum eo vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

*Depoſita Mitra ſtans converſus ad Altare dicit*: Oremus. *Miniſtri dicunt* Flectamus genua. ℟. Levate. *Et converſus ad Ordinatos genuflexos, dicit ſine Mitra.*



„ Do-

„ Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere digna-
„ re hos famulos tuos in officium Lectorum; ut assiduitate lectionum instructi
„ ſint, atque ordinati; et agenda dicant, et dicta opera impleant, ut utroque
„ Sanctæ Eccleſiæ exemplo Sanctitatis ſuæ conſulant. Per Dominum noſtrum
„ Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiri-
„ tus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

*Ad Exorciſtatum.*

„ Ordinandi, Filii Chariſſimi, in officium Exorciſtarum, debetis noſce-
„ re, quid ſuſcipitis. Exorciſtam etenim oportet abjicere Dœmones; et dicere
„ Populo, ut, qui non communicat, det locum, et aquam in miniſterio funde-
„ re. Accipitis itaque poteſtatem imponendi manum ſuper energumenos, et per
„ impoſitionem manuum veſtrarum, gratia Spiritus Sancti, et verbis exorciſ-
„ mi, pellentur Spiritus immundi a corporibus obſeſſis. Studete igitur, ut ſi-
„ cut a corporibus aliorum Dœmones expellitis, ita a mentibus, et corpori-
„ bus veſtris omnem immunditiam, et nequitiam ejiciatis; ne illis ſuccumba-
„ tis, quos ab aliis, veſtro miniſterio, effugatis. Diſcite per officium veſtrum
„ vitiis imperare, ne in moribus veſtris aliquid ſui juris inimicus valeat vin-
„ dicare. Tunc etenim recte in aliis Dœmonibus imperabitis, cum prius in
„ vobis eorum multimodam nequitiam ſuperatis. Quod vobis Dominus agere
„ concedat per Spiritum ſuum Sanctum.

Hinc accipit, et tradit librum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, et tradit Ordinatis, qui manu dextera illum tangunt; dicens:

*Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive Cathecumenos.*

Poſtea Pontifex cum Mitra ſtans, dicit:

„ Deum Patrem Omnipotentem, Fratres Chariſſimi, ſupplices deprece-
„ mur, ut hos Famulos ſuos bene ✠ dicere dignetur in officium Exorciſta-
„ rum; ut ſicut ſpirituales imperatores, ad abjiciendos dœmones de corporibus
„ obſeſſis, cum omni nequitia eorum multiformi. Per Unigenitum Filium ſuum
„ Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum eo vivit, & regnat in unitate
„ Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Depoſita Mitra converſus ad Altare, dicit: *Oremus*. Miniſtri dicunt: *Flectemus genua*. ℟. *Levate*.

„ Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere di-
„ gnare hos famulos tuos in Officium Exorciſtarum; ut per impoſitionem
„ manuum, & oris officium, poteſtatem, et imperium habeant Spiritus im-
„ mundos coercendi; ut probabiles ſint Medici Eccleſiæ tuæ, gratia curatio-
„ num, virtuteque cœleſti confirmati. Per Dominum noſtrum Jeſum Chri-
„ ſtum Filium tuum; qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti
„ Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

*Ad Acolythatum.*

„ Suſcepturi, Filii Chariſſimi, officium Acolythorum, penſate, quod
„ ſuſcipitis. Acolythum etenim oportet Ceroferarium ferre; Luminaria Ec-
„ cleſiæ accendere; vinum, et aquam ad Euchariſtiam miniſtrare. Studete
„ igitur ſuſceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis,
„ ſi lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inſerviatis, et per
„ hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis, Sed ſicut veritas dicit: Luceat lux
„ veſtra coram hominibus; ut videant opera veſtra bona, et glorificent Pa-

„ trem

Digitized by Google

„ trem veſtium, qui in Cœlis eſt. Et ſicut Apoſtolus Paulus ait. In medio
„ nationis pravæ, & perverſæ, lucete ſicut luminaria in mundo, Verbum
„ vitæ continentes. Sint ergo lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in
„ manibus veſtris, ut Filii lucis ſitis. Abjiciatis opera tenebrarum, & in-
„ duamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in
„ Domino. Ut Filii lucis ambulate. Quæ ſit vero iſta lux, quam tantopere
„ inculcat Apoſtolus, ipſe demonſtrat, ſubdens: Fructus enim lucis eſt in
„ omni bonitate, & juſtitia, & veritate. Eſtote igitur ſolliciti in omni ju-
„ ſtitia, bonitate, & veritate, ut & vos, & alios, & Dei Eccleſiam illu-
„ minetis. Tunc etenim in Dei Sacrificio digne vinum ſuggeretis, & aquam,
„ ſi vos ipſi Deo Sacrificium, per caſtam vitam, & bona opera, oblati fue-
„ ritis. Quod vobis Dominus concedat per Miſericordiam ſuam.

Hinc accipit, & tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod ſucceſſive manu dextera ſinguli tangunt, & dicit Pontifex:

*Accipite Ceroferarium cum Cereo, & ſciatis vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipati, in Nomine Domini.* ℟. *Amen.*

Poſtea accipit, & tradit eis urceolum vacuum, quem ſimiliter tangere debent, dicens:

*Accipe urceolum, ad ſuggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Chriſti, in nomine Domini.* ℟. *Amen.*

Pontifex ſtans cum Mitra verſus ad eos, dicit:

„ Deum Patrem Omnipotentem, Fratres Chariſſimi, ſuppliciter depre-
„ cemur, ut hos Famulos ſuos bene ✠ dicere dignetur in Ordine Acolythorum;
„ quatenus lumen viſibile moribus præbeant: adjuvante Domino Noſtro Je-
„ ſu Chriſto, qui cum eo, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per
„ omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Pontifex ad Altare convertens, depoſita Mitra, ſtans dicit: *Oremus*, & Miniſtri: *Flectamus genua.* ℟. *Levate.* Et Pontifex ad eoſdem converſus, dicit:

„ Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui per Jeſum Chri-
„ ſtum, Filium tuum Dominum noſtrum, & Apoſtolos ejus in hunc Mundum
„ lumen claritatis tuæ miſiſti, quique, ut mortis noſtræ antiquum abole-
„ res Chirographum, glorioſiſſimæ illum Crucis vexillo affigi, ac ſangui-
„ nem, & aquam ex latere illius pro ſalute generis humani effluere voluiſti,
„ bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Acolythorum; ut ad
„ accendendum lumen Eccleſiæ tuæ, & ad ſuggerendum vinum, & aquam
„ ad conficiendum Sanguinem Chriſti Filii tui, fideliter ſubminiſtrent. Ac-
„ cende, Domine, mentes eorum, & corda, ad amorem gratiæ tuæ; ut
„ illuminati vultu ſplendoris tui, fideliter tibi in Sancta Eccleſia deſerviant.
„ Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

O R E M U S

„ Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui ad Moyſen,
„ & Aaron locutus es, ut accenderentur lucernæ in Tabernaculo Teſtimo-
„ nii, bene ✠ dicere dignare hos Famulos tuos; ut ſint Acolythi in Eccleſia
„ tua. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

O R E M U S

„ Omnipotens ſempiterne Deus, Fons lucis, & origo bonitatis, qui
„ per Jeſum Chriſtum Filium tuum, lumen verum, Mundum illuminaſti;

„ ejuſque Paſſionis myſteria redemiſti, bene ✠ dicere dignare hos Famulos „ tuos, quos in officium Acolythorum conſecramus, poſcentes clementiam „ tuam, ut eorum Mentes, & lumine ſcientiæ illuſtres, & pietatis tuæ rore „ irriges; ut ita acceptum miniſterium, te auxiliante, peragant, qualiter ad „ æternam remunerationem pervenire mereantur. Per eumdem Chriſtum Do- „ minum noſtrum. ℟. Amen.

*De Subdiaconatu.*

Parentur Calix vacuus cum Patena ſuperpoſita, urceoli cum manutergio, & liber Epiſtolarum. Pontifex reaſſumpta Mitra accedit ad ſedem, vel Faldiſtorium ad Cornu Epiſtolæ, ubi ſedens cum Mitra, oblato ſibi libro, & candela, legit quartum Graduale, vel quartum Alleluja, ſi ſit infra Octavam Pentecoſtes. Interim a Choro cantatur ipſum Graduale, vel Alleluja. Quo finito, ſurgit Pontifex, depoſita Mitra, & verſus ad Altare cantat quintam Collectam. Tum ſedet; reaſſumpta Mitra, cantatur quinta Lectio, quam ex libro legit. Poſtea revertitur ad ſedem ante medium Altaris, & Archidiaconus dicit: *Accedant, qui ordinandi ſunt Subdiaconi.*

Quilibet ordinandorum in Subdiaconatu debet indutus eſſe Amictu, non tamen ſuper caput, alba, & cingulo; habere manipulum in manu ſiniſtra; tunicellam ſuper brachio ſiniſtro; & candelam in manu dextera. Omnibus in Subdiaconos ordinandis coram Pontifice ſtantibus, Pontifex cum Mitra ſedens admonet eos (niſi omnes ſint Religioſi, quia tunc omittitur admonitio) dicens:

„ Filii dilectiſſimi, ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, „ iterum, atque iterum conſiderare debetis attente, quod onus hodie ultro „ appetitis. Hactenus enim liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcu- „ laria vota tranſire; quod ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, amplius non lice- „ bit a propoſito reſilire; ſed Deo, cui ſervire, regnare eſt, perpetuo famu- „ lari, & caſtitatem, illo adjuvante, ſervare oportebit; atque in Eccleſiæ mi- „ niſterio ſemper eſſe mancipatos. Proinde, dum tempus eſt, cogitate, & ſi „ in ſancto propoſito perſeverare placet, in nomine Domini huc accedite.

Illis tunc accedentibus, & coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus vocat ordinandos, dicens: *Accedant, qui ordinandi ſunt Diaconi, & Presbyteri.*

Ordinandis accedentibus, Archidiaconus ordinat eos, videlicet, Diaconandos paratos Amictu, Alba, Cingulo, & Manipulo, Stolam in manu ſiniſtra, Dalmaticam ſuper brachium ſiniſtrum, & Candelam in manu dextera tenentes, contra Cornu Epiſtolæ; Et Presbyterandos paratos, uti Diaconos, Planetam ſuper brachium ſiniſtrum, Mappulam albam manu ſiniſtra, & Candelam dextera tenentes. Et ſic ordinatis, Pontifex cum Mitra procumbit ſuper Faldiſtorium, Ordinandi vero ſuper tapetia proſternunt ſe; Miniſtri vero genuflectunt; ſchola inchoat Litanias: ſi vero fiat ſine cantu, Pontifex dicit, Miniſtris reſpondentibus:

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor Mundi Deus, Miſer.
Spiritus Sancte Deus, Miſer.
Sancta Trinitas unus Deus, Miſer.
Sancta Maria, Ora pro nobis
Sancta Dei Genitrix, ora
Sancta Virgo Virginum, ora

San-

Sancte Michael, ora
Sancte Gabriel, ora
Sancte Raphael, ora
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate pro Nobis.
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordines, orate
Sancte Joannes Baptiſta, ora
Sancte Joſeph, ora
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate
Sancte Petre, ora
Sanctæ Paule, ora
Sancte Andrea, ora
Sancte Jacobe, ora
Sancte Joannes, ora
Sancte Thoma, ora
Sancte Jacobe, ora
Sancte Philippe, ora
Sancte Bartholomæe, ora
Sancte Matthæe, ora
Sancte Simon, ora
Sancte Thaddæe, ora
Sancte Mathia, ora
Sancte Barnaba, ora
Sancte Luca, ora
Sancte Marce, ora
Omnes Sancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ, orate
Omnes Sancti Diſcipuli Domini, orate
Omnes Sancti Innocentes, orate
Sancte Stephane, ora
Sancte Laurenti, ora
Sancte Vincenti, ora
Sancti Fabiane, & Sebaſtiane, orate
Sancti Joannes, & Paule, orate
Sancti Coſma, & Damiane, orate
Sancti Gervaſi, & Protaſi, orate
Omnes Sancti Martyres, orate
Sancte Silveſter, ora
Sancte Gregori, ora
Sancte Ambroſi, ora
Sancte Auguſtine, ora
Sancte Hieronyme, ora
Sancte Martine, ora
Sancte Nicolae, ora
Sancte Amate, ora
Omnes Sancti Pontifices, & Confeſſores, orate
Omnes Sancti Doctores, orate
Sancte Benedicte, ora
Sancte Antoni, ora
Sancte Bernarde, ora
Sancte Dominice, ora
Sancte Franciſce, ora
Omnes Sancti Sacerdotes, & Levitæ, orate
Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ, orate
Sancta Maria Magdalena, ora
Sancta Agatha, ora
Sancta Lucia ora
Sancta Agnes, ora
Sancta Cæcilia, ora
Sancta Catharina, ora
Sancta Anaſtaſia, ora
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, orate
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius eſto, Parce nobis Domine.
Propitius eſto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera
Ab ira tua, libera
A ſubitanea, & improviſa morte, lib.
Ab inſidiis Diaboli, libera
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera
A Spiritu fornicationis, libera
A fulgure, & tempeſtate, libera
A Morte perpetua, libera
Per Myſterium Sanctæ Incarnationis tuæ, libera
Per Adventum tuum, libera
Per Nativitatem tuam, libera
Per Baptiſmum, & Sanctum Jejunium tuum, libera
Per Crucem, & Paſſionem tuam, lib.
Per Mortem, & Sepulturam tuam, lib.
Per Sanctam Reſurrectionē tuam, lib.
Per Admirabilē Aſcenſionē tuā, lib.
Per Adventum Spiritus Sancti Paracliti, libera
In die Judicii, libera
Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut

Digitized by Google

Ut Nobis parcas, Te rog.
Ut Nobis indulgeas, Te rog.
Ut ad veram pœnitentiam Nos perducere digneris, Te rog.
Ut Eccleſiam tuam Sanctam regere, & conſervare digneris, Te rog.
Ut Domnum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos Ordines in Sancta Religione conſervare digneris, Te rog.
Ut Inimicos Sanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, Te rog.
Ut Regibus, & Principibus Chriſtianis pacem, & veram concordiam donare digneris, Te rog.
Ut cuncto Populo Chriſtiano pacem, & unitatem largiri digneris, Te rog.
Ut Noſmetipſos in tuo Sancto ſervitio confortare, & conſervare digneris, Te rog.
Ut mentes noſtras ad Cœleſtia deſideria erigas, Te rog.
Ut omnibus Benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, Te rog.
Ut Animas Noſtras, Fratrum, propinquorum, & Benefactorũ noſtrorũ ab æterna damnatione eripias, Te rog.
Ut fructus Terræ dare, & conſervare digneris, Te rog.
Ut Omnibus Fidelibus Defunctis requiem æternam donare digneris, Te rog.

*Hic datur benedictio a Pontifice ſtante cum Mitra, & baculo Paſtorali dicens:*

Ut hos electos bene ✠ dicere digneris, Te rog.

*Secundo dicit*

Ut hos electos bene ✠ dicere, & Sancti ✠ ficare digneris, Te rog.

*Tertio dicit*

Ut hos electos bene ✠ dicere, Sancti ✠ ficare, & conſer ✠ vare digneris, Te rog.

*Et iterum procumbit ſuper faldiſtorium, & ſequitur.*

Ut Nos exaudire digneris, Te rog.
Fili Dei, Te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce Nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi Nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere Nobis.
Chriſte audi Nos. Chriſte Exaudi Nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Quibus finitis, Pontifex ſurgens cum Mitra, ſedet ſuper faldiſtorium, & Archidiaconus alta voce dicit:

*Recedant in partem, qui ordinandi ſunt Diaconi, & Presbyteri.*

Quibus tranſeuntibus in locum idoneum, unde Pontificem celebrantem videre poſſint; proceditur ad ordinationem Subdiaconorum, quibus coram Pontifice in modum coronæ genuflexis, Pontifex dicit.

„ Adepturi, filii dilectiſſimi, officium Subdiaconatus ſedulo attendite, „ quale miniſterium vobis traditur. Subdiaconum enim oportet aquam ad „ miniſterium Altaris præparare; Diacono miniſtrare; Pallas Altaris, & Cor„ poralia abluere; Calicem, & Patenam in uſum Sacrificii eidem offerre. „ Oblationes, quæ veniunt in Altare, Panes Propoſitionis vocantur. De „ ipſis oblationibus tantum debet in Altare poni, quantum populo poſſit ſuf„ ficere, ne aliquid putridum in Sacrario remaneat. Pallæ, quæ ſunt in ſub„ ſtratorio Altaris, in alio vaſe debent lavari, & in alio Corporales Pallæ. Ubi „ autem Corporales Pallæ lotæ fuerint, nullum aliud debet lavari, ipſaque lo„ tionis aqua in baptiſterium debet vergi. Studete itaque, ut iſta viſibilia mini„ ſteria, quæ diximus, nitide, & diligentiſſime complentes, inviſibilia horum „ exemplo perficiatis. Altare quidem S. Eccleſiæ ipſe eſt Chriſtus, teſte Joanne, „ qui in Apocalypſi ſua Altare aureum ſe vidiſſe perhibet, ſtans ante thronum, „ in quo, & per quem oblationes fidelium Deo Patri conſecrantur. Cujus

„ Alta-

Digitized by Google

,, Altaris pallæ, & corporalia ſunt membra Chriſti, ſcilicet Fideles Dei, qui-
,, bus Dominus, quaſi veſtimentis pretioſis circumdatur, ut ait Pſalmiſta:
,, Dominus regnavit, decorem indutus eſt. Beatus quoque Joannes in Apo-
,, calypſi vidit Filium hominis præcinctum zona aurea, ideſt ſanctorum ca-
,, terva. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari,
,, præbenda eſt a vobis aqua cœleſtis doctrinæ; qua purificati, ad ornamen-
,, tum Altaris, & cultum divini Sacrificii redeant. Eſtote ergo tales, qui
,, Sacrificiis divinis, & Eccleſiæ Dei, hoc eſt, Corpori Chriſti digne ſervi-
,, re valeatis, & in vera, & Catholica Fide fundati; quoniam, ut ait Apo-
,, ſtolus: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſchiſmaticum eſt, &
,, extra unitatem Eccleſiæ eſt. Et ideo, ſi uſque nunc fuiſtis tardi ad Eccle-
,, ſiam, amodo debetis eſſe aſſidui. Si uſque nunc ſomnolenti, amodo vigiles.
,, Si uſque nunc ebrioſi, amodo ſobrii. Si uſque nunc inhoneſti, amodo caſti.
,, Quod ipſe vobis præſtare dignetur, qui vivit, & regnat Deus in ſæcula
,, ſæculorum. Amen.

Hinc Pontifex accipit, & tradit omnibus Calicem vacuum cum Patena vacua ſuperpoſita, quem ſucceſſive manu dextera ſinguli tangunt, Pontifice dicente:

*Videte cujus miniſterium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis.*

Archidiaconus accipit, & tradit eis urceolos cum vino, & aqua, ac bacile cum manutergio, quæ omnia ſimiliter tangere debent.

Surgit Pontifex, & verſus ad Populum ſtans cum Mitra, dicit:

,, Oremus Deum, ac Dominum noſtrum, fratres chariſſimi, ut ſuper
,, hos famulos ſuos, quos ad ſubdiaconatus officium vocare dignatus eſt, in-
,, fundat bene✠dictionem ſuam, & gratiam; ut in conſpectu ejus fideliter
,, ſervientes, prædeſtinata Sanctis præmia conſequantur, adjuvante Domi-
,, no Noſtro Jeſu Chriſto, qui cum eo vivit, et regnat in unitate Spiritus
,, Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Tum depoſita Mitra, converſus ad Altare Pontifex dicit: *Oremus*: Miniſtri autem *Flectamus genua*. ℟. *Levate*.

Pontifex verſus Ordinandos genuflexos dicit ſine mitra:

,, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, bene✠dicere di-
,, gnare hos famulos tuos, quos ad ſubdiaconatus officium eligere dignatus
,, es; ut eos in ſacrario tuo ſancto ſtrenuos, ſolidoſque cœleſtis militiæ in-
,, ſtituas excubitores, ſanctiſque Altaribus tuis fideliter ſubminiſtrent; et re-
,, quieſcat ſuper eos ſpiritus ſapientiæ, et intellectus; ſpiritus conſilii, et
,, fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, et pietatis; et repleas eos ſpiritu timoris
,, tui, et eos in miniſterio divino confirmes, ut obedientes facto, ac dicto
,, parentes, tuam gratiam conſequantur. Per Dominum noſtrum Jeſum
,, Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate ejuſdem
,, Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Pontifex ſedet cum Mitra, amictum, qui in collo Ordinandorum jacet, imponit ſuper caput ſingulis, dicens:

*Accipe Amictum, per quem deſignatur caſtigatio vocis. In Nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠Sancti.* ℟. *Amen.*

Dum immittit manipulum in ſiniſtrum brachium cuilibet dicens:

*Accipe Manipulum, per quem deſignantur fructus bonorum operum. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠Sancti.* ℟. *Amen.* Poſt

Digitized by Google

Poſt hæc induit quemlibet Tunica, dicens cuilibet:

*Tunica jucunditatis, & indumento lætitiæ induat te Dominus. In Nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠Sancti.* ℟. *Amen.*

Poſtea accipit, et tradit omnibus librum Epiſtolarum, manu dextera ipſum ſimul tangentibus, dicens:

*Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei, tam pro Vivis, quam pro Defunctis. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus✠Sancti.* ℟. *Amen.*

*De Diaconatu.*

Pontifex, reaſſumpta Mitra, accedit ad ſedem, vel faldiſtorium, ubi ſedens cum mitra, oblato ſibi libro, et candela, legit Hymnum *Benedictus es*, vel *Alleluja* cum verſu *Benedictus es*, ſi ſit infra octavam Pentecoſtes. Interim cantatur a Choro *dictus hymnus*, vel *Alleluja* cum ſuo verſu, ut ſupra. Quo finito ſurgit Pontifex depoſita Mitra, et verſus ad Altare dicit competenti tono *Gloria in excelſis Deo*, ſi ſit infra octavam Pentecoſtes, quod dum a Choro perficitur, ſedet cum Mitra. Quo finito, depoſita Mitra, ſurgit, & verſus ad populum dicit: *Pax vobis*, vel *Dominus vobiſcum*, ſi *Gloria in excelſis* non ſit dicendum, et converſus ad Altare cantat orationem Miſſæ diei, cum oratione pro ordinatis, & ordinandis ſub uno *per Dominum noſtrum*, videlicet.

*Exaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces, & devoto tibi pectore famulantes perpetua defenſione cuſtodi; ut nullis perturbationibus impediti, liberam ſervitutem tuis ſemper exhibeamus officiis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat &c.*

Finita oratione, ſedet Pontifex cum Mitra, et oblato ſibi libro, et candela legit Epiſtolam, quæ ab uno ex Subdiaconis noviter ordinatis cantatur: qua finita ſurgit Pontifex, & accedit ad faldiſtorium ante Altare cum Mitra, et ibi ſedet. Et promovendi ad ordinem Diaconatus vocantur: *Accedant, qui ordinandi ſunt ad Diaconatum.*

Eis amictu, alba, cingulo, et manipulo paratis, ac ſtolam in ſiniſtra manu, et candelam in dextera, ac dalmaticam ſuper brachium ſiniſtrum tenentibus, et coram Pontifice genuflexis Archidiaconus dicit:

*Reverendiſſime Pater, poſtulat Sancta Mater Eccleſia Catholica, ut hos præſentes Subdiaconos ad onus Diaconii ordinetis.*

Pontifex interrogat, dicens: *Scis illos dignos eſſe?*

Archidiaconus reſpondet: *Quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor, ipſos dignos eſſe ad hujus onus officii.*

Et Pontifex reſpondet. *Deo gratias*: & procedit ad eorum ordinationem.

Pontifex cum Mitra ſedens, annuntiat populo, dicens:

*Auxiliante Domino Deo, & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto, eligimus hos præſentes Subdiaconos in ordinem Diaconii. Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat; verumtamen memor ſit conditionis ſuæ.*

Facta aliquali mora, Pontifex ſermonem ſuum ad Ordinandos convertens dicit:

„ Provehendi, Filii dilectiſſimi, ad Leviticum ordinem, cogitare magnopere, „ ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis. Diaconum enim oportet miniſtrare „ ad Altare, baptizare, & prædicare. Sane in veteri lege ex duodecim una

Tri-

Digitized by Google

„ Tribus Levi electa eſt, quæ ſpeciali devotione tabernaculo Dei, ejuſque „ ſacrificiis, ritu perpetuo deſerviret. Tantaque dignitas ipſi conceſſa eſt, „ quod nullus, niſi ex ejus ſtirpe, ad divinum illum cultum, atque officium „ miniſtraturus aſſurgeret; adeo, ut grandi quodam privilegio hæreditatis, „ & Tribus Domini eſſe mereretur, & dici: quorum hodie filii dilectiſſimi, „ & nomen, & officium tenetis; quia in miniſterium tabernaculi teſtimo- „ nii, ideſt, Eccleſiæ Dei, eligimini in Levitico officio, quæ ſemper in „ procinctu poſita, inceſſabili pugna contra inimicos dimicat, unde ait „ Apoſtolus: Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem: ſed „ adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum ha- „ rum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cœleſtibus. Quam Eccleſiam Dei, veluti „ tabernaculum, portare, & munire debetis ornatu ſancto, prædicatu di- „ vino, exemplo perfecto. Levi quippe interpetratur additus, ſive aſſum- „ ptus. Et vos, filii dilectiſſimi, qui ab hæreditate paterna nomen accipitis, „ eſtote aſſumpti a carnalibus deſideriis, a terrenis concupiſcentiis, quæ „ militant adverſus animam; eſtote nitidi, mundi, puri, caſti, ſicut decet „ miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei; ut digne addamini „ ad numerum Eccleſiaſtici gradus; ut hæreditas, & Tribus amabilis Do- „ mini eſſe mereamini. Et quia comminiſtri, & cooperatores eſtis Corpo- „ ris, & Sanguinis Domini, eſtote ab omni illecebra carnis alieni, ſicut „ ait Scriptura: Mundamini, qui fertis vaſa Domini. Cogitate Beatum Ste- „ phanum, merito præcipuæ caſtitatis ab Apoſtolis ad officium iſtud ele- „ ctum. Curate, ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus „ exponatis, ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium pacem, evan- „ gelizantium bona. Habete pedes veſtros calceatos ſanctorum exemplis in „ præparatione Evangelii pacis. Quod vobis Dominus concedat per gra- „ tiam ſuam. ℟. Amen.

Poſt hæc Ordinandis ab accubitu ſurgentibus, genuflexis tamen manentibus, Pontifex ſedens in Faldiſtorio cum Mitra, intelligibili voce alloquitur Clerum, & Populum, dicens:

„ Commune votum communis oratio proſequatur; ut hi totius Ec- „ cleſiæ prece, qui ac Diaconatus miniſterium præparantur, Leviticæ be- „ ne ✠ dictionis ordine clareſcant, & ſpirituali converſatione præfulgentes, „ gratia ſanctificationis eluceant; præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui „ cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.

Deinde ſurgens cum Mitra Pontifex, ſtans verſus ad ordinandos, dicit alta voce, legendo:

„ Oremus, Fratres chariſſimi, Deum Patrem omnipotentem; ut ſu- „ per hos famulos ſuos, quos ad officium Diaconatus dignatur aſſumere, be- „ nedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eiſque conſecrationis indultæ „ propitius dona conſervet, et preces noſtras clementer exaudiat; ut quæ „ noſtro gerenda ſunt miniſterio, ſuo benignus proſequatur auxilio; et quos „ ſacris Myſteriis exequendis pro noſtra intelligentia credimus offerendos, ſua „ bene✠dictione ſanctificet, & confirmet. Per unigenitum Filium ſuum Do- „ minum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui cum eo, et Spiritu Sancto vivit, et „ regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Deinde depoſita Mitra, extenſis manibus ante pectus, dicit:

*Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.*

 ℣. Do-

℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*:

℟. *Surſum corda*. ℟. *Habemus ad Dominum*.

℣. *Gratias agamus Domino Deo noſtro*. ℟. *Dignum, & juſtum eſt*.

„ Vere dignum, et juſtum eſt, æquum, et ſalutare, nos tibi ſemper, „ et ubique gratias agere: Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, „ honorum dator, ordinumque diſtributor, atque officiorum diſpoſitor, qui „ in te manens innovas omnia, et cuncta diſponis, per verbum, virtutem, „ ſapientiamque tuam, Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, ſem„ piterna providentia præparas, et ſingulis quibuſque temporibus aptanda „ diſpenſas. Cujus Corpus, Eccleſiam videlicet tuam cœleſtium gratiarum „ varietate diſtinctam, ſuorumque connexam diſtinctione membrorum, per „ legem mirabilem totius compaginis unitatem, in augmentum templi tui „ creſcere, dilatarique largiris; ſacri muneris ſervitutem trinis gradibus mi„ niſtrorum nomini tuo militare conſtituens; electis ab initio Levi filiis, qui „ in myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hære„ ditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent. Super hos quo„ que famulos tuos, quæſumus Domine, placatus intende, quos ſacris tuis „ altaribus ſerrituros in officium Diaconatus ſuppliciter dedicamus. Et nos „ quidem tamquam homines divini ſenſus, et ſummæ rationis ignari, horum „ vitam, quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem, Domine, quæ no„ bis ſunt ignota non tranſeunt, et occulta non fallunt. Tu cognitor es ſe„ cretorum; tu ſcrutator es cordium. Tu horum vitam cœleſti poteris exa„ minare judicio, quo ſemper prævales, et admiſſa purgare, et ea, quæ ſunt „ agenda, concedere.

Hic ſolus Pontifex manum dexteram extendens, ponit ſuper caput cuilibet ordinando, et nullus alius, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecrantur, dicens ſingulis.

*Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus. In nomine Domini.*

Poſtea proſequitur in primo tono, extenſam tenens manum dexteram uſque in finem præfationis.

„ Emitte in eos, quæſumus, Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus „ miniſterii tui fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur. „ Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans, „ innocentiæ puritas, & ſpiritualis obſervantia diſciplinæ. In moribus „ eorum præcepta tua fulgeant; ut ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſan„ ctam plebs acquirat; & bonum conſcientiæ teſtimonium præferentes, in „ Chriſto firmi, & ſtabiles perſeverent, digniſque ſucceſſoribus de inferio„ ri gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur.

Quod ſequitur dicit ſubmiſſa voce legendo, ita tamen quod a circumſtantibus audiatur; *Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum*. ℟. *Amen*.

Pontifex ſedens cum mitra, cuilibet ordinando ante ſe genuflexo, ſtolam, quam ſinguli in manu habent, imponit ſucceſſive ſuper humerum ſiniſtrum, dicens ſingulis:

*Accipe ſtolam ✠ candidam de manu Dei; adimple miniſterium tuum, potens enim eſt Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam. Qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum*. ℟. *Amen*.

Poſt

Poſt hæc Pontifex accipit Dalmaticam, & ſingulos induit, dicens cuilibet;
*Induat te Dominus indumento ſalutis, & veſtimento lætitiæ, & Dalmatica juſtitiæ circumdet te ſemper. In nomine Domini.* ℟. *Amen.*

Poſtremo Pontifex accipit, & tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens:

Pontifex ſtans ad altare converſus, ſine mitra.

*Oremus.* Miniſtri. *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Et vertens ſe ad Ordinatos, dicit:

„ Accipite poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vi„ vis, quam pro defunctis. In nomine Domini. ℟. Amen.

„ Exaudi Domine, preces noſtras, & ſuper hos famulos tuos ſpiritum „ tuæ bene ✠ dictionis emitte, ut cœleſti munere ditati, & tuæ Majeſtatis „ gratiam poſſint acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per „ Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & „ regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæcu„ lorum. ℟. Amen.

O R E M U S.

„ Domine Sancte, Pater fidei, ſpei, & gratiæ, & profectuum remu„ nerator, qui in cœleſtibus, & terrenis Angelorum miniſteriis ubique di„ ſpoſitis, per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum, hos „ quoque famulos tuos ſpirituali dignare illuſtrare affectu; ut tuis obſequiis „ expediti, ſanctis altaribus tuis miniſtri puri accreſcant; & indulgentia „ tua puriores, eorum gradu, quos Apoſtoli tui in ſeptenarium numerum, „ beato Stephano duce, ac prævio, Spiritu Sancto auctore, elegerunt, di„ gni exiſtant; & virtutibus univerſis, quibus tibi ſervire oportet, inſtructi, „ tibi complaceant. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, „ qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem Spiritus Sancti Deus, per „ omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

*De Presbyteratu.*

Parentur oleum Cathecumenorum, Calix cum vino, & aqua, Patena, & Hoſtia deſuper poſita; medulla panis, & bacile cum buccali pro manibus abluendis, quas ſinguli ad ſuas mappulas extergunt.

Pontifex ordinatis Diaconis accedit ad ſedendum in ſede, vel in faldiſtorio: cantatur Tractus uſque ad ultimum verſum excluſive; vel ſi ſit infra octavam Pentecoſtes, Tractus, & ſequentia uſque ad ultimum verſum excluſive. Deinde cum mitra revertitur ante altare. Tunc Archidiaconus vocat Ordinandos, dicens: *Accedant, qui ordinandi ſunt ad ordinem Presbyteratus.*

Tunc illi more Diaconorum induti, & parati amictu, alba, cingulo, ſtola, & manipulo, tenentes planetas ſuper brachium ſiniſtrum complicatas, & in manu dextera candelas, ac mappulas albas pro ligandis, & lavandis manibus, accedunt ad Pontificem; & Archidiaconus præſentat Ordinandos Pontifici, dicens:

*Reverendiſſime Pater, poſtulat Sancta Mater Eccleſia Catholica, ut hos præſentes Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.* Pontifex interrogat, dicens: *Scis illos eſſe dignos?* reſpondet Archidiaconus: *Quantum humana fragilitas noſſe ſinit, & ſcio, & teſtificor ipſos dignos eſſe ad hujus onus officii.* Pontifex dicit: *Deo gratias.* Poſtea dicit.

 „ Quo-

„ Quoniam, Fratres chariſſimi, rectori navis, & navigio deferendis eadem eſt, vel ſecuritatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet eſſe ſententia,quorum cauſa communis exiſtit. Neque enim fuit fruſtra a Patribus inſtitutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi ſunt,conſulatur etiam Populus: quia de vita, & converſatione præſentandi, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, ſcitur a paucis; & neceſſe eſt, ut facilius ei, quis obedientiam exhibeat ordinato, cui aſſenſum præbuerit ordinando. Horum ſiquidem Diaconorum in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum converſatio (quantum mihi videtur) probata, & Deo placita exiſtit, & digna (ut arbitror) Eccleſiaſtici onoris augmento. Sed ne unum fortaſſe, vel paucos, aut decipiat aſſentio, vel fallat affectio, ſententia eſt expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus, aut moribus noveritis; quid de merito ſentiatis, libera voce pandatis, & his teſtimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo,& propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat. Veruntamen memor ſit conditionis ſuæ.

Facta aliqua mora, ad Ordinandos dicit,

„ Conſecrandi, filii dilectiſſimi, in Presbyteratus officium, illud digne ſuſcipere, ac ſuſceptum laudabiliter exequi ſtudeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum aſcendendum eſt, ac providendum, ut cœleſtis ſapientia, probi mores, & diuturna juſtitiæ obſervatio ad id electos commendent. Unde Dominus præcipiens Moyſi, ut ſeptuaginta viros de univerſo Iſrael in adjutorium ſuum eligeret, quibus Spiritus Sancti dona divideret, ſuggeſſit: quos tu noſti, quod ſenes populi ſunt. Vos ſiquidem in ſeptuaginta viris, & ſenibus ſignati eſtis: Si per Spiritum ſeptiformem Decalogum legis cuſtodientes, probi, & maturi in ſcientia ſimiliter, & opere eritis. Sub eodem quoque myſterio, & eadem figura in novo Teſtamento Dominus ſeptuaginta duos elegit, ac binos ante ſe in prædicationem miſit: ut doceret verbo ſimul, & facto Miniſtros Eccleſiæ ſuæ, fide, & opere debere eſſe perfectos: ſeu geminæ dilectionis, Dei, ſcilicet, & Proximi virtute fundatos. Tales itaque eſſe ſtudeatis, ut in adjutorium Moyſi, & duodecim Apoſtolorum, Epiſcoporum, videlicet Catholicorum, qui per Moyſen, & Apoſtolos figurantur, digne, per gratiam Dei eligi valeatis. Hac certe mira varietate Eccleſia ſancta circumdatur, ornatur, & regitur; cum alii in ea Pontifices, alii minoris Ordinis Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, diverſorum Ordinum viri conſecrantur; & ex multis, & alternæ dignitatis membris unum Corpus Chriſti efficitur. Itaque, filii dilectiſſimi, quos ad noſtrum adjutorium fratrum noſtrorum arbitrium conſecrandos elegit, ſervate in moribus veſtris, caſtæ, & ſanctæ vitæ integritatem. Agnoſcite quod agitis. Imitamini quod tractatis; quatenus mortis Dominicæ myſterium celebrantes, mortificare membra veſtra a vitiis, & concupiſcentiis omnibus procuretis. Sit doctrina veſtra ſpiritualis medicina Populo Dei. Sit odor vitæ veſtræ delectamentum Eccleſiæ Chriſti; ut prædicatione, atque exemplo ædificetis domum, ideſt, familiam Dei; quatenus nec nos de veſtra provectione, nec vos de tanti officii ſuſceptione damnari a Domino, ſed remunerari potius mereamur. Quod ipſe nobis concedat per gratiam ſuam: ℟. Amen.

Pon-

Pontifex ſtans ante faldiſtorium cum Mitra, imponit ſimul utramque manum ſuper caput cujuslibet ordinandi: idemque faciunt poſt eum Sacerdotes, qui adſunt, quorum tres ſaltem cum ſtolis parati eſſe deberent. Quo facto tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent manus dexteras extenſas ſuper illos; & Pontifex ſtans cum Mitra, dicit:

„ Oremus, fratres chariſſimi, Deum Patrem Omnipotentem, ut ſuper „ hos famulos ſuos, quos ad Presbyterii munus elegit, cœleſtia dona multi- „ plicet; & quod ejus dignatione ſuſcipiunt, ipſius conſequantur auxilio. „ Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Pontifex depoſita Mitra, converſus ad altare, dicit: *Oremus*; & Miniſtri: *Flectamus genua*: ℟. *Levate*. Et converſus ad Ordinandos, dicit:

„ Exaudi nos, quæſumus, Domine Deus noſter, ut ſuper hos famu- „ los tuos bene✠dictionem Sancti Spiritus, & gratiæ ſacerdotalis infunde „ virtutem; ut, quos tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandos, per- „ petua muneris tui largitate proſequaris. Per Dominum noſtrum Jeſum „ Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem „ Spiritus Sancti Deus &c. Et extenſis manibus ante pectus, dicit:

*Per omnia ſæcula ſæculorum*. ℟. *Amen*.

℣. *Dominus vobiſcum*. ℟. *Et cum ſpiritu tuo*.

℣. *Surſum corda*. ℟. *Habemus ad Dominum*.

℣. *Gratias agamus Domino Deo noſtro*. ℟. *Dignum, & juſtum eſt*:

„ Vere dignum, & juſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper, „ & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, „ honorum auctor, & diſtributor omnium dignitatum; per quem proficiunt „ univerſa, per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ „ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione diſpoſitum. Unde & ſa- „ cerdotales gradus, atque officia Levitarum, Sacramentis myſticis inſtitu- „ ta creverunt: ut cum Pontifices ſummos regendis Populis præfeciſſes, ad „ eorum ſocietatis, & operis adjumentum, ſequentis ordinis viros, & ſecun- „ dæ dignitatis eligeres. Sic in Eremo per ſeptuaginta virorum prudentium „ mentes, Moyſi ſpiritum propagaſti, quibus ille adjutoribus uſus, in po- „ pulo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic & in Eleazarum, & „ Ithamarum filios Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti; ut „ ad hoſtias ſalutares, & frequentioris officii Sacramenta miniſterium ſuffi- „ ceret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apoſtolis filii tui Docto- „ res fidei comites addidiſti; quibus illi Orbem totum ſecundis prædicatio- „ nibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine, „ quæſumus, hæc adjumenta largire; qui quanto fragiliores ſumus, tanto his „ pluribus indigemus. Da, quæſumus, Omnipotens Pater, in hos famulos „ tuos Presbyterii dignitatem; innova in viſceribus eorum ſpiritum ſancti- „ tatis; ut acceptum a te, Deus, ſecundi meriti munus obtineant; cenſu- „ ramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent. Sint providi coope- „ ratores ordinis noſtri; eluceat in eis totius forma juſtitiæ, ut bonam ra- „ tionem diſpenſationis ſibi creditæ redditurí, æternæ beatitudinis præmia „ conſequantur.

Quod ſequitur, legat ſubmiſſa voce; ita tamen ut audiatur a circumſtantibus:

***Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*, *qui te-***

*cum vivit, & regnat in unitate ejuſdem &c.* ℟. *Amen.*

Pontifex accepta Mitra ſedet, & reflectit ſtolam ab humero ſiniſtro cujuſlibet, accipiens partem, quæ retro pendet, & imponit ſuper dexterum, aptans eam ante pectus in modum Crucis, dicens:

*Accipe jugum Domini; jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve.*

Poſtea imponit cuilibet caſulam uſque ad ſcapulas ( quam quilibet teneat complicatam ſuper humeros, pendentem tamen a parte anteriori ) ſingulis dicens:

*Accipe veſtem Sacerdotalem, per quam Charitas intelligitur; potens eſt enim Deus, ut augeat tibi Charitatem, & opus perfectum.* ℟. *Deo gratias.*

Surgit Pontifex ſine Mitra, & omnibus genua flectentibus, dicit:

„ Deus ſanctificationum omnium auctor, cujus vera conſecratio, ple-
„ naque benedictio eſt, tu Domine, ſuper hos famulos tuos, quos ad Presby-
„ terii honorem dedicamus, munus tuæ bene✠dictionis infunde; ut gravi-
„ tate actuum, & cenſura vivendi probent ſe ſeniores, his inſtituti diſcipli-
„ nis, quas Tito, & Timotheo Paulus expoſuit; ut in lege tua die, ac no-
„ cte meditantes, quod legerint, credant; quod crediderint, doceant: quod
„ docuerint, imitentur; juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitu-
„ dinem, cæteraſque virtutes in ſe oſtendant, exemplo præbeant; admo-
„ nitione confirment: ac purum, & immaculatum miniſterii ſui donum cu-
„ ſtodiant; & per obſequium plebis tuæ, panem, & vinum, in Corpus, &
„ Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment; & inviolabi-
„ li charitate in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti,
„ in die juſti, æterni judicii Dei, conſcientia pura, fide vera, Spiritu San-
„ cto pleni reſurgant. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Fi-
„ lium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem &c. ℟. Amen.

Tunc Pontifex ſine Mitra ante altare converſus, flexis genibus incipit alta voce Hymnum.

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creaſti pectora.

*Surgit Pontifex; ſchola proſequitur hymnum; & facit ut in fine hymni habetur.*

Qui diceris Paraclitus,
Altiſſimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et ſpiritalis unctio.

Tu ſeptiformis munere,
Digitus Paternæ dexteræ,
Tu rite promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen ſenſibus:
Infunde amorem cordibus:
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore ſic te prævio,
Vitemus omne noxium.

Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Teque utriuſque ſpiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In ſæculorum ſæcula. ℟. Amen.

Dicto primo verſu, ſurgit Pontifex, ſedet cum Mitra; & depoſitis chirothecis, & annulo Pontificali reaſſumpto, ponitur ei gremiale, & ſinguli ordinandi ſucceſſive coram eo genua flectunt; & Pontifex cum Oleo Cathecumenorum inungit unicuique ambas manus ſimul junctas in modum crucis; pro-

Digitized by Google

producendo cum pollice ſuo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet, a pollice dexteræ manus uſque ad indicem ſiniſtræ, & a pollice ſiniſtræ uſque ad indicem dexteræ, ungendo mox totaliter palmas dicens, dum quemlibet inungit:

*Conſecrare, & ſanctificare digneris, Domine, manus iſtas per iſtam unctionem, & noſtram bene✠dictionem. ℟. Amen.*

Et producit ſignum crucis ſuper manus illius, & proſequitur.

*Ut quæcumque benedixerint, benedicantur; & quæcumque conſecraverint, conſecrentur, & ſanctificentur in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, & quilibet Ordinandus reſpondet. *Amen.*

Tum Pontifex claudit manus cuilibet ſucceſſive, & aliquis Miniſter albo panniculo linteo dexteram ſuper ſiniſtram allegat: & ſic clauſas tenet. Pontifex mica panis pollicem tergit: tum tradit cuilibet ſucceſſive Calicem cum vino, & aqua, & Patenam ſuperpoſitam cum hoſtia, & ipſi illam accipiunt inter indices, & medios digitos, & cuppam Calicis, & Patenam ſimul tangunt, Pontifice ſingulis dicente.

*Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, miſſaſque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. ℟. Amen.*

His peractis, Pontifex lavat manus cum medulla panis: deinde cum Mitra revertitur ad ſedem, ubi ſedet: & Chorus cantat ultimum verſum Tractus, vel Sequentiæ, ſive *alleluja*, quos legit etiam Pontifex: legit etiam ſecrete: *Munda cor meum &c., atque Evangelium:* & unus ex Diaconis noviter ordinatis accedit ad Altare cum Miſſale ante pectus, dicit: *Munda cor meum &c., & cantat Evangelium.* Parentur hoſtiæ pro numero ordinatorum in ordinibus ſacris, qui omnes communicare debent; & dum Offertorium cantatur, ordinati Sacerdotes poterunt lavare manus cum medulla panis, & aqua mundare, & extergere mappulis, quibus ligatæ erant. Pontifex lecto Offertorio, accepta Mitra, vadit ad Faldiſtorium in medium Altaris, & ſedens, accipit Offertorium ab Ordinatis: primo Presbyteri, tum Diaconi, & alii. Poſtea lavat manus: ſurgit ſine Mitra: tollitur Faldiſtorium, & proſequitur Miſſam. Presbyteri ordinati in terra genuflexi habeant libros coram ſe dicentes: *Suſcipe Sancte Pater &c.* & omnia alia de Miſſa, prout dicit Pontifex, qui advertat, quod ſecretas moroſe dicat, & aliquantulum alte, & præſertim verba conſecrationis, quæ dici debent eodem momento per Ordinatos, quo dicuntur per Pontificem. Secreta pro Ordinatis, quæ dicitur cum ſecreta Miſſæ diei ſub uno *per Dominum noſtrum* &c.

*Tuis, quæſumus, Domine, operare myſteriis, ut tibi hæc munera dignis mentibus offeramus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate &c. ℟. Amen.*

Cum Pontifex dixerit orationem *Domine Jeſu Chriſte, qui &c.* oſculatur Altare: & dat primo ex ſingulis Ordinatis cujuslibet Ordinis Sacri, pacem dicens. *Pax tecum*: qui reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo*: & unus det alteri ad invicem.

Pontifex poſtquam ſe communicaverit, & totum ſanguinem ſumpſerit, priuſquam digitos abluat, accedunt ante Altare Presbyteri, & Diaconi: & Subdiaconi tantum dicunt ſubmiſſa voce *Confiteor Deo &c.* facta reverentia Sacramento, vertit ſe ad eos, & dicit.

*Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.* *Indul-*

Digitized by Google

*Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus.* ℟. *Amen.*

Et manu dextera ſignum crucis ſuper eos producit. Presbyteri ante Communionem non dicunt Confeſſionem, nec datur eis Abſolutio, quia concelebrant Pontifici: propterea ſi non ſunt alii ordinati, Confeſſio, & Abſolutio prædictæ omittuntur, & more ſolito communicat dicens: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam.* ℟. *Amen.* Omnibus communicatis, & ſumpta ablutione, Pontifex accipit Mitram, & lavat manus. Poſtea Mitra depoſita, ſtans in Cornu Epiſtolæ, verſus ad Altare inchoat cum cantu proſequente ſchola reſponſorium tono 8. dicens:

*Jam non dicam vos ſervos, ſed Amicos meos, quia omnia cognoviſtis, quæ operatus ſum in medio veſtri Alleluja* ( quod a Septuageſima uſque ad Paſcha non dicitur) *Accipite Spiritum Sanctum in vobis Paraclitum: Ille eſt, quem Pater mittet vobis Alleluja.* ℣. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Accipite.* ℣. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Ille eſt, quem &c.*

Incepto Reſponſorio, Pontifex accepta Mitra vertit ſe ad Presbyteros ordinatos, qui ſtant coram ipſo, & profitentur, ut ſequitur, dicentes.

„ Credo in Deum, Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli, & Terræ.
„ Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum Noſtrum. Qui con-
„ ceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Paſſus ſub Pontio Pi-
„ lato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Deſcendit ad inferos; tertia die
„ reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris
„ Omnipotentis. Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos. Credo in
„ Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Commu-
„ nionem, Remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionem. Vitam æter-
„ nam. Amen.

Quo finito, Pontifex cum Mitra ſedens, imponit ambas manus ſuper capita ſingulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet:

*Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta ſunt.*

Poſtea explicans caſulam, induit illa quemlibet, ſingulis dicens.

*Stola innocentiæ induat te Dominus.*

Mox unuſquiſque iterum accedit ad Pontificem, & genuflexus ponit manus ſuas junctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet.

*Promittis mihi, & ſucceſſoribus meis reverentiam, & obedientiam?* Et ille reſpondet: *Promitto.*

Si vero Pontifex non eſt ſuus Ordinarius, dicit ſingulis Presbyteris ſæcularibus: *Promittis Pontifici, Ordinario tuo*, &c.

Singulis vero Regularibus.

*Promittis Pontifici, vel Prælato Ordinario tuo, pro tempore exiſtenti reverentiam, & obedientiam?*

Et ille reſpondet: *Promitto.*

Tunc Pontifex tenens manus illius inter ſuas, oſculatur unumquemque, dicens: *Pax Domini ſit ſemper tecum*: & ille reſpondet: *Amen.*

His expletis, & eis reverſis ad locum ſuum: Pontifex ſedens cum Mitra, & baculo, dicit:

*Quia res, quam tractaturi eſtis, ſatis periculoſa eſt, Filii dilectiſſimi,* moneo

*moneo vos, ut diligenter totius Miſſæ Ordinem, atque Hoſtiæ Conſecrationem, ac fractionem, & Communionem, ab aliis jam doctis Sacerdotibus diſcatis, priuſquam ad celebrandum Miſſam accedatis.*

Surgit Pontifex cum Mitra, & baculo benedicit Presbyteros genuflexos, dicens:

*Benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper vos, ut ſitis benedicti in Ordine Sacerdotali; & offeratis placabiles Hoſtias pro peccatis, atque offenſionem Populi Omnipotenti Deo, cui eſt honor, & gloria per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.*

Pontifex depoſita Mitra, & amoto Faldiſtorio, convertitur ad Altare: proſequitur Miſſam, & cantatur Communio, & ſub una concluſione, dicit:

*Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis; ut tuæ redemptionis effectum, & myſteriis capiamus, & moribus. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat* &c. ℟. *Amen.*

Deinde dicitur: *Benedicamus Domino*: vel *Ite Miſſa eſt*: quo dicto Pontifex accepta Mitra, & baculo dat benedictionem ſolitam dicens:

*Sit nomen Domini benedictum*, &c.

Tum ſedens, alloquitur Ordinatos, dicens:

„ Filii dilectiſſimi diligenter conſiderate Ordinem per vos ſuſceptum, ac „ onus humeris veſtris impoſitum. Studete ſancte, religioſe vivere, atque „ omnipotenti Deo placere, ut gratiam ſuam poſſitis acquirere, quam ipſe „ vobis per ſuam Miſericordiam concedere dignetur.

„ Singuli ad primam Tonſuram, vel ad quatuor minores Ordines pro„ moti dicite ſemel ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, verſiculis, „ & orationibus. Ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, Nocturnum talis diei. „ Ad Presbyteratum vero Ordinati, poſt primam veſtram Miſſam, tres alias „ Miſſas, videlicet unam de Spiritu Sancto, aliam de Beata Virgine, tertiam „ pro Fidelibus Defunctis dicite, & Omnipotentem Deum etiam pro me orate.

Tum Pontifex convertit ſe ad Altare, & dicit ſubmiſſa voce: *Dominus Vobiſcum. Initium Sancti Evangelii ſecundum Joannem. In principio*, &c.

Quod Ordinati ad Presbyteratum etiam dicunt. Poſtea omnes Sacras veſtes deponunt.

## CAPUT VII.

### *De Matrimonio.*

Nuptis, & nubendis non impigre ſectandum eſt ſaluberrimum documentum a Cœleſti Medico Archangelo Raphaele Tobiæ traditum (*a*), nempe: „ Qui conjungium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente exclu„ dant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt in„ tellectus, habet poteſtatem Dæmonium ſuper eos: Accipies Virginem cum „ timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in ſemi„ ne Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris. Equidem homini convenit „ in omnibus mentem Creatori ſuo elevare: fides enim, timor Dei, & gra„ tiarum actio ſanctificat cibum, & Matrimonium (*b*).

 Itaque

(a) *Tob. c. 6. ver. 17. & ſeq.* (b) *1. ad Timor. 4.*

Digitized by Google

Itaque Parochi in Domino monentur, in his Populum inſtruere, ac præcipue cum vivorum ſit Sacramentum, non niſi in ſtatu gratiæ ſuſcipiatur: Sacrique Tridentini Doctrinam edocere; Ritualiſque normam ſervare; quæ ut præ oculis habeantur, præfixa methodo inſeruntur.

*Doctrina de Sacramento Matrimonii (a).*

Matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens, Divini Spiritus inſtinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc (b) nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; quamobrem (c) relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.*

Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi, Chriſtus Dominus apertius docuit: cum poſtrema illa verba, tanquam a Deo prodata referens dixit (d): *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*, ſtatimque ejuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavit (e): *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium Sacramentorum inſtitutor, atque perfector, ſua nobis Paſſione promeruit. Quod Paulus Apoſtolus innuit, dicens (f): *Viri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea:* Mox ſubjungens: *Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem (g) dico in Chriſto, & in Eccleſia.*

Cum igitur Matrimonium in lege (h) Evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet: merito inter novæ legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres noſtri (i), Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditio, ſemper docuerunt.

*De adminiſtratione ejuſdem Sacramenti ex Rituali Romano.*

Parochus admonitus de aliquo Matrimonio in ſua Parochia contrahendo, primum cognoſcat ex his, ad quos ſpectat, qui, & quales ſint, qui Matrimonium contrahere volunt: an inter eos ſit aliquod Canonicum impedimentum. Utrum ſponte, & libere, & ſecundum honeſtatem Sacramenti velint contrahere. Utrum ſint in ætate legitima; ut vir ſaltem quatuordecim, mulier vero duodecim annos expleverit, & uterque ſciat rudimenta Fidei, cùm ea deinde filios ſuos docere debeant.

Noverit ex probatis Auctoribus, quæ ſint canonica impedimenta Matrimonii contrahendi, & quæ contractum dirimant; & qui ſint gradus conſanguinitatis, & affinitatis; & item cognationis ſpiritualis ex Baptiſmi, vel Confirmationis Sacramento contractæ.

Habeat in primis ipſe bene cognita præcepta illa omnia, quæ in Matrimoniis rite conficiendis ſervari oportere, Sacri Canones, & præcipue Sancta Synodus Tridentina juſſit: dabitque operam, ut illa in Parochia ſua accurate, exacteque ſerventur.

Præ-

(a) *Trid. ſeſſ.* 24.
(b) *Gen.* 2. 3. *Eſd.* 4. *Eph.* 5.
(c) Cor. 6. *c. fraternit.* 24. *qu.* 10. *cap. debit. de big. c.* 1. *in princip. de Conju. lepr. Matt* 19.
(d) *Matt.* 19. *Mar.* 10. 1. Cor. 6. *Eph.* 5. C. *ſunt qui* 17. *qu.* 2. C *de infid. de conſag. & affin.* C. *de Cognat. ſpir.*
(e) *Ibidem.*
(f) C. *nemo in fin.* 32. *qu.* 4. *Eph.* 5. *in fin.* C. *debitum debitum de big.*
(g) *Ibidem.*
(h) *Eph.* 5.
(i) *Conc. Florent. ſua Eug.* 4. C. *de abſolvend. de haret.*

Digitized by Google

Præſertim vero meminerit, Matrimonia inter Raptorem, & Raptam, dum ipſa in Raptoris poteſtate manſerit, irrita, nec non Clandeſtina; & quælibet Matrimonia, quæ aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia; & duobus, vel tribus teſtibus contrahuntur; ex ipſius Concilii decretis, irrita omnino, ac nulla eſſe.

Eſt autem proprius Parochus, qui adeſſe debet, is, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, ſive viri, ſive mulieris.

Caveat præterea Parochus, ne facile ad contrahendum Matrimonium admittat Vagos, & Peregrinos, & qui incertas habent ſedes; neque item eos, qui antea conjugati fuerunt; ut ſunt uxores militum, vel captivorum, vel aliorum, qui peregrinantur, niſi diligenter de iis omnibus facta inquiſitione; & re ad Ordinarium delata, ab eoque habita ejuſmodi Matrimonii celebrandi licentia.

Antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, continuis diebus feſtis in Eccleſia intra Miſſarum ſolemnia, ad ipſius Concilii præſcriptum, publice denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum.

Si verò vir, & mulier Parochiæ ſint diverſæ, in utraque Parochia fiant denunciationes: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii procedatur; ſed ſi quid obſtet, ultra Parochus non procedat.

Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, vel alia rationabilis cauſa ſubſit, arbitrio Epiſcopi, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes: tunc de licentia Ordinarii, vel una tantum fiat denunciatio, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſumationem denunciationes in Eccleſia fiant; ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur; niſi aliter Ordinarius ipſe expedire judicaverit.

Has autem denunciationes Parochus facere non aggrediatur, niſi prius de utriuſque contrahentis libero conſenſu ſibi bene conſtet.

Si vero infra duos menſes poſt factas denunciationes matrimonium non contrahantur, denunciationes repetantur, niſi aliter Epiſcopo videatur.

Denunciationes autem fiant hoc modo inter miſſarum ſolemnia: Parochus Populum admoneat in hanc ſententiam vulgari ſermone.

*Notum facimus omnibus hic præſentibus, quod N. vir, & N. mulier ex tali, vel tali familia & Parochia . . . , Deo adjuvante, intendunt inter ſe contrahere matrimonium. Proinde admonemus omnes, & ſingulos, ut ſi quis noverit, aliquod conſanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis, vel quodvis aliud impedimentum inter eos eſſe, quod Matrimonium contrahendum invicem impediat; illud quamprimum nobis denunciare debeat, & hoc admonemus primo* (ſi fuerit prima), vel *ſecundo* (ſi fuerit ſecunda), vel *tertio*, (ſi fuerit tertia denunciatio).

Moneat Conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in Templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium conſument, nec etiam ſimul maneant; niſi aliquibus propinquis, vel aliis præſentibus: quæ benedictio a nullo alio, quam ab ipſo Parocho, ſeu ab alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, fieri debet.

Caveat etiam Parochus, ne, quando Conjuges in primis nuptiis benedictio-

ctionem acceperint, eoſ in ſecundis benedicat, ſive mulier, ſive etiam vir ad ſecundas nuptias tranſeat: ſed ubi ea viget conſuetudo, ut ſi mulier nemini unquam nupſerit, etiam ſi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea ſervanda eſt. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiam ſi ejus vir nunquam uxorem duxerit.

Matrimonium in Eccleſia maxime celebrari debet: ſed ſi domi celebratum fuerit præſente Parocho, & teſtibus, Sponſi veniant ad Eccleſiam, benedictionem accepturi; & tunc caveat Sacerdos, ne iterum a Contrahentibus conſenſum exigat: ſed tantum benedictionem illis conferat celebrata Miſſa, ut infra dicetur.

Admoneantur præterea Conjuges, ut, antequam contrahant, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimam Euchariſtiam, atque ad Matrimonii Sacramentum ſuſcipiendum pie accedant, & quomodo in eo recte, & chriſtiane conſervari debent, diligenter inſtruantur ex Divina Scriptura, exemplo Tobiæ, & Saræ, verbiſque Angeli Raphaelis eos edocentis, quam ſancte Conjuges debeant convivere.

Poſtremo meminerint Parochi, a Dominica prima Adventus uſque ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchæ incluſive, ſolemnitates nuptiarum prohibitas eſſe; ut nuptias benedicere, ſponſam traducere, nuptialia celebrare convivia: Matrimonium autem omni tempore contrahi poteſt: nuptiæ vero, qua decet modeſtia, & honeſtate fiant. Sancta enim res eſt matrimoninm, ſancteque tractandum.

Quæ omnia fere ex Sacri Concilii Tridentini decretis deſumpta; & item alia, quæ ibi de Matrimonio rite contrahendo præcipiuntur, ſunt diligenter ſervanda.

### *De ritu celebrandi Matrimonium.*

Parochus Matrimonium celebraturus, ſi nullum obſtet impedimentum, in Eccleſia Superpelliceo, & alba Stola indutus, adhibito uno ſaltem Clerico, qui librum, & vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio deferat, coram tribus, aut duobus teſtibus, virum, & mulierem interroget in hunc modum vulgari ſermone.

N. *Vis accipere* N. *hic præſentem in tuam legitimam uxorem juxta ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ?* ℟. Sponſus *volo*.

Mox Sponſam interroget: N. *Vis accipere* N. *hic præſentem in tuum legitimum maritum juxta ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ?* ℟. *volo*.

Nec ſufficit conſenſus unius, ſed debet eſſe amborum, & expreſſus aliquo ſigno ſenſibili, ſive fiat per ſe, ſive per Procuratorem. Mutuo igitur conſenſu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, dicens:

*Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine Patris* ✠, *& Filii*, *& Spiritus Sancti. Amen.*

### *Benedictio Annuli.*

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit Cælum, & Terram.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

OREMUS.

„ Benedic ✠, Domine, annulum hunc, quem nos in tuo nomine bene-
„ dicimus ✠, ut quæ eum geſtaverit, fidelitatem integram ſuo Sponſo te-
„ nens, in pace, & voluntate tua permaneat, atque in mutua charitate ſem-
„ per

,, per vivat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Aſpergat annulum aqua benedicta in modum crucis; & Sponſus annulum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari ſiniſtræ manus Sponſæ, Sacerdote dicente: *In nomine Patris ✠, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Mox ſubjungat.

℣. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*
℟. *A templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem.*
*Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.*
℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Salvos fac ſervos tuos.* ℟. *Deus meus ſperantes in te.*
℣. *Mitte eis Domine auxilium de ſancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos.*
℣. *Eſto eis Domine turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

OREMUS.

,, Reſpice, quæſumus, Domine, ſuper hos famulos tuos, & inſtitutis ,, tuis, quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus aſſiſte; ut ,, qui, te auctore junguntur, te auxiliante ſerventur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Si benedicendæ ſint nuptiæ, Parochus Miſſam pro Sponſo, & Sponſa, ut in Miſſali Romano, celebret, ſervatis omnibus, quæ ibi præſcribuntur.

*Formula ſcribendi in libris habendis apud Parochos.*

Liber Baptizatorum habeatur in Eccleſiis, in quibus confertur Baptiſma.

Liber Confirmatorum habeatur in Eccleſiis, in quibus confertur Chriſma.

Liber Matrimoniorum.

Liber Status Animarum.

Liber Defunctorum habeatur etiam in omnibus Eccleſiis, in quibus Defuncti ſepeliuntur.

Advertat in primis Parochus, ut in libris tam Baptizatorum, & Confirmatorum, quam Matrimoniorum, & Defunctorum exprimat ſemper non ſolum nomen perſonarum, quæ ibi nominantur, ſed etiam Familiam.

*Forma deſcribendi Baptizatos in primo Libro.*

*Anno Domini .... Die ... Menſis ...... Ego N. Parochus hujus Eccleſiæ S. N. Civitatis, vel loci N. baptizavi Infantem die ... natum, vel natam ex N., & N. Conjugibus hujus, vel Parochiæ N. N., & ex tali Patria, & Familia; cui impoſitum eſt nomen N. Patrini fuerunt N. filius N. ex Parochia, ſeu loco N., & N. Conjux N., Filia N. ex Parochia, ſeu loco N.*

Si Infans non fuerit ex legitimo Matrimonio natus, nomen ſaltem alterius parentis, de quo conſtat, ſcribatur (omnis tamen infamiæ vitetur occaſio); ſi vero de neutro conſtat, ita ſcribatur:

*Baptizavi infantem, cujus Parentes ignorantur, natum die, ut ſupra.*

Si expoſitus ſit Infans, exprimatur quo die, ubi, & a quo repertus, & quot dierum veriſimiliter ſit, & baptizetur ſub conditione, ſi ignoratur fuiſſe baptizatum.

Si Infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus ſit, tunc ita ſcribatur:

*Anno ... die ... Menſis .... natus eſt N. Filius N., & N. Conjugum*, &c. ut ſupra, *quem ob imminens mortis periculum in domo rite baptiza-*

*ptizavit N. obſtetrix probata*; *vel N. Filius N., ut mihi retulit N.*

Si ſupervixerit Infans, & adhibitæ ſint in Eccleſiis ſacræ cæremoniæ, addatur:

*Die . . . ejuſdem Menſis ad Eccleſiam portatus eſt Infans prædictus: ipſique Ego Parochus ſacras cæremonias, & preces adhibui, & N. nomen impoſui.*

Si forte non Parochus, ſed alius baptizavit, id exprimatur. Si fuerit baptizatus ſub conditione, *Si non es baptizatus*, &c. id pariter exprimatur.

*Forma deſcribendi Confirmatos in ſecundo libro.*

*Anno . . . die . . . Menſis*, &c. *qui fuit dies*, &c. *N. Filius N., & N. Conjugum N., vel filia N.* ( & ſi fuerit nupta, addatur, *Uxor N.*) *Sacramentum Confirmationis accepit ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. N. Epiſcopo N. in Eccleſia S. N. Civitatis N. loci N. Compater fuit N. Parochiæ N. Civitatis, vel loci N.*

Si Confirmatus non conſtet, an ex legitimò matrimonio genitus ſit, vel parentes ignorentur; ſervetur quod in libro Baptizatorum præſcriptum eſt.

*Forma ſcribendi Conjugatos in tertio libro.*

*Anno . . . die . . . Menſis . . . . denunciationibus præmiſſis tribus continuis diebus Feſtivis, quarum prima die . . . ſecunda die . . . tertia die . . . inter Miſſæ Parochialis ſolemnia habita eſt, nulloque legitimo impedimento detecto, Ego N. Rector hujus Eccleſiæ Parochialis N. Civitatis, vel loci N. filium N. Parochiæ N., & N. Filiam N., ſeu relictamque N.* ſi fuerit vidua, *hujus*, ſeu *Parochiæ N. in Eccleſia N. interrogavi, eorumque mutuo conſenſu habito, ſolemniter per verba de præſenti Matrimonio conjunxi, præſentibus teſtibus notis N. filio N., qui habitat in Parochia N., & N. Filio N.* &c. *& poſtea eis ex ritu Sanctæ Matris Eccleſiæ* ( ſi tamen nuptias benedixerit) *in Miſſæ celebratione benedixi.*

Si unus ex iis, qui Matrimonium contrahere voluerint, alterius Parochiæ fuerit, antequam admittatur, Parochus, in cujus Eccleſia Matrimonium celebrari debet, denunciationum in ejus Parochia rite factarum fidem ſcriptam habeat; quæ aſſervetur; & res tota exprimatur in ipſomet libro Matrimoniorum, hac ratione:

*Denunciationes hujus matrimonii factæ ſunt etiam a R. D. N. Parocho Eccleſiæ S. N., ſub cujus cura dictus N.*, vel, *dicta N. habitat, ut ex ipſius Parochi ſcripto, ſervato apud me apparet. Denunciatio autem prima facta eſt die . . . ſecunda die . . . tertia die . . . inter Miſſæ Parochialis ſolemnia*; *nullumque impedimentum Canonicum detectum eſt.*

Si autem alteruter ſit diverſæ Diœceſis, teſtimonium Parochi affirmantis denunciationes eſſe rite præſtitas, nullius roboris cenſeatur; niſi ab Epiſcopo, vel ab ejus Vicario Generali illius Diœceſis ſubſcriptione, & ſigillo comprobatum, & ab Epiſcopo, ſeu ejus Vicario loci, ubi contrahitur matrimonium, recognitum ſit; ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta.

Ubi vero Ordinarii conceſſu ( quod ſcripto conſtare debet ) denunciationes aliquæ differendæ, aut omittendæ interdum ſint, ita notentur.

*Anno Domini . . die . . Menſis . . . . Denunciationum una, die . . . rite facta, reliquis vero dilatis poſt Matrimonii celebrationem ex facultate ſcripto conceſſa ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo N.*, vel *Vicario N. ſub die . . . data*, &c. *infraſcripti tenoris, quam penes me ſervo, cum aliis hujuſmodi facul-*

Digitized by Google

*facultatibus , nulloque prorſus impedimento allato . Ego ,* &c. ut ſupra .

Denunciationes, quæ poſt contractum Matrimonium fiunt,ita ſcribantur:

*Anno . . . die . . Menſis . . . . qui fuit feſtus* , &c. *& ſequenti , qui fuit Dominicus,* &c. *ejuſdem menſis . Ego N. Rector hujus Eccleſiæ S. N. inter Miſſarum ſolemnia denunciationes habui cum prævia opportuna diſpenſatione initi Matrimonii inter N. & N. die prima hujus menſis , nullum tamen Canonicum impedimentum ab aliquo allatum eſt , quo minus hujuſmodi Matrimonium ratum , ac firmum eſſe debeat .*

Si autem denunciationes omnes omittendæ ſint , aut differendæ, ita ſcribantur :

*Denunciationibus omnibus Omiſſis , vel Dilatis* , &c. *ex facultate* , &c. *Ego Rector N.* &c. ( ut ſupra ) .

Cœterum ſi alteri Presbytero ab Ordinario,vel a Parocho ipſo facultas facta ſit conjungendi aliquos , id in libro proprii Parochi ſic adnotet ipſius Parochianus .

*Ego N. Presbyter*, vel *Cappellanus Eccleſiæ N. de licentia Illuſtriſſimi , & Reverendiſſimi Epiſcopi N.* , ſeu *N. ejus Vicarii loci* , aut *Mea , quæ penes me extat N. filium N.,& N.* &c. *in Matrimonium conjunxi,*&c. ut ſupra . *Et Ego N. Parochus N. ſubſcripſi , & teſtor rem ita ſe habere .*

Quod ſi ex denunciationibus compertum ſit , Conjuges aliquo conſanguinitatis , aut affinitatis gradu , conjunctos eſſe , nihilominus ad contrahendum fuerit cum ipſis Apoſtolica auctoritate diſpenſatum, adnotetur gradus conſanguinitatis , vel affinitatis diſpenſatæ , & compendium decreti ſuper ea relati cum die , & anno , ac Notarii de illo rogati nomine , hoc modo .

*Anno Domini . . . die . . Menſis . . . præmiſſis denunciationibus, ac comperto impedimento ſecundi . . . tertii . . . quarti gradus Conſanguinitatis , vel affinitatis,* ſeu alio quovis, &c. *inter N.& N.*, &c. *Obtentoque per eos Apoſtolicæ Sedis mandato de diſpenſando , & cum eis per Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Epiſcopum N. auctoritate , Anno . . . ut conſtat ex actis Notarii Officii prædicti Epiſcopi , hos matrimonio conjunxi , ut in prædicta formula .*

Denunciationes factæ in diverſis Parochiis,Sponſi S.C.& Sponſæ ab utroque Parocho in libro notari debeat , etiam ſi Matrimonium non ſequatur .

*Forma ſcribendi ſtatum Animarum in quarto Libro .*

Familia quæque diſtinte in libro notetur , intervallo relicto ab unaquaque ad alteram ſubſequentem , in quo ſingillatim nomen , cognomen, ætas ſingulorum , qui ex familia ſunt , vel tamquam advenæ in ea vivunt .

Qui vero ad Sacram Communionem admiſſi ſunt hoc ſignum C. in margine è contra habeant .

Qui Sacramento Confirmationis ſunt muniti, hoc ſignum habeant . Chr.

Qui ad alium locum habitandum acceſſerint , eorum nomina ſubducta linea notentur : hac igitur ratione fiat , videlicet :

*Anno . . . die . . Menſis . . . . In Via* , ſeu *Platea* , ſeu *Pago in propriis ædibus Pauli N.*, vel *in ædibus N. a Paulo conductis habitant* :

*Chr. Paulus N. Petri Filius annorum*, &c.

*Chr. Apollonia ejus Uxor , Filia Jacobi N. annorum*, &c.

*C. Dominicus eorum filius annorum*, &c.

*Lucia eorum filia annorum*, &c.

*C.Chr.*

*C.Chr. Antonius filius N. famulus*, *annorum*, &c.

*C. Catharina N. Filia N. ancilla annorum*, &c.

✠ *Martinus Filius N.*, *annorum*, &c.

*Forma deſcribendi Defunctos in quinto Libro*.

Deſcribatur quis, & quæ, & cui Sacramenta miniſtraverit, quando quis mortuus fuerit, & ubi ſepultus, hoc modo:

*Anno . . . die . . . Menſis . . . . N. filius N. ex loco N. ætatis* &c. (ſi hæc ſciri poſſunt) *in domo N. in Communione Sanctæ Matris Eccleſiæ animam Deo reddidit, cujus corpus die . . . ſepultum eſt in Eccleſia N. mihi N., vel N. Confeſſario probato confeſſus die . . . Sanctiſſimoque Viatico refectus die . . . & Sacri Olei unctione roboratus etiam per me die . . .*

*Facultas Applicandi Benedictionem Pontificiam Moribundis*.

RR. Archipresbyteris, Parochis, OEconomis Curatis hujus Civitatis, & Diœceſis, Apoſtolicæ benedictionis cum Indulgentia Plenaria in Articulo Mortis conſtitutis impertiendi facultatem elargimur, ſervata ſequentium Apoſtolicarum Literarum forma.

*Venerabili Fratri Cajetano Epiſcopo Nuſcano*
*BENEDICTUS PAPA XIV.*

„ Venerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Erga omnes „ Chriſti Fideles in maximo inſtantis mortis diſcrimine, & in duriſſima tantæ „ neceſſitatis hora, conſtitutos, tanto abundantius Romanus Pontifex cœle„ ſtes Theſauros erogare, traditamque ſibi divinitus opitulandi poteſtatem de„ bet exercere, quanto tunc major premit illos anxia ægritudo; ac pene con„ ficit acerba triſtitia, furentibus undequaque teterrimis, & callidiſſimis ho„ ſtibus, qui Leonis inſtar rugientes, adſtant, ut devorent, & quorum effe„ rata rabies, niſi eorum ſanguine, ideſt æterna Animarum ruina, expleri „ non poteſt: Hinc, Nos, quibus licet immeritis omnes oves ſuas Chriſtus „ in Petro paſcendas dedit, ne illis unquam in extremo vitæ mortalis agone „ aliquid detrimenti, culpa noſtra, contingere poſſit, in partem poteſtatis, & „ ſollicitudinis noſtræ cœteros Paſtores nuper vocavimus, ut, ſibi compara„ tis omnibus Apoſtolicæ Sedis, & Noſtræ auctoritatis ſubſidiis, majori, at„ que uberiori eorum Gregis utilitati proſpiciant, facilem ad aſſequendam „ æternitatem aditum aperiant, & horribiles hoſtium impetus comprimant, „ atque repellant. Cum itaque, ſicut accepimus, Tu, qui Eccleſiæ Nuſcan „ præeſſe dignoſceris, Benedictionem Apoſtolicam cum Indulgentia Plenaria „ in articulo Mortis impertiendam ægrotis iſtarum Civitatis, & Diœceſis Nu„ ſcan, concedere poſſe plurimum deſideres; Nos Animarum Chriſtifidelium „ tuæ curæ commiſſarum ſaluti paterna charitate conſulere cupientes, Fra„ ternitati tuæ, ut donec regimini Eccleſiæ tibi demandatæ præfueris, & quo„ ties in dictis Civitate, & Diœceſi tuis, aliquem utriuſque ſexus Chriſtifi„ delem in mortis articulo conſtitutum eſſe; contigerit, ſi vere pœnitens, & „ Confeſſus, ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequive„ rit, ſaltem contritus nomen Jeſu ore, ſi potuerit, ſin minus corde devote „ invocaverit, & mortem, tamquam peccati ſtipendium, de manu Domini, „ patienti, atque alacri animo ſuſceperit, toties per Te ipſum, ſeu per unum, „ aut plures Presbyteros probitate morum præditos ſeculares, ſeu cujuſvis „ Ordinis, & Inſtituti Regulares a Te ad tui libitum ſemel, vel pluries, & „ quandocumque opus fuerit, delegandos, eligendos, & deputandos, & quoad

Monia-

„ Moniales illarum Confeſſarium Ordinarium ; Apoſtolicam benedictionem
„ noſtro , & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis , nomine cum Plenaria
„ omnium peccatorum ſuorum Indulgentia , & remiſſione impertiri libere, &
„ licite valeas , facultatem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, ſervata
„ tamen in omnibus quarumdam noſtrarum ſub Plumbo nonis Aprilis anno
„ milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo expeditarum Literarum
„ forma , & diſpoſitione , concedimus, tribuimus, & impertimur.

„ In contrarium facientibus , non obſtantibus quibuſcumque . Volumus
„ autem , ut tam Tu , quam Delegati, & eligendi pro impertienda Benedictio-
„ ne , & Plenaria Indulgentia in articulo Mortis , hujuſmodi conſtitutis , ap-
„ plicanda, formulam adhibeatis a Nobis in dictis Noſtris Literis præſcriptam
„ tenoris ſequentis , videlicet :

„ ℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini .

„ ℟. Qui fecit Cœlum , & Terram .

Antiphona

„ Ne reminiſcaris, Domine, delicta Famuli tui (vel Ancillæ tuæ), neque
„ vindictam ſumas de peccatis ejus .

„ Kyrie eleiſon , Chriſte eleiſon , Kyrie eleiſon . Pater noſter &c.

„ Et ne nos inducas in tentationem . ℟. Sed libera nos a malo .

„ ℣. Salvum fac ſervum tuum ( vel Ancillam tuam ; & ſic deinceps )

„ ℟. Deus meus ſperantem in Te .

„ ℣. Domine exaudi orationem meam .

„ ℟. Et clamor meus ad te veniat .

„ ℣. Dominus vobiſcum .

„ ℟. Et cum Spiritu tuo .

O R E M U S.

„ Clementiſſime Deus, Pater Miſericordiarum, & Deus totius conſolationis,
„ qui neminem vis perire in Te credentem , atque ſperantem, ſecundum mul-
„ titudinem miſerationum tuarum reſpice propitius Famulum tuum N., quem
„ tibi vera Fides , & Spes Chriſtiana commendant . Viſita eum in ſalutari
„ tuo ; & per Unigeniti Tui Paſſionem , & mortem , omnium ei delictorum
„ ſuorum remiſſionem , & veniam clementer indulge ; ut ejus Anima in hora
„ exitus ſui Te Judicem propitiatum inveniat , & in Sanguine ejuſdem Filii
„ Tui ab omni macula abluta , tranſire ad vitam mereatur perpetuam . Per
„ eumdem Chriſtum Dominum noſtrum .

„ Tum dicto ab uno ex Clericis adſtantibus *Confiteor*, &c. Sacerdos dicat:
„ *Miſereatur*, &c. deinde :

„ Dominus Noſter Jeſus Chriſtus , Filius Dei vivi , qui beato Petro Apo-
„ ſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi , atque ſolvendi , per ſuam piiſſimam mi-
„ ſericordiam recipiat Confeſſionem tuam , & reſtituat tibi ſtolam primam,
„ quam in Baptiſmate recepiſti ; Et ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede
„ tributa , Indulgentiam Plenariam , & remiſſionem omnium peccatorum tibi
„ concedo . In nomine Patris , &c.

„ Per Sacroſancta humanæ reparationis myſteria remittat tibi Omnipo-
„ tens Deus omnes præſentis , & futuræ vitæ pœnas ; Paradiſi portas aperiat;
„ & ad gaudia ſempiterna perducat . Amen .

„ Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris
S die

Digitized by Google

die vi. Junii 1747. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo:
Pro Domino Cardinali Paſſioneo.
Joannes Florius ſubſtitutus. Romæ MDCCXLVII.
Adeſt Sigillum.

## PARS TERTIA.

*Conſtitutiones, ſeu Statuta Reverendiſſimi Capituli Nuſcani in hac Synodo recognita, probata, & confirmata juxta ſequentem ſeriem, & tenorem; ac pro firmitate, & perpetua obſervantia eorumdem iterum jurata; nec non ad eandem methodum, ac formam, ſervatis ſervandis, mutatiſque mutandis inſignibus Collegiatis, & Capitulari Clero hujus Diœceſis, eorum reſpective ſtatuta condere, perficere, ac probari infra annum ſedulo curandum decrevimus.*

CAjetanus de Arco U. J. & in almo Theologorum Neapolitano Collegio Doctor, ac Magiſter, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia, ex Strongylenſi, Epiſcopus Nuſcanus, Abbas Sanctæ Mariæ de Fonteliano, Præpoſitus Sancti Petri in Vinculis de Trivico &c.

Ac infraſcripti Dignitates, & Canonici ejuſdem Civitatis Capituli. De ſtatutis Capitularibus R. R. Dignitatum, & Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ Nuſcanæ ſub titulo Sancti Amati præcipui Patroni, & Protoepiſcopi, civiſque ejuſdem Civitatis, editis ſub auſpiciis, regimine, conſilio, ope, conſenſu, ac authoritate præfati Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini; Præſulatus ſui anno iv., & Synodalibus his Conſtitutionibus appoſitis, jurejurando firmatis ejuſdem Præſulatus Anno viii. feliciter. Amen.

## PROOEMIUM.

ECcleſiarum Capitulis (a) tam Patriarchalium, & Cathedralium, quam Collegiatarum omnium, & Conventualium; quæ quidem velut corpora membris compacta, ſuis legibus vivere, ſuiſque regulis nutriri, & conſervari oportet; definitum, ac mandatum eſt, ut antiqua, ſi quæ habent, Statuta, & Capitulares Conſtitutiones depromant; & ubi non adſint, ſex infra ſaltem menſes poſt edicti, legiſque publicationem, ſub Eccleſiaſtici Interdicti pœna omnino conficiant, & utraque antiqua ſcilicet, & nova per ſuos reſpective Epiſcopos accurate examinanda, & corrigenda deducant, atque approbanda præſentent. Epiſcopi vero in iis examinandis, ſi quid contra jus, vel Trid. Conc. Decreta, aut Pontificias Conſtitutiones irrepſiſſe cognoverint; corrigant, & ad juris tramites deducant; necnon Conſuetudines, non niſi rationabiles, & honeſtas admittant; & ſi quas a ratione declinaſſe, vel contra Breviarii, Miſſalis, Cæremonialis, Epiſcoporum Pontificalis, vel Rituum Romanorum Rubricas inoleviſſe, ac proinde indebitam legis ſpeciem uſurpaſſe comperierint, eas, vel corrigant, vel omnino delendas, decernant. Præcipue igitur Epiſcoporum partes erunt, ut tali methodo

(a) *Ex Sacris Canonibus.*

Digitized by Google

thodo Statuta ipſa, & Conſtitutiones condantur, quatenus, quæ ipſarum ſint Eccleſiarum, & Capitulorum origines, fundationes, inſignia, jura, conſuetudines, redditus, onera, & munera, ſuis ſub capitibus diſtinctis exprimantur; nihilque in eis ſit, quod a juris diſpoſitione, & Congregationum Decretis, uſuque recepto, & approbato exorbitet: ſed illa appoſite ſtatuantur, quæ pro opportunitate, & neceſſitate temporum, rerum, & locorum ad divini cultus augmentum, ſanctioris diſciplinæ obſervantiam, & Eccleſiarum utilitatem ſtatuenda, judicaverint. Quapropter ad præſentia Capitularia Statuta (quæ prius deerant) vigore emanati in Sancta Viſitatione Edicti præſcripta methodo, ordine, quo ſequitur, unanimi conſenſu, tam præfati Epiſcopi, quam Dignitatum, & Canonicorum hujus Cathedralis Nuſcienſis Eccleſiæ, deventum eſt.

## C A P U T I.

### *De Origine Eccleſiæ Nuſcanæ, ejuſque Epiſcopis.*

Quamvis obſcurum ſit, incertumque tempus, in quo præcipue Nuſcana Sedes erecta fuerit, ac jurgium verſetur inter Scriptores varia varie opinantes, tam de tempore, quam de primo Epiſcopo; certum tamen nobis eſt, a Majoribus noſtris inceſſanti, vetuſta, & luculenta traditionem demandatum, quod ex Archipresbyterali, quo potiebatur, titulo ſub invotione Sancti Stephani Protomartyris, ad Epiſcopalem Sedem hæc Eccleſia exaltata fuit; atque ſanctitate præfulgentem tunc temporis Civem ſuum Archipresbyterum Sanctum Amatum Nuſcienſes, & Diœceſis incolæ Epiſcopum expoſtularunt; ut in vita ipſius Sancti ſcripta ſub anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo a Rev. D. Franciſco de Ponte, juſſu Jancolæ de Janvilla Comite Sancti Angeli Lombardorum, ac Domino Civitatis Nuſci, quæ papyris foliis genuine magna, ut par eſt, diligentia aſſervatur in ipſa Eccleſia, charactere, vulgo dicto, *Longobardo*; & ejus copia in Epiſcopali Archivio; ex qua nactus eſt Ughellius Catalogum Epiſcoporum Nuſci; ac Rev. Franciſcus Noja Archipresbyter Clauſanus in anno 1697. in hac Diœceſi Vicarius Apoſtolicus in vita ipſius Sancti typis impreſſa anno 1707.; ex quibus conſtanter patet, Sanctum Amatum primum Epiſcopum, Populi, Clerique communibus ſuffragiis ad Apoſtolicum regimen electum, expetitumque, atque dignum plauſu Pontificali Inſula, quam Populi petitionem ſua authoritate confirmantes in ſuperna gratia venerabiles Viri tam Terrarum Diœceſis Domini, quam Salernitanus Archiepiſcopus, hac ipſum laude proſequebantur, quam nullus alius habuerat (ut refert præfatus de Ponte): *Pater Sancte magnifica locum nativitatis, & habitationis tuæ*: quorum fervidis precibus, divino influxu mens Sancti flexa, inquit; *Si voluntas Dei eſt, non recuſo laborem; fiat voluntas Dei, & veſtra.* Conſecratione perfuncta Salerni, in ejus reditu in Patriam, (mirabile dictu!) quot præconiis, lætiſque plauſibus Paſtorem ſuum ſuſcepere Cives: „ Benedictus Dominus Deus Iſrael, hilari „ voce canentes, quia viſitavit nos, illuminavit vultum ſuum ſuper nos, & „ miſertus eſt noſtri: miſit humilibus Angelum pacis, ſani Miniſtrum conſilii: „ Fidelibus ſuis miſericorditer ſalutare contulit præſidium: Patrem Patriæ, „ Rectorem Civitatis noſtræ præcipuum: huc uſque fuimus quaſi Oves erran-

„ tes, modo autem, Deo propitiante, converſi ſumus ad Paſtorem animarum „ ſuarum. His, & aliis verbis ſe expreſſere noſtræ traditioni conſoni præfati Authores in ſancti Protoepiſcopi Electione, Confirmatione, & Conſecratione; licèt quo anno, quo Salernitano Antiſtite, vel ſub quo Summo Pontifice ejuſmodi acciderit factum, diſcordent; conveniunt tamen, contigiſſe circa medium ſæculi undecimi; cum Sanctus ipſe ad Cœlum ſenio confectus evolaverit anno milleſimo nonageſimo tertio, ut perſpicuum eſt ex ejus teſtamento, vetuſto charactere, ac papyro Sæculo conſono (quod ſervatur debita veneratione in Cathedrali noſtra Eccleſia) ſcripto ab ipſo, his verbis.

*Ego Amatus Gratia Dei Epiſcopus primus ſupradicta Civitatis.*

Quo ad ejus Succeſſores, duram duxere Provinciam ipſi de Sancti Amati vita Scriptores; cum neque ſcitu facile dixerint, neque temporum Chronologiæ conſonam de omnibus ſeriem intexere judicaverint. Verum enim vero, ne obſcuriori indagine involvamur, ipſorum methodum proſequi oportet, Nuſcentium Præſulum cathalogum ſequenti ordine commemorantium.

I. Protoepiſcopo Divo Amato non extat memoria alterius ſucceſſoris, niſi:

II. In anno 1104. Guido, ſeu Guidonius Epiſcopus Nuſcanus.

III. In anno 1143. Rogerius primus.

IV. In anno 1164. Willelmus.

V. In anno 1216. Rogerius II. & poſt eum

VI. Lucas, de quo ipſe author de Ponte geſta tradit.

VII. In anno 1285. F. Jacobus Ordinis Minorum.

VIII. In anno 1286. in Regeſto Regio ſequens memoria invenitur, nempe: P. Epiſcopus Nuſcanus: unde latet in illa litera P., an indicetur Petrus, an Paulus, an alius.

IX. In anno 1350. Rogerius III. de Geſualdo, ſepultus eſt in Cathedrali, in cujus tumulo legebatur: Rogerius de Gaſualdo Nuſcanus Epiſcopus fieri fecit hoc opus, cujus anima requieſcat in pace.

X. Et, eo mortuo, ſucceſſit Dominus Franciſcus Colonacus Surrentinus.

XI. Anno 1365. Dominus Arnaldus ab Epiſcopatu Porri in Sardinia ad hanc Cathedram fuit translatus ab Urbano V.

XII. Anno 1394. D. Marius, qui poſtea a Bonifacio IX. translatus fuit ad Epiſcopatum Cynædis in Alpis Tridentinis.

XIII. Anno 1396. Bernardus, qui tribus elapſis annis fuit quoque ab ipſo Pontifice Bonifacio ttanslatus ad Eccleſiam Chiozzenſem.

XIV. Anno 1399. Angelus Berſillus Presbyter Lavellenſis, cui ſucceſſit

XV. Willelmus II. qui obiit anno 1419.; & poſt eum

XVI. D. Antonius Archipresbyter Paternenſis Eccleſiæ Fricenti, modo Abellinenſis Diœceſis, qui diem ſuum clauſit anno 1435.

XVII. Et in eodem anno fuit creatus D. Paulutius, ſeu Caroloſius Archidiaconus Surrentinus.

XVIII. Anno 1437. F. Joannes Paſchaſius Ordinis Minorum, cujus ſupplicationibus, ac Jancolæ Comitis hujus Civitatis, Pius II. Eccleſiæ, ſeu reditibus Menſæ Nuſcani Epiſcopatus annexit Abbatiam Monaſterii Sanctæ Mariæ de Fonteliano, ut ex ipſa Bulla Senis expedita anno 1460. octavo idus Septembris.

XIX. In anno circiter 1465. D. Caſparum de Miro ex Patricio, & Canonico Literenſi ad hanc Inſulam electum fuiſſe, refertur ab Octavio Beltrano in deſcriptione Regni Neapolitani.

XX.

XX. Stephanus Moſcatelli Civis in hac propria Patria regnabat Epiſcopus in anno 1471. uſque ad annum 1485. ; ſepultuſque in ipſa Cathedrali in Cappella tunc temporis titulo S. Petri, prope Sacriſtiam; & extat ejus marmorea Icon, in refectione Cathedralis ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cajetano de Arco, hodierno Epiſcopo, nuper collata in pariete dextero aſcenſus in hoc anno majoris amplitudinis conſtructi, ad inferius Altare, quo Sancti Amati adorabile Corpus aſſervatur; & ab eodem hodierno Epiſcopo dicti Præſulis Moſcatelli oſſa, initio Sanctæ Viſitationis ſuffragia perſolvendo pro defunctis ad formam Pontificalis, pie, ac ſolemniter translata ex vetuſto ſepulcro ad nuper ab eo conſtructum, in medio Presbyterii pro Epiſcopis, ubi repoſita fuerunt: aſſiſtentibus Dignitatibus, Canonicis, Clero, & Populo die Dominica infra octavam Corporis Chriſti ſeptima Junii 1744. hora veſpertina.

XXI. Antonius Maramaldo Presbyter Neapolitanus anno 1485. elapſo huic Nuſcanæ præfulſit Eccleſiæ: Inſtitutor antiqui Montis Frumentarii, aucti ad ſex millia modia in pauperum levamen: cum animadverterit fraudulentam patrimonii Gregum Ovium, bonorumque Sancti Amati adminiſtrationem cum ſuo Capitulo, cæteriſque valde utilia Statuta ſanxit, ut ex inſtrumento ſub die 22. Maji 1513. cum aſſenſu Leonis X.; quod extat in Protocollis penes Regium, Apoſtolicumque Notarium magnificum Joſeph Euſtachium Mongelli hujus Civitatis, ejuſque legalis Copia in Archivio Epiſcopali aſſervatur. De tam digno Præſule habetur; quòd laboribus, annis, meritiſque onuſtus, Coadjutorem ab ipſo Leone X. obtinuit Marinum, ſeu Martinum de Acciablanca.

XXII. Poſt Annum itaque 1513.ipſius Domini Epiſcopi Maramaldo Coadjutor, & Succeſſor fuit præfatus Marinus, & poſt decennium, reſignato Epiſcopatu

XXIII. Anno 1523. electus fuit D. Hieronymus de Acciablanca, ſeu Azzia ex Comitibus Nojæ, Eques Neapolitanus, qui propter aeris Nuſcanæ nimiam rigoris vehementiam, temperamento, ac naturali ejus debilitati admodum nocuam, iterato reſignavit Epiſcopatum, & iterum juſſus proſequi munus ſuum; tandem Puteolis profectus, ibi obiit anno 1537., ejuſque Corpus delatum ad hanc Cathedralem, in ea humatum fuit.

XXIV. Anno 1538. Petrus Paulus Pariſius Conſentinus,poſtmodum S.R.E. Cardinalis, iſque ſubſcripſit anno 1542. authoritate Pauli III. Romæ expeditum Breve Indulgentiæ Plenariæ ad formam Jubilæi in perpetuum duraturæ a primis Veſperis Translationis S. Amati in die 28. Maii, uſque ad Solis occaſum; quod in noſtro Capitulari Archivio aſſervatur:

XXV. Cui Anno 1545. ſucceſſit D. Aloyſius Cavalcanti, Archidiaconus Conſentinus; qui poſtquam rexit hanc Eccleſiam laudabiliter per annos circiter decem, & octo, a Pio IV. ad Epiſcopatum Biſiniani fuit translatus.

XXVI. Anno eodem 1563. renunciatus a Pio IV. Epiſcopus Nuſcanus D. Alexander Gadaleta Nobilis Molfetanus, permulta perpeſſus eſt, ſtrenue, viriliterque laborans pro Cleri, Populique morum reformatione ad formam S.C. Tridentini, tunc temporis promulgati: Idemque bonus Paſtor alia ſtatuit pro recta Ovium Gregum, aliorumque Eccleſiæ S.Amati Patrimonii bonorum adminiſtratione; ut ex Inſtrumento ſub die 25. Septembris anno 1564., exi-

Digitized by Google

exiſtente in Protocollis penes eundem Magnificum Notarium Mongelli; ejuſque Copia in Archivio Epiſcopali; ac tandem ſæva adverſus eum exorta perſecutione, etiam eum inculpando variis delictis Reum apud Sanctum Sedem, a qua miſſus fuit ad hanc Diœceſim Vicarius Apoſtolicus, coactus diſcedere: Neapoli obiit anno 1572., ſepultuſque in venerabili Caſſinenſium Templo Sancti Severini.

XXVII. Petrus, ſeu Perſius de Filiis Civitatis Terni ex Vicario Apoſtolico antea miſſus, ut diximus, a Summo Pontifice Pio V. præfati Epiſcopi Gadaleti Succeſſor renunciatus anno 1573., qui tenere volens ſui Anteceſſoris veſtigia, perſecutus a reprobis, Romam pergens in itinere obiit anno 1578. Idemque Chori pro divinis recitandis Officiis novo opificio conſtructo, Poſteris ſui memoriam reliquit; quod, quamvis ævi penitus vetuſtate conſumptum, ligneis undique corroſis, ac propemodum in pulverem redactis, a noſtro Moderno Epiſcopo affabre de novo confici ad præſens curatur, eodem loco, quo Chorus vetus erat, nempe poſt Altare Majus, pariter de novo ex Marmore conſtructum, propriis ipſius expenſis.

XXVIII. Eodem anno 1578. a Gregorio XIII. creatus fuit D. Patritius Laozio, de quo inquit Ughellius: anno 1602. obiit Neapoli, ubi jacet; hic aliquando pro Eccleſiaſtica Immunitione exul a ſua Eccleſia fuit, cum eximia conſtantia Jura Eccleſiæ ſuæ ubique, & ſemper tutaſſet.

XXIX. Anno 1603. F. Lazarius Pellizzarius a Florenzicola Ordinis Prædicatorum Epiſcopus conſtitutus a Clemente VIII., & in anno 1607. translatus fuit ad Epiſcopatum Modenæ.

XXX. Anno 1607. D. Joannes Baptiſta Zuccado de Finali Caſtri Modenæ Presbyter, vita, & ſcientia eximius, qui ſicuti ſui Prædeceſſores, pro Juſtitia tuenda, Romam accerſitus, ibi obiit; Sepultuſque in Templo Sancti Onuphrii, in cujus Tumulo legitur: D. O. M. Jo: Baptiſtæ Zuccato J.C. Epiſcopo Nuſcano, morum ſimplicitate, probitate vitæ, prudentia, gravibus rebus ſæpe ſpectata, viri egregii laudem, vere commerito Amico Cariſſimo Bonifacius Cardinalis Bevilacqua Teſtamenti executor F.. Obiit fere octogenarius ipſo Sancto die Pentecoſtes anno 1618.

XXXI. Michael Angelus Reſti de Raguſi ex Epiſcopatu Stranienſi translatus ad hunc Nuſcanum, vigore ceſſionis ejuſdem Epiſcopi Zuccati anno 1615. Ejus memoria inſpicitur in proſpectu hujus Cathedralis ab ipſomet conſtructo, nempe Frontiſpicio, ſeu anteriori parte Templi. Vere Pater Pauperum, Juſtitiæ zelator, laboribus ſtrenuus pro Juribus Eccleſiæ tuendis, in multas incidit adverſitates; ita ut Eccleſia ipſa abdicata, translatus fuerit ad Aſculanam in Apulia Sedem.

XXXII. Anno 1639. D. Franciſcus Arcudius Græcæ originis non præfuit uſque ad biennium; obiit enim anno 1641. Balneoli, ibique ſepultus eſt.

XXXIII. Anno 1642. F. Joannes Maurus de Fracta Peruginus Minorum Conventualium ob aeris nimiam frigiditatem, ante biennium, quo tempore vixit, ſemper infirmus, etiam oculis amiſſis, cœcus effectus anno 1644. obiit, ſepultuſque in Cathedrali.

XXXIV. D. Agnellus Campagna Neapolitanus Præſul effectus Nuſcanus anno 1645., cum Egenis liberalis, Diſcolis lenis, cunctis Manſuetus, boni Paſtoris munere perfuncto, obiit initio anni 1648.

XXXV. Anno 1649. D. Petrus Paulus Roſſi Terræ Sancti Mennæ Compſanæ

næ Diœceſis, qui Epiſcopium amplificavit, & Balneoli prope Collegiatam Eccleſiam fundamenta jecit domus pro ſui, & Succeſſorum habitaculo; at peſte adveniente, quæ omnia everſit, impeditus, in Patriam profectus, domi ſuæ ictu Sclopi vulneratus vita deſiit.

XXXVI. Anno 1658. F. Benedictus de Rubeis Mediolanus, Procurator Generalis ſui Ordinis de Monte Carmelo, qui Epiſcopalem Domum a ſuo Anteceſſore inceptam Balneoli, perfecit, ibique obiit, ſepultuſque.

XXXVII. D. Angelus Picchetti Romanus anno 1662. ab Alexandro VII. ad hanc Eccleſiam promotus, vere Epiſcopali oneri incubuit: de quo extat memoria laborioſæ, & diligentiſſimæ Sanctæ Viſitationis in libro exarata, & conſervata in Archivio inſignis Collegiatæ Balneoli; & Epitaphium in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Fontiliano: ob ardua conferenda ad Sedem Apoſtolicam, ſe Romam tranſtulit, ibique obiit anno 1669.

XXXVIII. Eodem anno a Clemente IX. electus fuit F. Fulgentius Arminius Monforte, Patricius Abellinenſis, Magiſter ſui Ordinis S.Auguſtini, Prædicator eximius, qui perorando coram Leopoldo Primo Imperatore, benemeritus eſt honorifico Titulo Baronis Sacri Romani Imperii, promotuſque ad Regii Cappellani Majoris munus, ex quo ad Regimen inde hujus Eccleſiæ, qua laudabiliter gubernata undecim annorum ſpatio, propter varias, infeſtaſque exortas perſecutiones, illud Jonæ in ore aſſumens: *Si propter me venit tempeſtas iſta, proiicite me in Mare*: abdicato Epiſcopatu anno 1680., regreſſus in Clauſura, ibique defunctus eſt.

XXXIX. Eodem anno ab Innocentio XI. electus fuit Epiſcopus D.Benedictus Hyacinthus Sangermanus Patricius Biſiniani, de quo extat in Archivio Epiſcopali Sancta Paſtoralis admodum pia, prudens, & ſtudioſa Viſitatio, ac Synodus Diœceſana, minime vero debitæ executioni demandata; adverſus quem aſſuetis exortis perſecutionibus, juxta divinum Evangelium, pluriniſque ad Urbis Tribunalia querimoniis, ſcripturiſque Civium Teſtium exhibitis, ut patet ex ſcriptura, cujus Titulus: Nuſcana plurium Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini A. C. in Criminalibus pro Fiſco, & adhærent: contra Reverendiſſimum Epiſcopum Nuſcanum. Romæ Typis R.C. Apoſtolicæ 1699.: in Archivio Nuſcano exiſtente: ob acceſſum Vicarii Apoſtolici D.Franciſci Naja Archipresbyteri Clauſarii 21. Novembris 1696. ad hanc Civitatem ipſe peregre diſceſſit; & tandem obiit in Feudo Montis Viridis anno 1702., ex qno a ſuis hæredibus Baronibus ejuſdem Feudi proventi ſunt titulo pii Legati noſtro S.Amato relicti, ducati ſexcenti, jam applicati in conſtructionem ſex argenteorum Candelabrorum; ut ex Inſtrumento Magnifici Notarii Marinelli de Neapoli, ſub die 23. Januarii anno 1741.

XL. Anno 1703. à Clemento XI. electus fuit D. Hyacinthus Dragonetti Menſe Februarii, Patricius Aquilanus, Congregationis Oratorii S.Philippi Nerii Romæ; qui ad hanc acceſſit Reſidentiam die 24.Menſis Decembris ejuſdem anni 1703.: ac inde 28.Maii ſequentis anni 1704. in die ſolemnioris Feſtivitatis Translationis S. Amati in ſecundis Veſperis, accidit ex Altaris Majoris Superiori gradu delapſus inſignis Reliquiæ Brachii ejuſdem Sancti, ſive ejus futilis oſſis majoris, cujus argenteum cooperimentum, ſive argentea ad formam brachii ſtructura ad pavimentum uſque corruit, dicta Sacra Reliquia ſupra Altaris Menſa ſiſtente. Aliud inſuetum evenit ſignum, in deferendo (iiſdem Veſperis perfunctis) proceſſionaliter per Civitatem, more ſolito,Statuam,

in

in cujus argenteo Capite clauſum cuſtodiebatur oſſeum Sancti Caput , ut Mitra , quamvis firme alligata in eodem Capite , multoties disjuncta , & ex ligamine diſſoluta , ruere tam proxime videretur , ut ad illam reparandam viciſſim plures accurrerent ; & ſtatim ac remiſſa , reſtricta , recollocata; iterum, atque iterum renuebatur , laxabatur , evertebatur : quæ indicia , ut pie creditur, præbuit Sanctus, ob enormiſſimum inde ſecuturum furtum: Nam ſequenti nocte,fractis ferreis cancellis ex latere Sacri Sacelli nonnulli iniquiſſimi communis hoſtis filii , clam pretioſiora Cathedralis Eccleſiæ furati ſunt; inter quæ Mitram ( antiquiſſimum monumentum , decus , & gloria ) gemmis refectam, auro , & argento mirifice colligatis , elargitam ( ut fertur , ex vetuſta Majorum noſtrorum traditione ) a quodam Gallorum , ſeu Normannorum Principe, tum cum in obſidione hujus Civitatis inter noctis caligines lux magna circum eam effulſit ; & Sanctus Protoepiſcopus in aere , meridiano Sole luculentior , hoſtes ex adverſo minari , & coercere videbatur ; quod veriſimiliter contigiſſe, opinatur; cum Guillelmus Dux Apuliæ Rogerii Filius præliaretur contra Jordanum Comitem *Arianenſem* , qui ejus impetum fugiens , Nuſcienſem hanc petiit Civitatem , tunc temporis Caſtris , Turribus , & altis, latiſque Mœniis munitam ; quam idcirco ſtricta cinxit obſidione , & ejuſmodi Sancti apparitione poſtea liberatam ; atque Princeps ipſe admiſſus inde ad Sacri Protoepiſcopi Depoſiti adorationem , in receſſu ſecum detulit parvi Sancti digiti os , magna veneratione aſſervatum , ut fertur , Galliis in Sancto Maximo . Evulſo inſuper ab ipſis Prædonibus dicto argenteo Capite , trunca auri Chalcea dejecta Statua, diſtractaque Sacra oſſium Capitis Reliquia ; ibique relicta : quod argenteum erat , abſtulere , ſimul cum brachio argenteo , & altero conſimili Sancti Stephani Protomartyris , pariterque Sacris oſſibus deſumptis, remanſiſque ; Sex quoque Candelabra, Crucem,tres Lampades,quatuor Urceolos cum pelviculo , Myrothecium , Hydriam , tres Calices cum Patenis : quæ omnia Sacra Vaſa, & ornamenta ex argento ſtructa erant .

In ipſamet nocte , qua fures tam immane facinus perpetrabant, magna, & copioſa nix de Cœlo , inapinato , inſtanterque decidit : Attamen neque furata tanta copia rerum Eccleſiæ reſtituta eſt , neque ſacrilegi uſque adhuc detecti: Vere enim incomprehenſibilia Judicia ſunt Dei, & inveſtigabiles viæ ejus . Is, omiſſa Eccleſia Cathedrali reficienda ex reditibus gregnm,Ovium,aliorumque, animum vertit ad ædificandam Eccleſiam ( modo dirutam ) Sancti Antonii Patavini in lata Platea Sancti Donati,& dum parabat ibi erigere Collegiatam, translatus anno 1724. ad Eccleſiam Marſicanam, ſive Marſi, male de ſuis affectus , laceſſituſque , pro Collegiata , quam dotare volebat , deſignavit in vita bis mille ducatos in tot Maritagiis elargiendis pauperibus nubendis in tota hac Diœceſi . Præfatus Epiſcopus Dragonetti conſecravit Eccleſiam Cathedralem , licet ad ſpecus , vel Cryptam deductam ex rudi forma, qua ipſe invenit . Hinc extat in lapide ( modo a Moderno noſtro Epiſcopo , ob parietum, & Eccleſiæ ipſius reſtaurationem a Piſtylio,ubi erat vetuſtus Epiſcopalis Thronus , ſimul cum quaſſatis parietibus , effoſſo ) Inſcriptio , nempe : Anno Domini 1709. die 14. Julii : Ego Hyacinthus Dragonetti Epiſcopus Nuſcanus conſecravi Eccleſiam, & Altare hoc in honorem Sanctorum Stephani,& Amati ; & Indulgentiam 40. dierum viſitantibus in die Anniverſario conceſſi .

XLI. Eodem anno menſe Septembris 1724. a Benedicto XIII. deſignatus fuit Epiſcopus D. Nicolaus Tupputi Patricius Barulettanus , qui non leves

exper-

expertus eſt ærumnas;adeo ut anno 1729. acceſſit ad hanc Civitatem, & Diœceſim Epiſcopus Montis Marani D. Joannes Ghirardi Viſitator Apoſtolicus a Sancta Sede Delegatus, ut conſtat ex ipſa Sancta Viſitatione, & actis ejus aſſervatis in Archivio Montis Marani, & in Archivio hujus Epiſcopalis Curiæ. Iſque ad meliorem formam refecit, vulgo dictum, *Subcorpus* Sancti Amati, ejuſque parietum ſuperficies; elaborato operis cultu, ſtruxit pavimentum pariter ex lateribus depictis ( non abſimilibus aliis nuper collocatis a moderno Epiſcopo, tam in novo Presbyterio, & Choro, quam in deſcenſu nuper magnifice conſtructo a Superiori Eccleſia ad præfatum Sacellum ), ibique novum marmoreum Altare conſtruxit; & ex vetuſto nimium rudi tranſtulit ejuſdem Sancti oſſa, repoſuitque ſolemni ritu in urna lapidea intus præfatum novum Altare. Altare quoque majus de lapidibus dictis *de Geſualdo* erexit, quod præterito anno amotum (altero marmoreo conſtructo) extat prope Sacriſtiam ab ipſomet moderno Epiſcopo, ſimul cum Cappella conceſſum Capitulo; ac etiam alia ſimilia elaborari curavit in Cappella Sanctiſſimi Sacramenti; aliquibus quoque ab ipſo Eccleſia ditata Sacris Supellectilibus. Nonnullis item Epiſcopium refectionibus ditavit, & in aliquam meliorem formam reduxit, licet non undique refectum; quemadmodum ad præſens conſpicitur reſtauratum, amplificatum, & in majus commodum perfectum. Tandem minime ſedatis litibus obiit domi ſuæ Baruli anno 1740. die vero 20. Menſis Januarii; ſepultuſque in Sacello Eccleſiæ Montis Carmeli ejuſdem Civitatis. Is, ut diximus, tranſtulit Sancti Amati oſſa, & in columna in cornu Epiſtolæ dicti Sancti Sacelli extat hæc inſcriptio: „ Sancti Amati Primi Epiſcopi, Civis,& „ Patroni Nuſci,Corpus è veteri Sepulcro extractum,ſub Altari repoſitum ab „ Illuſtriſs., & Reverendiſs.D.Nicolao Tupputi Epiſcopo Nuſcano fuit. Die „ 24.Menſis Septembris 1730. Die vero 29. ejuſdem Menſis ad Dei gloriam, „ &S.Amati Protectoris Altare prædictum conſecratum ab eodem Epiſcopo.In qua translatione ex Sacris Oſſibus tanti odoris exiit fragrantia, ut cunctas videretur aromatum ſpecies ſuperare: Proprium enim hujus Sacri Depoſiti ſemper fuit, gratiſſimum fragrare odorem: teſte de Ponte, qui ſcripſit de noſtro Sancto, anno 1461. de Translatione Lect.1. Cœteras hujus Epiſcopi perpeſſas perſecutiones ſilere exiſtimamus, & remittimur ad publicum actum penes Regium, & Apoſtolicum Notarium Magnificum Donatum Piſcione ſub die 26. Menſis Maii Anno 1743. cujus copia authentica extat in libro Sanctæ Viſitationis Nuſci in Epiſcopali Curia, inſimul cum Actis impartitæ a Cenſuris authoritate Apoſtolica abſolutionis.

XLII. Viduata vero tam hac Epiſcopali, quam Romana Pontificali Sede, poſt integrum annum, ex clementia felicis Regnantis PP. Benedicti XIV., cui Divinâ Providentiâ æterni Paſtoris, & Epiſcopi animarum noſtrarum, ob ſuam infinitam miſericordiam, noſtris votis, & indignis precibus præmiſſis, annuente, benigne peculiari lumine elargito, ab Eccleſia Strongylenſi, in qua quinquennio Epiſcopatum rexit, ad hanc Eccleſiam die 23. Januarii 1741. præelectus fuit Modernus Epiſcopus Dominus D. Cajetanus de Arco Neapolitanus; indeque in publico S.R.E. Cardinalium Conſiſtorio die 6. Martii abſolutus a vinculo prioris Eccleſiæ, præconizatus ad hoc Regimen ſanctiſſime ineundum è Neapoli huc cum ejus Generali Vicario Reverendiſſimo D. Fabricio de Auria Literenſis Diœceſis, acceſſit die 27. Martii feria ſecunda poſt Dominicam Palmarum ejuſdem anni 1741.

## CAPUT II.

### *De Capitulo.*

1. Capitulum a *Capite* dictum, quod eſt Epiſcopus *(a)*: unum enim cum Epiſcopo efficit corpus *(b)*; exinde Canonici dicuntur fratres Epiſcopi, ſive Cardinales fratres Papæ, ut a capite procedat ipſa correctio ad membra*(c)*:dicitur etiam *Senatus* ex divo Hieronymo*(d)*,ac unio iſta variarum partium *Collegium* quoque vocatur *(e)*.Hinc Cardinalis Gabriel Paleota Archiepiſcopus Bononienſis de ipſius Eccleſiæ adminiſtratione *(f)* ait: ,, Quoad ,, Canonicos ſpectat, ſcimus, magna ratione ſacros canones inſignium vi- ,, rorum *Collegium* (quod Capituli, & quod Canonicorum cœtus vocatum ,, eſt), Epiſcopis adjunxiſſe, qui illis perpetuo aſſiſterent, atque Epiſcopi ,, Conſiliarii, & Coadjutores haberentur: imo tanta eſſent inter ſe ſocietate ,, conjuncti, ut unum veluti Corpus conſtituerent;cujus Epiſcopus caput,illi ,, vero membra eſſent ſibi ipſis pro invicem in Diœceſis gubernatione,& ani- ,, marum ſaluti ſoliciti; adeo ut ſi quid patitur unum membrum,compatian- ,, tur omnia membra; & ſi gloriatur unum membrum, congaudeant omnia ,, membra.

2. Facile igitur eſt recolligenda hujus Capituli Nuſcienſis origo: cum enim undecimo ſæculo, ut cap. anteced. diximus, in Cathedralem, hæc antiquitus Archipresbyteralis Eccleſia,erecta fuerit ſub noſtro Concive S. Amato Protoepiſcopo; eodem proinde tempore noſtrum Capitulum ortum habuit duodecim Capitularium; ex quibus quatuor exiſtunt Dignitates: nempe: Prima Dignitas eſt Archidiaconus. Secunda Archipresbyter. Tertia Primicerius major. Quarta Primicerius minor,ſeu Theſaurarius; reliqui octo tantum Canonici appellantur; numero deſumpto ex Collegio Apoſtolorum, in quo, ſicuti Caput, & Præſes, primus Paſtor, & divinus animarum noſtrarum Epiſcopus, reparator noſter Dominus Jeſus Chriſtus præfulgebat; ita Caput, & Præſes totius noſtræ Capitularis communitatis præfulget pro ſuo tempore Epiſcopus.

3.Cui noſtro Capiti licet olim tribuebatur ex reditibus Capitularibus quarta pars in ſubſidium fabricæ, refectionum, & ſacrarum ſupellectilium pro Cathedralis uſu, & decenti manutentione: Auctis poſtea Epiſcopalis Menſæ fructibus, & præcipue conſideratis, perpenſiſque reditibus ex Ovium gregibus, aliiſque bonis ſtabilibus, quibus potitur ipſa S. Amati Cathedralis, quæ (propriis ſuis bonis recte, ac fideliter adminiſtratis) poſſit commode reparari, conſervari, & neceſſariis ſupellectilibus præmuniri; proinde B. M. Anteceſſori Epiſcopo Domino Tupputi quartam ipſam cedere placuit; ſibi & Succeſſoribus ejus reſervando decimamtertiam partem ex omnibus proventibus, reditibus, oblationibus, adventitiis, aliiſque frui ſolitis a cæteris Dignitatibus, & Canonicis præſentibus in Choro, ſacriſque functionibus intereſſentibus; conſiderantes Capitulares ipſi Epiſcopum ſupremam Capituli

Digni-

(a) *Cap. noviter de his, quæ fiunt a Prælato.*
(b) *Ibi Ab.cap.2 de off.legat.in 6.*
(c) *Gloſ.in cap.Rom.de cenſ.in 6.*
(d) *Ad ruſt.in can. Eccleſ. habet Senatum, quæ pariter refert 16.qu.1.*
(e) *Leg.Colleg.171.ff.de verb.ſignif.*
(f) *Part.1.cap.18.*

Digitized by Google

Dignitatem, ac Canonicorum, Dignitatumque Principem, ſemper ut præſentem; ac reſervando ſibi ipſi Epiſcopo, & Succeſſoribus ejus quartam decimarum Sacramentalium; quartam quoque partem emolumentorum funeralium ſolvendorum a Defunctis, vel eorum hæredibus ad ſolitam ſummam carolenorum octo, & aſſium duorum cum dimidio; ac quartam partem eleemoſynarum, quæ proveniri ſolent in die Commemorationis Fidelium Defunctorum; cum onere tamen celebrandi, vel celebrare faciendi portionem miſſarum privatarum, ac cæteri Canonici; ut patet ex inſtrumento tranſactionis, & concordiæ inter ipſum Dominum Epiſcopum Tupputi, & RR.Dignitates, & Canonicos, rogato a magnifico Regio, & Apoſtolico Notario Joſeph Euſtachio Mongelli hujus Civitatis, ſub die 29.menſis Octobris 1725.

4. Conſtat ſane Capitulum eſſe vere, & proprie tali præditum honore juxta Sacros Canones; quoniam ad verum, & proprium Capitulum, ſeu ad Cathedralis Collegium inſtituendum, requiruntur: primo jus Datariæ Apoſtolicæ ad conferendam Primam Dignitatem privative quocumque Menſe, quo vacat: ſecundo taxatus, ſeu præfixus Canonicorum numerus, ſignis a cæteris Eccleſiaſticis de Clero diſtinctis *(a)*: tertio requiritur Sigilli uſus *(b)*: quarto Arca, ſeu Capſa Capitularis *(c)*: quinto Maſſa Communis, ac quotidianæ diſtributiones *(d)*: ſexto Syndici, ſeu Procuratores redituum Capitularium Adminiſtratores *(e)*: ſeptimo Miſſa Conventualis quotidie *(f)*: octavo Pſalmodia quotidiana, ſeu recitatio divini Officii quotidie in Choro: nono Congregationes, ſeu actus Capitulares, & facultas cum aſſenſu Ordinarii condendi Statuta *(g)*.

5. Hæc, & ſimilia requiſita clare patent in Collegio noſtro Capitulari. Etenim primo Archidiaconus ſemper proviſus eſt a Sancta Apoſtolica Sede. Secundo: numerus jam diſtinctus eſt in duodecim, ac a cæteris de Clero ſejunctus; & ornantur ſtrictiori albo Superpelliceo ad modum Rocheti, ac Almutio ad inſtar Epiſcopalis, ſerico, vel laneo violacei coloris ab immemorabili. Tertio: adeſt ſigillum, quo ſcripturæ omnes ad Capitulum pertinentes ſignantur, ac roborantur S. Amati Protoepiſcopi effigie, aſſervari ſolitum vel in Archivio, vel a Prima exiſtente Dignitate. Quarto adeſt in noſtro Capitulo uſus retinendi in arca, ſeu Capſa pecuniam Maſſæ Communis, ſummas, & quantitates pecuniæ, inveſtiendæ in Capitalia, vel bonorum ſtabilium, vel annuorum redituum, prævia exacti, & diligenti informatione, adhibitiſque cautelis, ac adimpletis de jure adimplendis. Propterea hoc noſtro ſtatuto iterum prohibemus applicationem talis pecuniæ abſque Publico Inſtrumento; & non ſervatis conditionibus Bullarum Summorum Pontificum, & abſque Concluſione a Capitularibus loco, & more ſolito congregatis ſubſcripta, in Inſtrumento inſerenda; expreſse inhibendo, ne ejuſmodi pecunia detur ſub titulo Apocæ, ſeu Chirographi, ſeu vulgo dicto *Biglietto di tenuta*;



(a) *Card.de Luc.de Praem.diſc.8. ante nu.12.Cardin.Pet.de conſt.7. Inn.IV.ſect.2. ſub nu 54.tom.3.Rot.coram Alex.VIII.dec. 240. num. 29.*

(b) *Idem de Luc.loc.cit.n.11.verſ.applic.& diſc.51.num.4.& ſeq.*

(c) *Ric.Collect. 3349.verſ.nec non:Fuſc. de Viſit.lib 2.cap.1.num.5. Pet.ad conſt.7. Inn.XIV ſect.4.n.24.*

(d) *Rota coram Ludov.deciſ.482.ſub n 4.par.14 deciſ.192.num.8.& par.16.deciſ. 234.n.7.*

(e) *Loc.cit.*

(f) *Loc.cit.*

(g) *Loc.cit.*

*ta*; etiam alicui, vel aliquibus de Dignitatibus, & Canonicis, ſub pœna danti, vel dantibus, ſolvendi de proprio.

6. Inſuper hoc ſpeciali Statuto conventum eſt, prædictam Capſam eſſe muniendam tribus clavibus; quarum una ſervetur a Prima Dignitate in Reſidentia exiſtente: altera a quarta Dignitate, ideſt Theſaurario; & tertia a Procuratore pro tempore; & ab uno eorum trium, quibus placuerit, Capſa ipſa cuſtodiatur: & in caſu diſcordiæ, ſit penes Capitulum decidere, a quo erit ſervanda; etiam ſub pœna privationis fructuum tranſgreſſori, inobedienti, vel contumaci.

7. Quinto: quiſque de Capitulo æqualiter participat de Maſſa Communi, de omnibus reditibus certis, & incertis, & adventitiis: quæ omnia cumulantur, & a Procuratore pro tempore dividuntur in partes æquales, juxta numerum Capitularium, incluſo Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo; qui non participat in iis emolumentis, in quibus finitur quarta, & habetur ſemper præſens; quiſque vero ex Capitularibus, qui non quotidie Choro, & ſacris functionibus inſervivit, relaxet quantitates pecuniæ Maſſæ Communi debitas ob puncta adnotata a Punctatore, propter ejuſmodi ſervitii omiſſiones, ut infra dicemus.

8. Sexto: Syndicus, ſeu Procurator adminiſtrat Capitulares reditus, & eligitur de gremio Capituli ultima die Anni per Turnum, ſive per circulum, incipiendo ab Archidiacono uſque ad ultimum Canonicum: quo circulo finito, iterum incipitur a prima Dignitate, & ſic in perpetuum; a quo onere eximitur Dominus Epiſcopus ob alias ejus graviores curas, ſicuti a cæteris Capitularibus officiis, & oneribus. Declarando tamen, quod ſi aliquo Anno advenerit in noſtro Capitulo novus proviſus vel a Dataria Apoſtolica, vel ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo, ſuſpenditur electio Procuratoris per circulum; & ipſe nuperus Capitularis ad munus Procuratoris eligitur, quod exercere tenetur ſub pœna ducatorum duodecim; & ad eamdem pœnam adſtringitur quilibet Capitularis, quando legitime a Capitulo electus, acceptare recuſaverit, ut infra cap. 11. de Procuratore.

9. Septimo: non deeſt ſingulis diebus in hac Cathedrali Miſſa Conventualis conſona Officio, vel Sancto, vel Feriæ occurrenti, quæ canitur, & applicatur pro benefactoribus, ſervata forma Decreti Sacræ Congregationis *(a)*, his verbis: Congregatio Concilii cenſuit Canonicos Cathedralis teneri quotidie ad celebrationem Miſſæ Conventualis, non obſtante quacumque Conſuetudine contraria: imo diebus Quadrageſimæ, in Vigiliis, occurrente Officio alicujus Sancti, vel feſti etiam Ritu ſemiduplicis, cantantur duæ Miſſæ Conventuales, ideſt una de Sancto, altera de Feria, juxta diſpoſitum ab ipſa Sacra Congregatione *(b)*, his verbis. Placuit Epiſcopum præcepiſſe, ut occurrente Feſto duplici, vel ſemiduplici in Quadrageſima, Quatuor Temporibus, & Vigiliis, tam in Cathedrali, quam in Collegiatis Eccleſiis duæ Miſſæ, nempe de Feſto, & de Feria, cantentur. Declarando tamen, quod ex his duabus Miſſis, una tantum, nempe Solemnior applicatur pro Populo, utpote Miſſa Conventualis; & altera minus ſolemnis pro oneribus Capituli; & ita intelligitur de tribus Miſſis in die Nativitatis Domini; ex quibus quæ celebratur ſub meridie, applicatur pro Populo.. 10.

(a) *In Tuſcul. 19. Novembris 1654. apud Criſp. de Viſit. Paſt. part. 2. §. 20. n. 31.* (b) *Criſp. loc. cit. n. 32.*

10. Octavo: Officium divinum in Choro integre ſtatutis horis, quotidie celebratur, ac recitatur, vel canitur, Chorali habitu juxta Rubricas; & diebus præſcriptis nunquam deficitur a recitatione Officii Defunctorum, Septem Pſalmorum Pœnitentialium, & Gradualium in obſervantiam Sacræ Congregationis Decreti *(a)*.

11. Nono: ab immemorabili conſuetudine in noſtro Capitulo laudabiliter uſitatum eſt jus congregandi, & actus Capitulares gerere in iis, quæ pertinent ad intereſſe, utilitatem, & regimen totius Communitatis, ut plurimum in Sacriſtia; ubi in unum congregati, quiſque ſecundum Deum, conſcientiæ dictamen, & ſacrarum Sanctionum normam adæquate, & ad rem clare, & diſtincte explicat, præbet, ſcribitque votum ſuum; ac perfuncto ſcrutinio reſolvitur, concluditur, & determinatur, quemadmodum major pars aſſenſit; & quod fuerit reſolutum, in libro de novo conficiendo a die poſt ſubſcriptionem præſentium Conſtitutionum, adnotetur; ut infra de Congreſſibus Capitularibus fuſius diſſeretur.

## CAPUT III.

### *De Archidiacono.*

1. Archidiaconus prima Dignitas poſt Pontificalem, inter Dignitates, & Canonicos primum obtinet locum. *Oculus Epiſcopi* appellatur a S. Clemente Papa *(b)*: & a Concilio Tridentino *(c)*, his verbis: *Archidiaconi, qui oculi dicuntur Epiſcopi, ſint in omnibus Cathedralibus Eccleſiis, ubi fieri poterit, Magiſtri in Theologia, ſeu Doctores &c.* Nuncupatur quoque a Sacris Canonibus: *Vicarius natus (d)*. Primo ad eum pertinet Chori diſciplinæ obſervantia, & omnis defectus correctio; proinde Chori Præfectus dicitur, ad cujus vigilantiam ſpectat omnia diſponere, quæ neceſſaria ſunt ad Chorum, Eccleſiam, Sacriſtiam; & opportune providere, quod opus eſt pro decenti, decoraque Divinorum Officiorum celebratione. Secundo Archidiaconi muneris eſt in Epiſcopi abſentia, illas ſacras functiones peragere, quæ ab Epiſcopo ſolemniter perfungi ſolent, ſi præſens eſſet, vel vellet; ut pluries definitum eſt a Sacra Congregatione, his verbis: *Sacrorum Rituum Congregatio juxta alias reſpondit: Functiones Epiſcopales, Epiſcopo abſente, vel impedito, ſpectare ad Primam Dignitatem, dummodo ſit in Sacerdotali Ordine conſtituta (e)*: Functiones itaque, quæ in abſentia Epiſcopi, vel eo impedito, etiam ex antiqua hujus Eccleſiæ conſuetudine ad Archidiaconum pertinent, ut clarius pateſiant, enumerantur.

2. In die Circumciſionis Domini Miſſa cantata cum primis Veſperis: ac eodem modo in Epiphania Domini.

3. In Cœna Domini, tam Officium Tenebrarum in feria 4. antecedenti, ac Miſſa cum proceſſione Sanctiſſimi Domini deferendi ad Sepulcrum, quam Mandatum.

4. In

(a) *In Alex. 18. Martii 1586. apud Nicol. ſol. 5. Epiſc. verbo Canon. n. 75. Criſp. ſup. cit. n. 30.*

(b) *Cap. 7. de off. Archid.*

(c) *Seſſ. 24. cap. 12. de ref.*

(d) *Conſal. ad reg. 8 Cancell. Gloſ. 4. nu. 68 Jo: Aloi. Ric. dec. 581.*

(e) *Card. de Luc. de Praem. diſc. 20. n. 10.*

Digitized by Google

4. In Paſchate Reſurrectionis, tam Miſſa ſolemnis, & Matutinum cum Laudibus, quam Completorium in Sabbato antecedente.

5. In die Aſcenſionis Domini cum Matutino, & primis Veſperis.

6. In Pentecoſte cum primis Veſperis Matutinum, & Miſſa ſolemnis.

7. In die Corporis Domini Matutinum, Miſſa cum primis, & ſecundis Veſperis; & quando hac die Epiſcopus celebraverit, non defraudetur celebrandi Miſſam ſolemnem, & Proceſſionem in Dominica infra octavam, ejuſdem Solemnitatis; dummodo (quod ſemper intelligitur) ſi Epiſcopo ita placuerit.

8. In duabus Feſtivitatibus Protectoris noſtri S. Amati, nempe in ejus Translatione die 28. Maji, & in ejus felici tranſitu die 30. Septembris.

9. In Feſtivitate Omnium Sanctorum cum primis veſperis, Matutinum, & Miſſa.

10. In Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti Matutinum ante mediam noctem cum Veſperis antecedentibus, & immediate poſt mediam noctem expleto Matutino Miſſa ſolemnis, quæ ſi celebrata fuerit ab Epiſcopo, erit muneris Archidiaconi celebrare tertiam Miſſam in meridie, celebrata prius ſecunda Miſſa ab Archipresbytero. Et ſi acciderit, quod Miſſa in media nocte ſolemnizata fuerit ab Archidiacono, ſecunda Miſſa celebrabitur a Primicerio Majori; & tertia ab Archipresbytero. Occupando autem Epiſcopus prædictas ſacras functiones, & præcipue celebrando Miſſas tam in media nocte, quam in meridie, Archidiacono incumbet celebrare ſecundas Veſperas eodem die, & ſequenti Matutinum, & Miſſam antiquioris Titularis Patroni Sancti Stephani Protomartyris.

11. In Anniverſario Dedicationis Cathedralis Eccleſiæ, etiam cum denuo conſtructa fuerit; ut modo a Domino Epiſcopo in meliorem ſtructuram refici curatur, poſtmodum conſacratura.

12. In die obitus Summi Pontificis, ac creationis Succeſſoris cum aſſuetis functionibus.

13. In die ſepulturæ Epiſcopi, Anniverſarii cum Miſſa, cæteriſque in Cæremoniali Romano præſcriptis functionibus, & ſimiliter in creatione Succeſſoris.

14. Miſſa funeralis in caſu obitus Regnantium, vel inſignium perſonarum, quando lege, vel gratitudine tenemur.

15. Miſſæ pro gratiarum actione, vel ad poſtulandam gratiam pro bono publico, vel ob adventum magni Principis, Legati, vel Epiſcopi.

16. Ad Archidiaconum quoque ſpectat canere Martyrologium cum Pluviali in vigilia Nativitatis Domini.

17. Deferre proceſſionaliter Sanctiſſimam Euchariſtiam proprio Epiſcopo, vel Extremam Unctionem; dummodo aliter ipſi Epiſcopo non videbitur.

18. Alia ejus munia ſunt: præſentare Epiſcopo Ordinandos, juxta Canonem Innoc. III. (a); & tempore Ordinationis reſpondere interrogationi Epiſcopi juxta Pontificale, & in ſui abſentia ſuccedit alia Dignitas, vel alius Canonicus præſens.

19. Epiſcopo deſervire in omnibus ſacris Functionibus, tamquam Presbyter aſſiſtens, tam Pontificalibus, quam non Pontificalibus, ſive cum Pluviali,

(a) *Cap.9.de off.Arch.*

Digitized by Google

viali, vel Planeta, ſive cum Cappa, vel cum Mozzetta.

20. Invigilare præſentium Conſtitutionum obſervantiæ, atque cujuslibet hebdomadæ initio convocare Capitulum, & proponere, quæ ipſi videntur pro recto Communitatis regimine, ad res tam ſpirituales, quam temporales pertinentia; & circa eadem ſuos interrogare Collegas; devenire ad ſcrutinium:vota ſingulorum ab ipſiſmet adnotare facere in libro, ut ſupra diximus, minime Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo defraudatis obſequiis, ac de jure debitis; &, vel per ſe, vel per alium, ſive per Secretarium Capituli legere aliquod caput, vel aliqua capita præſentium Conſtitutionum.

21. Ejuſmodi curæ erit retinere clavem unam ex tribus Capſæ Depoſiti, ut ſupra dictum eſt; & ex duabus clavibus Archivii Capitularis, in quo etiam Capitulare ſigillum cuſtodiendum eſt, apud ſe retinere.

22. Ipſi quoque demandata eſt Sacrorum Supellectilium, bonorum omnium mobilium Cathedralis Eccleſiæ recta bene utendi, cuſtodiendique vigilantia, ex Gregorio IX. (a): idcirco Archidiaconus *Cimeliarcha* quoque dicitur,a latino verbo *Cimelia*, ideſt vaſa, & ſupellectilia Eccleſiæ (*b*). Adeoque in die Sanctorum Innocentium 28.Decembris, vel ea impedita,aliquo die ſequenti, præerit, & aſtabit Inventario a Primicerio Minori, ſeu Theſaurio, a Sacriſta Majori, ſeu ultimo Canonico, cæteriſque prædictorum bonorum Cuſtodibus, conficiendo, ac ſubſcribendo a Cuſtodibus ipſis reſpective; obligatione, & pœnis Præcarii, & Depoſiti, ut de Jure; atque Inventarium ipſum ita confectum, vel renovatum, etiam ut animadvertatur, quæ deſint, reficienda, vel conficienda erint; validum, & legale præſentare tenetur Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo, ſub pœnis ejuſdem arbitrio.

23. Demum ſpecialibus hiſce Archidiaconi muneribus, & oneribus, cum acciderit, quod is abſens fuerit, vel impeditus, ſuccedit Archipresbyter, & ſic gradatim.

## C A P U T IV.

### *De Archipresbytero.*

1. POſt Archidiaconatus Dignitatem primum locum obtinet Archipresbyter, ſucceditque in omnibus ejus abſentis muneribus, & oneribus, cum non longe diſſimiles in hujuſmodi Dignitate a Sacris Canonibus conſiderentur, ut inquit Lancellot (*c*):& quicquid ſit diſcriminis inter utrumque,jam adnotatur in *Cap. ſtatuimus, extra de Majoritate, & obedientia (d)*: Et ſane in hac Cathedrali antiquiſſimi moris eſt, loco Archidiaconi, in ejus ſcilicet abſentia, ſuccedere Archipresbyterum.

2. Cui annexa ad præſens reperitur Cura Animarum: licet ſint alii tres Curati, ſeu Parochi ſub titulis Sanctiſſimæ Trinitatis, vulgo Sanctæ Mariæ Zitæ: Sanctæ Mariæ Veteris: & Sancti Joannis Evangeliſtæ: Archipresbiter tamen omnium Princeps conſideratur, non ſolum ex ſua Etymologia, & Dignitate in Capitulo; verum etiam ex conſervatione, ſive Clavium cuſtodia, tam

(a) *Cap.3.de off.Archi.*
(b) *Gloſ.in d.cap.3.adnot.addiſt.*
(c) *Inſtit.Can.lib.1.tit.14.*
(d) *Et cap.1.eod.tit.card.in Clem.1.de Præb.Nic.in Flo.V.Archipreſ.& Archid.*

tam Tabernaculi Sanctiſſimi Sacramenti, Fontis Baptiſmatis, quam cœterorum Sacramentalium, atque etiam penes ſe ſunt omnes Parochiales Libri: Nempe liber Confirmatorum, Matrimonialium, & Mortuorum. Liber autem Baptizatorum conſervatur in ipſo Baptiſterio, in quo tam ipſe, quam ſinguli Parochi deſcribunt reſpective Filianos ſuos, ab unoquoque eorum baptizatos. Eaque Sacramenta, & Sacramentalia & conſervantur, & adminiſtrantur in ipſa Cathedrali, ubi aſſident quoque Sedes Confeſſionales, & Sepulturæ, quæ ſunt oneris Magnificæ hujus Univerſitatis; Cujus expenſis (ſicuti ſunt Campanæ, & Campanile) pro omnium Civium commodo, & conficiuntur, & reſtaurantur. Omnes itidem Sacræ Parochialium Functiones ibi exercentur, videlicet: adminiſtratio Sanctiſſimæ Euchariſtiæ pro ſatisfactione, præſertim tempore Paſchali, Præcepti: Benedictiones Fontium Sabbatis Sanctis Reſurrectionis, & Pentecoſtes: Candelarum, Cinerum, Palmarum: Mulierum Purificationum primi partus: Publicationes ad Ordines, vel ad Matrimonia: Monitoria, & ſimilia.

3. Quæ Parochiales Functiones exercentur ab Archipresbytero (dummodo non fiant ab Epiſcopo): Mortuorum quoque benedictiones, preces, & Miſſæ ſupra ipſorum Cadavera. Quapropter in iiſdem Functionibus utitur Stola, qua etiam utitur Archidiaconus, quando in Exequiis, vel Proceſſionibus ambo incedunt, ne Dignitas Sacræ Stolæ vileſcat, ſi Stola fultus Archipresbyter ad ſiniſtram, & Archidiaconus ad dexteram, incederent: Ad ejuſmodi itaque evitandum abſurdum, hoc ſpeciali ſtatuto determinatum eſt, quod in Proceſſionibus, & aſſociationibus, quando Archipresbyter Stolæ uſum habet, etiam Archidiaconus habeat; & uterque, juxta Rubricas, ornatas, decentes, & diverſi coloris Stolas ſibi provideri teneatur, ſumptibus tamen reſpective Archipresbyteri ex fructibus Stolæ, qui ſibi ipſi accreſcunt: reſpectu vero Archidiaconi ſumptibus Maſſæ Capitularis, ut infra de Sacris Proceſſionibus.

4. Ad Archipresbyterum ipſum, tamquam ſecundam Dignitatem, pertinent ſimiliter (dummodo non celebrentur ab Epiſcopo) ſequentes Functiones.

5. Canere Miſſam in die Purificationis cum primis Veſperis cum Stola ſine Pluviali: Cum Pluviali vero in Benedictione, & diſtributione Candelarum, & Proceſſionaliter incedere intra Eccleſiæ ambitum.

6. In die pariter Cinerum.

7. In Dominica Palmarum, proceſſionaliter egrediendo, & circum progredi extra Eccleſiam uſque ad Crucem lapideam erectam extra Januam Congruam, ut moris eſt.

8. In die Veneris Sancti (dummodo die antecedenti celebraverit Archidiaconus; aliter ad Archidiaconum ſpectat hanc Sacram Functionem peragere, & reſumere Sanctiſſimum Sacramentum de Sepulcro); Et die antecedenti cum Stola canere Officium Nocturnum cum Laudibus.

9. Die ſequenti poſt Dominicam Reſurrectionis canere Officium cum Veſperis antecedentibus, & Miſſam: tum etiam die poſt Pentecoſtes; dummodo Archidiaconus celebraverit in iis diebus antecedentibus; Aliter Archipresbyter celebrabit diebus ſequentibus poſt Archidiaconum, ut ſupra de Archidiacono dictum eſt.

10. Similiter intelligitur de Dominica infra octavam Corporis Chriſti: cantabit Miſſam, & deferet proceſſionaliter Sanctiſſimum Sacramentum; Quoties Archidiaconus functus fuerit ejuſmodi munere in die Corporis Chriſti; Et ſi

ſecus

ſecus acciderit, nempe quod die proprio celebraverit Epiſcopus, Dominica infra octavam id erit Archidiaconi; & in octava die ſuccedit in eodem munere Archipresbyter.

In die Sancti Marci, & in tribus Rogationum diebus, poſt Proceſſiones, Miſſa ab eodem celebratur.

In Commemoratione Omnium Defunctorum, tam Miſſam, quam cœteras Sacras Functiones explebit.

In ſolemnitate Sancti Stephani Protomartyris, ut ſupra dictum eſt, quando Archidiaconus expleverit Functiones ſuas die antecedenti; & ſi ſecus, ſuccedat Archipresbyter in ſolemnizando poſtera die poſt Archidiaconum.

Canet quoque Miſſam, cœteraſque Sacras Functiones exercebit, juxta Cæremoniale Romanum die tertia Sepulturæ Epiſcopi.

Sui tandem muneris erit aſſiſtere Epiſcopo, tanquam Diaconus, ut ſupra dictum eſt, quando Archidiaconus aſſederit a dextris Epiſcopi, tamquam Presbyter aſſiſtens.

## CAPUT V.

### *De Primicerio Majori.*

QUamquam Primicerius ſubordinatus ſit Archidiacono, juxta *Cap. 1. de officio Primicerii*; attamen illæſa tali ſubordinatione præſidet in Choro ſuis propriis prærogativis; Et ſicuti tertio loco annotatur in dicto Decretalium libro, ita in hac noſtra Cathedrali tertium locum occupat, ſedetque in Choro tertio Stallo a dextris Archidiaconi (Archipresbyter enim ſedet alio latere a ſiniſtris Epiſcopi Sedis); & tertium votum præbet in Capitularibus geſtis, & ejuſmodi loco graditur cœteris Functionibus.

Primicerii Dignitas eadem eſt, ac Cantoris; adeoque ad eum ſpectat omnia diſponere, quæ in Choro occurrere poſſunt, ſcilicet, primo promptos deſignare Miniſtros pro Miſſarum celebratione; Secundo intonare, ſeu notis propriis canere initium Pſalmorum, ac annuere, ut alii, ad quos attinet, ſimiliter proſequantur. Tertio, eligere Miniſtros pro aſſiſtentia, præcipue in ſolemnioribus; illoſque annotare, ſi oportuerit, in aliqua Tabella in Sacello affigenda, pro ab ipſo electorum Miniſtrorum certitudine, & regula: quique omnes ipſi Primicerio obedire tenentur, ejuſque mandata ſervare, tanquam a Vicario Epiſcopi, ſive ab Archidiacono emanata fuerint, juxta Sacrarum legum diſpoſitionem (*a*).

Primicerio Majori itaque incumbit dirigere Chorum; obſervantiam præcipere circa Rubricas Miſſalis, Breviarii, & Sacri Cœremonialis; Corrigere prudenter, & diſcrete errores, defectuſque omnes in Pſalmodia, ſacriſque Miſſarum Sacrificiis, venerandiſque cœteris Functionibus, forſitan occurrentes: Et habito reſpectu ad ordinem, majoritatem, habilitatis, vociſque circunſtantias deſignare pro legendis, ac canendis Lectionibus, Prophetiis, cœteriſque occurrentibus; (per Turnum vero, ſervata inter Capitulares majoritate) Antiphonæ intonandæ ſunt.

11. Primicerio ipſi, quoniam tertia Dignitate præditus eſt, decet ſequentes annales functiones peragere.

V 12. Ter-

(a) *Ric. Pep. in praxi Eccleſ. cap. 4. de off. Cant., & c. 1. eodem tit. Gloſ. in dict. cap. 1.*

12. Feria tertia Majoris hebdomadæ canere Miſſam; & Officium tenebrarum in feria ſexta ejuſdem hebdomadæ.

13. In tertiis feſtivitatibus Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes canere Miſſas cum debitis Officiis; quando ſcilicet, in dictis diebus non ſuccedit Archipresbyter, ut ſupra dictum eſt; quod ſi ſecus, ſuum erit canere Miſſam in Dominica in Albis. Et ſimiliter in octava Corporis Chriſti deferendo Santiſſimum Sacramentum, more ſolito, ſi Archipresbyter in Dominica præcedenti functus fuerit ejuſmodi munere, ut antecedentibus duobus Capitulis explicatum eſt; Et infra dicetur in Cap. de diſciplina Chorali.

14. In die Inventionis Sancti Stephani Protomartyris, dummodo Archipresbyter celebraverit in die ejuſdem Martyris, nempe 26. Decembris; aliter in hac die Inventionis Miſſam cantabit cum primis Veſperis Archipresbyter.

15. In die Sancti Joannis Evangeliſtæ, ſi die antecedenti celebraverit Archipresbyter; aliter celebrabit ipſe in die Sanctorum Innocentium.

16. In die Sancti Joannis Baptiſtæ Miſſam cum primis Veſperis: Et ſimiliter in die Apoſtolorum Petri, & Pauli.

17. Tandem cantabit Miſſam cum ſolitis Functionibus in ſeptima die ſepulturæ Epiſcopi, juxta ſacrum Cæremoniale Romanum.

## CAPUT VI.

### *De Primicerio Minori, ſeu Theſaurario.*

1. NON ſecundum vocis etymologiam, propriamque ſignificationem interperanda eſt hæc quarta Primicerii minoris Dignitas; quoniam ejuſmodi vocis proprietas, nempe Cantoris, & chori Directoris, verius ad Primicerium majorem pertinet. Magis igitur conveniens dictu exiſtimatur, hanc quartam Dignitatem nuncupandam eſſe Theſaurarii nomine, ſeu Cimeliarchæ laurea, ut dictum eſt in cap. de Archidiacono. Ad eum enim ſpectat aſſervare, & in depoſitum cuſtodire pretioſiora Eccleſiæ bona, ſervatis de jure ſervandi (a) juxta Canoniſtas, a quibus Primicerius minor conſideratur tamquam Theſaurarius, ac Archidiaconi pars, & Coadjutorium, ejus vices gerendo; atque cuſtodire tuto, & decenti loco argentea, pretioſiora ſupellectilia, vaſa Sacra, & alia extraordinarii valoris ipſius Cathedralis; & reſpectu Capſæ Depoſiti retinere unam ex tribus clavibus, ut ſupra dictum eſt in cap. 2. de Capitulo.

2. Eadem ratione ad eum pertinet de iis, ac de Sacris Reliquiis confectio inventarii, & tuta cuſtodia, invigilando, ut aſſerventur eædem Sacræ Reliquiæ, ſigillo munitæ a noſtro Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo: & ſi acciderit fractio, deperditio, vel ſigilli, vel Teſtimonialium authenticarum literarum, curet, ſtatim Reliquias ipſas reſpective exhibere Epiſcopo, ut opportunum adhibeat remedium, ſigilla, vel authenticas renovando. Et quando caſus evenerit, ut oſtenſoria Reliquiarum diſrumperentur, vel incolis, ſive advenis, venerationis cauſa, oſtenderentur, palam facere tenetur pœnam majoris excommunicationis latæ ſententiæ a pro tempore exiſtentibus, & præcipue a præſenti noſtro Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo inflictam, contra ſurripientes, divi-

(a) *Gloſſ. in cap. 3. de off. Archid.*

dividentes, occupantes, vel quomodolibet furantes, etiam minimam particulam earumdem Sacrarum Reliquiarum, & præſertim inſignis Reliquiæ integri Capitis S. Amati, quod ipſemet Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus in urna a ſe parata, eleganti ſtructura confecta, decentius collocavit, & proprio ſigillo ſignavit; ſuiſque authenticis literis ſub Pulvinari, in quo ſacrum ipſum Caput repoſitum eſt, ad futuram memoriam exiſtentibus: cæteraque obſerventur, quæ in cap. XXVI. de Adminiſtratore S. Amati ſtatuta ſunt.

3. Succedit ipſe in omnibus oneribus, & honoribus Primicerio majori, in cujus abſentia ejus vices gerit, ac etiam a ſiniſtra parte Chori, munus Cantoris exercet. Quapropter ambos oportere in cantu Gregoriano eſſe verſatos, antiqua noſtra præſcribit conſuetudo.

4. Eodem igitur modo, quo aliquæ particulares ſolemnes Functiones diſtributæ ſunt prioribus tribus Dignitatibus, etiam huic quartæ Dignitati deſignantur; & ſunt ſequentes.

5. In majori hebdomada canere Miſſam cum Paſſione Domini.

6. Dominica in Albis, ſi Primicerius major Miſſam cantaverit ultima Paſchali Feſtivitate; ſecus, ſpectabit ad Primicerium Majorem.

7. Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis cum primis Veſperis, Stola abſque Pluviali.

8. In die Sancti Antonii Patavini cum Pluviali in primis Veſperis.

9. In duabus præcipuis Sanctiſſimæ Virginis Feſtivitatibus, Nativitatis, & Aſſumptionis, & in hac ultima cum Pluviali.

10. In ſolemnitate Sancti Januarii die 19. Septembris ſimiliter.

11. In die Sanctorum Innocentium Miſſam cum primis Veſperis; Si tamen die antecedenti Sancti Joannis Evangeliſtæ celebraverit Primicerius Major; Et ſi ſecus, erit talis diei celebratio Primicerii Majoris; Et ipſe Primicerius Minor celebrabit ultima die Anni.

## C A P U T VII.

### *De Canonico Theologo.*

1. A Sacris Conciliis, & Summorum Pontificum Sanctionibus (*a*) præceptum eſt, ut in Cathedralibus, ac etiam in Collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni Oppido inſtituatur Canonicus Theologus, ac provideatur prævio examine per Concurſum. Quando igitur, vel a Dataria Apoſtolica, vel ab Epiſcopo Canonicus Theologus noſtro Capitulo largietur (ut cum primum futurum eſſe ſperamus); quemadmodum in Inſigni Oppidi Collegiata Balneoli, vigilantia hodierni Epiſcopi per ipſam Datariam inſtitutus eſt: operæ pretium idcirco cenſemus, hiſce quoque conſtitutionibus de illo, quod Juri conſonum eſt, ſtatuere.

2. Canonicus Theologus circa prærogativas, præeminentias, & Maſſæ Capitularis participationem nil differt a cæteris. Proinde ſicut cæteri, reputabitur quoad locum, votum, emolumenta, & onera (*b*): Quinimo ejus offi-



(a) *Trid. Seſ. 5. cap. 1.*
(b) *Garz. de Benef. in addit. p. 5. c. 4. n. 3. Cong. Conc. in Senen. 16. April. 1645. & in Muran. 11. April. 1699. Monat. form. leg. tit. 2. form. 4. tom. 1. n. 11.*

cium oneroſius conſideratur cæteris Canonicorum oneribus ; quoniam ipſi incumbit tam grave onus divinæ Scripturæ ſenſu literali, & Tropologico explicandæ ; atque Populo, & Clero communicandæ ; Et tam arctius ejuſmodi animadvertitur onus, ut ſi inhabilis, vel diu impeditus fuerit, alius ab Epiſcopo ſubſtituendus eſt, taxata congrua Mercede, expenſis, ſeu ex fructibus ipſius Theologalis *(a)*.

3. Neque ſuffragatur excuſatio ob deficientiam Auditorum, juxta eandem Sacram Congregationem, & Canoniſtas ; & arbitrio Epiſcopi deſignantur Materiæ, dies, & horæ, quibus a Canonico Theologo ſtandum eſt ; & diebus, quibus Lectionibus explicandis operam navat, tanquam præſens in Choro, cæteriſque Sacris Functionibus, reputabitur *(b)*. Et Dignitates, & Canonici audire tenentur, ſub pœnis ab Epiſcopis imponendis *(c)*.

## CAPUT VIII.

### *De Canonico Pœnitentiario, ejuſque Munere.*

1. ADeſt in hac Cathedrali Canonicus Pœnitentiarius, juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, ad Sacramentales audiendas Confeſſiones deputatus pro opportunitate Fidelium ad Sacram ipſam Exomologeſim, ſeu ad ſecundam poſt Naufragium Tabulam pro prima Gratia recuperanda, vel pro ejus augmento recurrentium.

2. Quamvis autem Canonicus Pœnitentiarius a Jure ad ejuſmodi munus deſignatus fuerit, nullo pacto valide poteſt a reſervatis Epiſcopo, vel ab Epiſcopo, abſolvere, niſi ad id ab ipſo Epiſcopo ſpeciali Mandato ſit delegatus, juxta multoties decretum a Sacra Concilii Congregatione, & præcipue in Cavenſi 24. Maii 1642. his verbis : „ Congregatio Concilii cenſuit ; Pœnitentiarium „ abſque Epiſcopi ſpeciali facultate non poſſe abſolvere a caſibus Epiſcopo „ reſervatis *(d)*. Et vigore præfati Concilii, & per citatos Doctores habetur, quod ſi renueret Confeſſiones audire, certis horis opportunis in loco, & Sede pro Epiſcopi, ad quem hoc ſpectat, arbitratu, puniri deberet ab Epiſcopo, & cogi, ut officium ſibi injunctum exequatur.

3. In hoc noſtro Capitulo Pœnitentiarius Canonicus æqualiter, ac alii ſuis in locis aſſidet, neque præcedentia fruitur ſupra alios ; quoniam antiqui Juris, ac immemorabilis Conſuetudinis ( ſicuti his Inſtitutionibus declaramus ) ſemper fuit, eſt, & erit ; quod major de Collegio Capitulari dicitur, qui prior in Collegium cooptatus eſt *(e)*. Adſtringitur etiam ad ſupportanda omnia alia onera, ſicut cæteri Canonici, juxta ſæpiſſime reſoluta a Sacra Congregatione Concilii *(f)*.

4. Quan-

(a) *Cong. Conc. in Senen. ſup. tom. 4. literar. SS. limin. pag. 9. in Archiv. ejuſdem Cong. Criſp. de viſit. Paſt. p. 2. §. 23. de off. Can. Theol.*

(b) *Cong. Conc. in Fund. 15. Octobris 1618. Criſp. loc. cit. n. 10.*

(c) *Barb. ſuper Conc. cap. 1. ſeſ. 5. de reform n. 14. Et de Canonicis cap. 27. n. 28. Monac. form. legal. tom. 1. tit. 2. form. 5. n. 8. in hac Syn. parte 1. cap. 1. §. 3.*

(d) *Criſp. loc. cit. §. 24. n. 4. Piaſec. prax. Epiſc. parte 2. cap. 1. art. 3. de caſib. Ep. reſervatis n. 16. Nic. Lugub. Canon. lib. 5. tit. 38. de Pœnit. & remiſ. n. 13. Gallemart. in Conc. ſeſ. 24. de Ref. cap. 8.*

(e) *Juxta Nic. in Can. lib. 1. tit. 33. de majorit. & obed. n. 1. quod intellig. cæteris paribus, non in diverſo ordine ſc. Clericali, & Sacerdotali.*

(f) 15. *April.* 1690. 16. *April.* 1695. 11. *April.* 1699. *relat. a Monacell. loc. cit. n.* 11.

Digitized by Google

4. Quando autem fungitur ſuo munere in Sede, & loco aſſueto, excipiendo Fidelium Confeſſiones, habetur tanquam præſens in Choro, juxta ipſam Sacram Congregationem, his verbis: „ Congregatio Concilii cenſuit, Pœnitentiarium, „ dum Confeſſiones audit in Eccleſia, cenſeri præſentem, etiam in Proceſſio- „ nibus, ideoque gaudet in ejuſmodi munere exercendo diſtributionibus „ omnium intereſſentium *(a)*.

5. Animadvertimus tamen, non licere Pœnitentiario dicto Privilegio abuti; Non enim a ſuo arbitrio pendet ſemper inſidere Confeſſionario, ſed ſtatutis diebus, & horis. Ne igitur incerta lege vagetur, firmiter præſcribimus; quod diebus ferialibus, quoties fuerit vocatus, accedere debet ad Confeſſiones audiendas; At ſi ſecus, non poteſt ad ſui libitum a functionibus Capitularibus abeſſe, ſub ſoliti puncti pœna.

6. Diebus vero feſtivis, ſive ſolemnibus aſſiſtere debet in Sede Confeſſionali, etiam ſi a pœnitentibus non fuerit expoſtulatus, juxta eandem Concilii Congregationem, his verbis: „ Cum Epiſcopus Verulanus præceperit, ut Pœ- „ nitentiarius aſſiſteret in Sede Confeſſionali in diebus Feſtis ſolemnioribus, in „ Quadrageſima, in Adventu, & in aliis Feſtivitatibus, prout in Decreto: Ip- „ ſemet Pœnitentiarius prætenderet, non teneri aſſiſtere, niſi vocatus; quæſitum „ fuerit, an Epiſcopo licuerit facere dictum præceptum? die 19. Januarii 1649. „ Congregatio Concilii cenſuit, Epiſcopum exequi, & Pœnitentiarium parere „ debere *(b)*.

7. Et clarius ab ipſa Sacra Congregatione deſignati ſunt dies, in quibus Pœnitentiarius, etiam non vocatus, aſſiſtere in Sede Confeſſionali tenetur; nempe: In diebus Jejunii, Quadrageſimæ, Adventus, Quatuor Temporum; præcepti Paſchalis ſatisfaciendi, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſumptionis Virginis, Omnium Sanctorum, Nativitatis Domini *(c)*.

8. In hac etiam Cathedrali inter ſolemnes dies enumerantur Feſtivitates noſtri Protoepiſcopi Sancti Amati, & Protomartyris S. Stephani, qui ſunt primi Patroni hujus Civitatis.

9. Tandem pro coronide annectimus ex mente Sacri Concilii, ejuſque Congregationis Decretis: non poſſe Pœnitentiarium cogi ad majorem Reſidentiam, quam alii Canonici, qui per tres menſes abeſſe poſſunt, dummodo non abſit tempore, quo frequentius Pœnitentes accedunt, ut modo dictum eſt. Inſuper iterum animadvertimus, non poſſe Pœnitentiarium abſolvere quemquam a Caſibus, quos Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus ſibi reſervaverit, niſi ipſemet Epiſcopus hanc illi ſpeciatim dederit facultatem, ut ſupra dictum eſt: nec ſufficit quæcunque præſumptio; ut in hac Synodo Parte Secunda Cap. 4. de Sacramento Pœnitentiæ, ubi de Caſibus Reſervatis.

C A-

(a) *4. Septembris* 1591. *Garz. de Benef. parte 3. cap. 2. n. 335. Pignat. conſult. 13. n 2. & 3. tom. 7. Monacel loc. cit form. 6. n. 6.*

(b) *Criſp. loc. cit. n. 1. Nicol. Lugub. can. lib. 5. tit. 38. de Pœnit. & Remiſ. n. 14. Monacel. loc. cit. n. 3.*

(c) *In* [illegible]*gobien. Decembris* 1585., *ut refert Criſpin. loc. cit. n. 2. Monacel. loc. cit. n. 5. Garz. cit. parte 5. cap. 4. n. 122.*

# CAPUT IX.

## *De Officio Cujuslibet Canonici*.

1. CAnonicus a *Canendo* dicitur *(a)* ; ejuſque muneris eſt canere in Choro. Cantus enim in Eccleſia a veteri Teſtamento ſumpſit exordium: legitur enim in Paralipomenon, quod David Prophetarum maximus volens cultum Dei ſolemniter ampliare, Cantores inſtituit, qui coram Arca Fœderis Domini muſicis inſtrumentis, & modulatis vocibus decantarent; inter quos præcipui fuerunt Eman, Aſaph, & Ethan; omnium autem princeps Eman celebratur. Itaque Cantus in Eccleſia adhibetur, vel ut dulcedo, & conſonantia vocum deſignet dulcedinem, & conſonantiam bonorum operum ſummo Deo acceptabilium, vel ut ſaltem per aurium oblectamenta infirmiorum animus ad affectum pietatis aſſurgat, ut qui verbis non compungitur, ſuavitate modulaminis moveatur, ut in libro Confeſſionum Sancti Auguſtini.

2. Proinde non ſufficit, quod Canonicus aſſiſtat ſolummodo in Choro, & non caneret: non abſimilis enim eſſet Agricolæ illi, qui ſe ſub faciem colendæ terræ, vel vineæ duceret, abſque quin operaretur; Et ſicuti iſte indebite exigeret a Domino diuturnum denarium, ſeu mercedem, non præſtito labore; Ita furtim acquireret quotidianas diſtributiones Canonicus ille, qui Choro aſſiſteret, & divinas laudes, ut par eſt, conſona voce, attente, & devote non caneret.

3. Hinc eſt, quod Canonicus callere debet Gregorianum Cantum; Ita ut ab Ordinario adſtringi poſſit ad addiſcendum, ſub pœna Diſtributionum privationis: Quemadmodum reſolutum refert Criſpinus a Sacra Congregatione Concilii, his verbis: „ Cum Andrienſis Eccleſia ſit Receptitia, eique Clerici omnes, „ tam in Minoribus, quam in Sacris Ordinibus conſtituti, inſervire tenentur: „ Sunt tamen nonnulli adeo cantus ignari, ut tumultum, diſſonantiam, & confuſionem pariant in Choro: Quærit Epiſcopus: An poſſit hos cogere, ut Cantum addiſcant, etiam per ſubtractionem quotidianarū Diſtributionum? Congregatio Concilii cenſuit: Epiſcopum debere omni ſtudio, ut prædicti omnes „ cantum addiſcant, ad idque tota diligentia eniti; atque in eos, qui in Choro, „ prout tenentur, non pſallent, procedere poſſe, etiam per ſubtractionem quo„ tidianarum Diſtributionum *(b)*.

4. Quapropter ne detur excuſatio, & ſaltem formidine pœnæ, quiſque ad ejuſmodi munus efficiatur idoneus, ſpeciali ſtatuto abſque ulla tergiverſatione obſervando, conventum eſt, quod adveniens novus Canonicus minime verſatus in Cantu Gregoriano, teneatur infra ſex menſes a die ſuæ poſſeſſionis in noſtro Capitolo, illum addiſcere; quibus elapſis (ſi Judicio, & conſcientia Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi adhuc imperitus reputabitur) ſolvat carolenos decem in quolibet menſe, tandiu, quamdiu cantum non addiſcat, & bene canendi idoneus non experiatur: quos carolenos decem in ſingulis Menſibus ſolvendos, Procurator Capituli accumulet, & diſtribuat aliis Dignitatibus, & Canonicis, qui munere ſuo laudabiliter in Choro funguntur.

5. Ea-

(a) *Clem.1.de Celeb. miſ. S. Thom.* 2. 2. *qu.*83. *art.*12. *Pagnan. cap.* 1. *de Cler. ægrot. num.*15.

(b) *Cong.Conc. in Adrianenſ.*14.*Martii* 1620.*Criſp.in Viſit.Paſtor.parte* 2.§.20.*n.*19.

Digitized by Google

5. Eadem ratione, ſicuti dictum eſt, quod Canonicus canere tenetur; quoties occurrerit, quod canere recuſaret; & præcipue ſi a Primicerio Majori ad canendum fuerit vocatus, mulctabitur pœna unius aſſis, quam pœnam appellamus PUNCTUM, ſignandum quoties dicta contumacia occurrerit; & cura erit Punctatoris pœnam exequi: & ſimiliter quando Canonicus tempore divinæ Pſalmodiæ legeret Literas, vel alias paginas, libros, vel ſcripturas impertinentes, & Choro, & actualibus Sacris Functionibus improprias, pari pœna mulctetur: ſicuti etiam quando Canonicus multiloquio, alta, ſeu indecenti voce in Choro alloqui præſumeret. Confabulantes enim in Choro, punctandi ſunt tanquam abſentes, ut reſcripſit Sacra Congregatio Epiſcoporum Epiſcopo Nucerino *(a)*. Et item ſi abſque legitima cauſa non aſſederit in proprio loco indutus Chorali habitu juxta Decreta Sacræ Rituum Congregationis, ſub pœna amiſſionis fructuum: neque Choro intereſſe poteſt cum habitu Protonotarii, deciſum fuit ſub iiſdem pœnis: Quoniam Dignitates, & Canonici ſine habitu Canonicali ſervitio Chori faciunt ſe extraneos, & incapaces lucrandi Diſtributiones; neque Capituli conſenſus poteſt illos capaces reddere contra Sacrorum Rituum, & Concilii Congregationis Decreta *(b)*.

6. Neque licitum eſt unicuique ex Dignitatibus, & Canonicis egredi è Choro, Miſſam Privatam celebrandi cauſa; Neque abſque neceſſitate audiendi Sacramentales Confeſſiones, juxta Decretum Sacræ Congregationis Concilii, his verbis: „ Congregatio Concilii cenſuit: Canonicos debere integris horis „ intereſſe, & non poſſe diſcedere, etiam ad Miſſas devotionis cauſa celebran„ das, & Confeſſiones audiendas, non obſtante contraria conſuetudine *(c)*. Verum enim vero quoties Populi neceſſitas occurret, remittitur prudentiæ, & diſcretioni Præfecti Chori, licentiam alicui, vel aliquibus ex Canonicis impertiri, dummodo non deficiant ſaltem ſex ex intereſſentibus *(d)*.

7. Celebratur in noſtro Capitulo per Hebdomodam, ſervato gradu, ſeu per Turnum, etiam Dominicis, & Feſtivis diebus; illis tamen exceptis, in quibus celebrandum ſit ab aliquo ex Dignitatibus, ut ſupra dictum eſt; Et Dignitati celebranti in diebus Feſtivis occurrentibus, ac aliis diebus, in quibus celebrandum ſit cum aſſiſtentia, aſſiſtere tenentur munere Diaconi, & Subdiaconi duo ex Canonicis ad arbitrium, & electionem ipſius Dignitatis celebrantis; ſervato vero ordine, circulo, ſeu Turno, ut ſervetur æqualitas laboris, & honoris, ſub pœna puncti unius aſſis: Et ſimiliter ſub eadem pœna Canonico celebranti aſſiſtere tenentur alii duo Canonici, ſervata quoque inter eos antiquioritate, & majoritate; & quando celebraverit ultimus Canonicus, aſſiſtat Canonicus decimus vice Diaconi, & undecimus vice Subdiaconi; Et quando undecimus Canonicus celebraverit, aſſiſtat in munere Diaconi Canonicus decimus, & in munere Subdiaconi duodecimus; & ita de reliquis. Quapropter a tali aſſiſtentia ſolum eximuntur Dignitates, qui tantummodo ſub pœna dupli aſſiſtere tenentur Domino Epiſcopo; Irrationabile enim eſſet, Dignitates

vel

(a) *Monacel. parte 2. form. legal. pract. for. Eccleſ. tit. 13. ad not. ad form. 2. n. 2.*

(b) *In Aſcul. Apul. 16. Martii 1610., & 19. Novemb. 1611. Conc. in Spolet. 9 Jul. 1695. Monacel. parte 1. tit. 2 form. 6. 2. 20.*

(c) *In Cajet. 1. Decembris 1621. Criſp. loc. cit. n. 23.*

(d) *Criſp. loc. cit. Cong. Epiſcoporum in Aprutin. 18. Aprilis 1617. Cong. Conc. in Sarzanen. 4. Jun. 1601. apud Monacel form. 4 n. 2. tom. 1 tit. 2.*

Digitized by Google

vel ſibi ipſis, vel Canonicis aſſiſtere: Sicuti rationi congruit, ut Dignitates Epiſcopo, & Canonicos Dignitatibus inſerviant, juxta varia Sacrarum Congregationum Decreta (a).

8. Nihilominus in hoc noſtro Capitulo ab antiqua Conſuetudine, quæ modo viget, toleratur ſervitium Diaconi, & Subdiaconi, tam in Miſſis, quam in aliis Sacris Functionibus præſtari ſolitum ipſis Canonicis ab Extracapitularibus, vel Clericis in Sacris conſtitutis pro exercitio ſuorum Ordinum.

9. Subnectimus tamen, quod ſi (annuente Summo Pontifice, zelo, & Paterna Paſtorali vigilantia hodierni noſtri Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, quemadmodum ſummopere optatur) inſtituantur Hebdomadarii, OEconomi, ſeu Manſionarii; iſti ſemper, & nunquam Canonici Canonicis ipſis munere Diaconi, & Subdiaconi inſervient (ſervata tantummodo Domino Epiſcopo præfata Canonicali aſſiſtentia), ac etiam fore ſerviendum Eccleſiæ, & Choro, ſervata alternativa inter Dignitates, Canonicos, & ipſos Hebdomadarios, juxta ſtatuta in calce præſentium ſub addenda.

10. Interea nihil prætermittendum eſt ex præſentibus Conſtitutionibus. Et ſi acciderit abſentia, vel legitimum impedimentum, vel contumacia unius Dignitatis, ac Canonici, ſupplere ſub eadem pœna unius aſſis tenetur alter, cui immediate ſuccedit.

11. Impedito inſuper Canonico in die, vel Hebdomada, in qua ab ipſo celebrandum occurrerit, ſubſtituere incumbit alium Canonicum; Et ſi ab ipſomet non fuerit ſubſtitutus, ſubſtituatur a Chori Præfecto, ſoluto ſtipendio unius Caroleni pro cujuslibet Miſſæ celebratione, a Procuratore erogando ex portione ad prædictum Canonicum, vel Dignitatem ſpectante.

12. Nunquam licitum ſit ſubſtituere ad canendam Miſſam Conventualem Sacerdotem non Canonicum, ſed tantum pro privatis Miſſis celebrandis *de* onere Capituli. Quare Miſſarum onus Dignitatibus, & Canonicis æquale eſt. Et tam Miſſæ Conventuales quotidie pro Benefactoribus, & Populo, quæ per hebdomadam gradatim per Turnum celebrantur, quam Privatæ, quæ ad numerum tertiidecimi (incluſo Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo) diſtribuuntur æqualiter: Quarum ſatisfactiones a ſingulis, nempe a Dignitatibus, & Canonicis, Miſſæ Conventuales, votivæ, pro Funeralibus, & Anniverſarii celebratæ adnotentur, ſicuti moris eſt, a noſtri Capituli Secretario; Miſſæ vero privatæ, quæ dividuntur, ut ſupra, adnotentur per ſeipſos Celebrantes in eodem libro Manuali ſolito, in noſtra Sacriſtia exiſtente, percunctando in fine anni a Procuratore: qui, ſi cognoverit ab aliquo Capitulari portionem ſuam Capitularium Miſſarum non eſſe ſatisfactam, retinere tenetur ipſarum ſtipendia ad rationem unius caroleni pro ſingulis; Et non ſolvere ipſi Capitulari negligenti, ſed alteri, cui præfatæ præteritæ Miſſæ celebrandæ traduntur ſub pœna ſatisfaciendi, ac ſolvendi de proprio.

CA-

(a) *Cong.Rit.in Gerund.* 3.*Octob.* 1699. *in Cluſina* 20. *Aprilis* 1641. *in Brunduſ.* 7. *Decembris* 1655. *in Tolent.*7.*Aprilis* 1696.*in Neapol.*25.*Januarii* 1698., *Cong.Conc.in Caſalen.* 28.*Jan.* 1690. *Apud Monac. cit. tit.* 2. *form.*4.*n.*6.

# CAPUT X.

## *De Officialibus Capituli.*

1. SIcut in uno corpore multa membra habemus; non autem omnia eundem actum habent: ita in uno, eodemque corpore, ſive Communitate aliquod officium conferendum eſt uni, alteri committendum eſt aliud: ſicuti etiam varietas membrorum per diverſa officia, & robur corporis ſervat, & pulchritudinem repræſentat, ita varietas Perſonarum per diverſa nihilominus diſtributa munera, & fortitudinem, & venuſtatem Capituli manifeſtat.

2. Pro noſtræ Communitatis igitur recto regimine, ſicuti antiqua Conſuetudine, ita in poſterum obſervandum ſtatuimus: ut ultima die cujuslibet Anni, ſequentes eligantur Officiales, nempe: Procurator, Syndicus, ſeu Cellerarius: Duo Auditores Computorum, ſive Rationales: Punctator, ſimul ac Cæremoniarum Magiſter: Secretarius itidem, ac Archiviſta. De quibus ſigillatim ſequentibus Capitibus ſtatutum volumus. Et præter Canonicum Sacriſtam Majorem, de quo etiam ſpeciali Capite loquemur: eligantur quoque quatuor Capitulares Deputati nomine omnium cum omnimoda facultate, & poteſtatis plenitudine, ut poſſint colloqui, peragere, & tractare cum Domino Epiſcopo, & non niſi ejus judicio, & conſcientiæ parendo, decidere quod decet, lites tranſigere, vel concordare; & omnia alia perficere in Communitatis utilitatem, ſeu regimen, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, quæ a toto Capitulo per cujuſque ſuffragia fideliter, & laudabiliter fierent.

3. Officiales ipſi, quando bene, & legaliter juxta debitum ſua reſpective munia geſſerunt, ad arbitrium Capituli confirmari poſſunt; dummodo a Domino Epiſcopo non contradicetur; aliter, eo parito, ad aliorum electionem procedatur.

4. Poſſunt etiam infra Annum amoveri, privarique, prævia tamen Capitulari Concluſione, & alia prædictorum reſpective electione ab Illuſtriſſimo ipſo Epiſcopo approbanda, eoque inſtructo de legitima cauſa, propter quam aliquis privandus ſit ſuo munere; ne removeatur injuſte, & nullo conſtito Jure.

5. Electi aſſentiri, & impoſitum officium exercere tenentur, ſub pœnis, ut infra in ſuis cujuſque a Capitulo traditis muniis, clarius patebit.

# CAPUT XI.

## *De Procuratore, Cellerario, Syndico, ſeu Œconomo Capituli.*

1. INter inſignia, & perſpicua Collegii, ſeu Capituli Conſtitutiva (ut ſupra dictum eſt Cap. 2.) luculenter patet, ut in eo adſit Syndicus, a græca voce, quod latine ſonat Defenſor, Procurator, & qui præeſt Cauſis Defendendis, tanquam utilis Negotiorum Geſtor (a): Et Cellerarius, ideſt Marſupii, ſeu Menſæ Capitularis Miniſtrator, qui indemnitati ejuſdem conſulere debet; & ſingulis diſtribuere, quod ſuum eſt, ac præcipue efformare Cedulas, ut vocant, tam in reditibus exiguis, tam in cenſibus, quam in frumentis, ut Cap. 19. de Diſtributionibus loquemur; & ſupra Capite 2,

X 2.Eli-

(a) *Sabell. in Sum. diverſ. §. 17. n. 4. tom. 4.*

Digitized by Google

2. Eligitur per Turnum, ſive per Circulum (dummodo aliter Capitulo ipſi non videbitur), incipiendo ab Archidiacono uſque ad ultimum Canonicum: Interrumpitur vero Circulus, cum ſupervenerit novus Capitularis, ſive a Sancta Sede, ſive a Domino Epiſcopo inſtitutus, cui incumbit onus Anno immediate ſequenti poſt ejus captam poſſeſſionem in Capitulo, Procuratoris officium exercere, ſe inſtruendo de ſuo munere, bene ponderando præſentes Conſtitutiones.

3. Si vero contigerit caſus, in quo nuper in Capitulo ingreſſus completo in primo ejus Novitiatus Anno ſuo Procuratoris munere, anno ſequenti idem officium, ratione Circuli, ad ipſum ſpectaret; In hoc caſu primus Annus Procurationis exercitæ ſufficit tam pro Novitiatu, quam pro Circulo. Inſuper ſi duo nuperi, vel plures Canonici, vel ex Dignitatibus ſimul in noſtro Capitulo advenerint, qui primus poſſeſſionem ceperit, primus Procurator erit, & alter alio, & ſic ſucceſſive de ſingulis, ut ſupra dictum eſt in Cap. 2. de Capitulo.

4. Electio Procuratoris licet ſit facienda modo prædicto; attamen ne Electores defraudentur debita libertate in eligendo, concurrentibus juſtis cauſis, & præcipue paupertate ejus, ad quem per Turnum, ac etiam ratione Novitiatus ſpectaret, remanet in poteſtate ſanioris, & partis majoris ipſorum, alium eligere.

5. Electus tamen legitime ad ejuſmodi officium, ſi acceptare recuſaverit, ſolvere tenetur ducatos duodecim, elargiendos alteri, qui vice ejus a Capitulo eligetur, ſimul cum aliis ducatis ſex ipſi Procuratori ex Maſſa Communi debitis: Et ſi quoque alius electus recuſaverit, ſolvet eandem pœnam. Verum in hoc caſu tertius electus, & acceptans lucrari non debet dictos ducatos ſex, ſed ipſum Capitulum; & tantum ſibi ſufficere debeant ducati viginti quatuor ex pœnis præfatorum acceptare recuſantium provenientes, ac retinendi ex portione ad ipſos ſpectante.

6. Procurator, etſi in ſui adjutorium ſubſtituere alium poſſit; attamen ſemper ipſe principalis perſonaliter, & realiter reddere tenetur rationem ſuæ adminiſtrationis, & ad intereſſe, & ad omnia damna, quæ forſitan ex ejus culpa Capitulo provenient. Jure enim, & facto ex officio tenetur utilia agere, & inutilia prætermittere, tanquam pii loci Adminiſtrator, & æquiparatur Tutoribus, & Curatoribus, & ad inſtar illorum tenetur; quemadmodum fuſius ſtatutum eſt in Cap. 26. de Procuratore, ac Adminiſtratore Sancti Amati: Quod omne noſtro Procuratori repetimus obſervandum *(a)*.

7. Præcipua ejus onera ſunt; præter ea, quæ diximus, & infra dicemus.

8. Primò Juris, & facti remediis curare, ut nullum præjudicium Capitulo, ejuſque bonis inferatur; Et cum ſolus ad id inſufficiens videbitur, Capitulum ipſum convocare tenetur, certioratum facere, & auxilium petere.

9. Secundò itidem in gravioribus agendum eſt, & præſertim in venditione Siliquarum, Caſtanearum, aliorumque fructuum Menſæ Capitularis; Nec non in conceſſione Terrularum, vinearum, nemorum, domorum, ac ſimilium Stabilium in Emphyteuſim, vel permutationem; pariterque in erogando pecuniam Capitalium in annuos cenſus: in locationibus ad longum tempus; vel etiam

(a) *Clem. Quia contingit §. ut autem de Religioſis Domibus, Rot. Rom. coram Cocc. deciſ. 625. n. 10. Monacel. cit. Tit. 1. form. 14. n. 9.*

Digitized by Google

etiam ſi intra triennium ultra ſummam annuorum ducatorum trium, vel frumenti trium modiorum; & etiam intra dictam ſummam cum eſſent Concurrentes. In iis enim, & ſimilibus gerendis, more ſolito congregati, conſilium Capituli, & conſenſum petere tenetur ſub pœna nullitatis actuum,& ad omnia damna reſarcienda, ac expenſas ſolvendas, quæ forſitan Communitati ob ejuſmodi contractus initos, inſcio Capitulo, illata fuerint.

10. Imo Procurator ſciat in conceſſionibus in Emphyteuſim, ſive ad cenſum, in permutationibus, in venditione ſtabilium, in locationibus ultra Triennium, præter conſilium, & conſenſum Capitularium, opus eſt aſſenſu, vel Apoſtolico, vel Ordinarii Epiſcopi, juxta rei valorem, ut de Jure; Et alia obſervare, quæ ſupra diximus Cap. 2.

11. Tertiò ad recte munus ſuum exercendum promptum habeat libellum, ſive catalogum Cenſuum, locationum, proventuumque omnium, ac maturi temporis, ut præſto ſit exigendum.

12. Quartò locationes, ſive affictus ne fiant, niſi Apochis, in Chirographo, ſeu Libro, vulgo dicto *Polizzario*, propria manu Affictuariorum, ſeu Locatorum ſubſcriptis, vel Cruce ſignatis, & Teſtibus, in iiſque declarandæ ſunt conditiones, & exprimenda pacta, omnes inferendæ circumſtantiæ, ut de Jure, ad evitandum evitanda: quod onus Canonico Polizzario appoſuimus, ut infra.

13. Quintò neque licitum ſit abſque Capituli conſenſu, ſine cauſa aliis locare, & novas Apochas facere, excluſis actualibus Affictuariis; & præcipue ante tempus, ſive antequam tempus primæ locationis completum fuerit; aliter tenetur ad damna, ſeu expenſas, etiam ex lite inde proventa. Quod ſtatuimus obſervandum a Canonico Aprocriſario, infra Cap. 25.

14. Sextò non poteſt ullam expenſam facere extraordinariam, & non ſolitam, niſi cum conſenſu in ſcriptis, ſive mandato Majoris, & Sanioris partis Capituli, ab ejuſque Secretario edito; & tantum permittitur, ut poſſit erogare ex ſe quinque carolenos, cum ita expedierit extra expenſas ordinarias, & fieri ſolitas.

15. Septimò ſi ob ſuam gravem negligentiam, vel latam culpam, reditus, fructus, & Capitalia diminuentur, tenebitur de proprio: Quapropter ſuæ curæ erit invigilare, ut Inſtrumenta de omnibus Contractibus ad Maſſam Capitularem pertinentibus, ſtatim conficiantur, & annotentur in libro, qui in noſtro Archivo aſſeruatur; Et nunquam elargiatur pecuniam ad cenſum,vel ſtabile in Emphyteuſim, niſi prævio Inſtrumento, & ſervatis de Jure ſervandis, ut ſupra diximus Cap. 11. Et non niſi præſtito conſenſu a Majori, ac Seniori parte Capitularium, capitulariter congregati, adhibito Domini Epiſcopi conſilio.

16. Octavò completo anno ſuæ adminiſtrationis ultima die Decembris, quamvis eligatur ejus Succeſſor, munus ſuum incipiens prima die ſequentis Anni, prorogantur tamen ipſi Procuratori duo Menſes, Januarius, & Februarius ad exigendum forſitan, quod ob impotentiam Debitorum, præterito anno non fuerit exactum. Initio vero, imo prima die Martii tenetur omnimodo, omni alia mora poſtpoſita, ſub pœna privationis ſui Honorarii, libros Rationum, ſeu Computorum, Introituum, & expenſarum fideliter, & diſtincte congeſtos realiter dare, & præſentare Auditoribus, ſeu Rationalibus a Capitulo electis, ad illos percunctandos; quibus viſis, ſtare ad omne id, quod de Jure fuerit ſignificatum; atque ſtatim, ad quos ſpectat, integre ſolvere, & ſatisface-



Digitized by Google

re, etiam ſub pœna in quocumque caſu contumaciæ, & moræ abſque ulla alia Declaratoria, ipſo tunc rigoroſi ſequeſtri Capitularis Portionis, & præter actionem Criminalem, etiam ſequeſtri ejus omnium bonorum; & quilibet Capitularis jus habet eum ad ſolutionem cogere, implorato brachio Reverendiſſimæ Curiæ, ut de Jure.

17. Nonò antequam cuique ex Participantibus ſolverit portionem ſuam, ſedulo advertere tenetur, an ab unoquoque eorum fuerint ſatisfactæ Miſſæ pro Capituli oneribus, eis reſpective aſſignatæ; ac proinde non ſolvat, niſi ſibi conſtita prædicta debita ſatisfactione; & cum deprehenderit aliquem non impleviſſe, ſtipendia ad rationem unius caroleni pro ſingulis Miſſis apud ſe retineat, & per alios illico Sacra celebrari curet, ut Teſtantium voluntates non defraudentur; & non niſi ſibi conſtito, non ſubjacere ſub ſequeſtro alicujus Capitularis portionem, ſub pœna ſolvendi de proprio.

18. Tandem gaudet Procurator, tam in Anno ſuæ Adminiſtrationis, quam duobus ſequentibus Menſibus prædictis, Privilegio aſſiduæ aſſiſtentiæ in Choro, cæterarumque Capitularium Functionum; Adeoque non ſubjacet Punctis; imo de illis omnibus participat: Et præ cæteris, ex Maſſa Capitulari ducatos ſex pro ſuo Honorario, & labore auget ſibi, etiam in caſu, quo receperit ducatos duodecim, ut ſupra diximus.

## CAPUT XII.

### *De Auditoribus Computorum, ſive Rationalibus.*

1. EOdem ultimo die Anni eliguntur Rationales ad computandos fructus perceptos, ſive in pecunia, ſive in frumento (ponderato calculo ex Polizzario libro) aliiſque, ut exoneratis legitime expenſis, ac ſolutis pro aſſuetis Capituli oneribus, rationem facere, ſeu calculare, & ad quemque ex tredecim Participantibus, incluſo Domino Epiſcopo, de Maſſa Capitulari, Adventitiis, Diſtributionibus, Decimis, Funeralibus, cæteriſque, quantum ſpectat, declarare, & ad ſolvendum Procuratorem ſignificare, & condemnare valeant: Et ſi fuerit in mora, ad ſequeſtrum procedere, ut antecedenti Capite dictum eſt. Et iterum animadvertimus, quod tenentur Procuratores ſingulis Annis completis, eorum Adminiſtrationis nempe Accepti, & Expenſi, vulgò *Exiti*, & *Introiti* fidele ratiocinium reddere, ut computis, & partitis expenſarum, & introituum exacte perpenſis, & diſcuſſis, ſervatis ſervandis, literas Significatoriales, ſeu Liberatoriales compleant, & adimpleant; atque adamuſſim obſervandum volumus, quod de Eccleſiarum Adminiſtratoribus a Sacris Canonibus ſancitum eſt: ut infra Cap. 26. de Procuratore hujus noſtræ Cathedralis S. Amati (a).

2. Si ambo, vel alter ad ejuſmodi munus electus acceptare renuerit, ſolvere tenetur carolenos viginti. Et quoniam dignus eſt Operarius mercede ſua, & hucuſque pro Rationalibus nunquam taxata merces, ſicuti neque impoſita prædicta pœna eſt: Idcirco experti ſumus, ejuſmodi onus, vel a noſtris recuſatum, vel ſaltem malo animo acceptum, pigre perfunctum; propterea præfigimus congruum Honorarium pro computis calculandis, ſignificandis, ſive liberandis, ut ſupra,

(a) *Clement. quia contingit.* §. *ut autem promiſ. de Relig. Dom. Conc. Trid. ſeſ.* 22. *de Refer. cap.* 8. *S. Cong. Conc. in Navanienſ.* 18. *Aug.* 1696. *Conſt. Clem.* VIII. *quæ incipit: Quæcunque a Sede Apoſt.* 1604. *Conc. Rom. de Relig. Dom. tit.* 23. *cap.* 2.

Digitized by Google

ſupra,iis ſolvendum,ducatorum quatuor ex Maſſa Capitulari inter ſe dividendorum. Et ſi alter eorum accerſitus ab alio collaborare renuerit in ſuo deſignato munere perfungendo, vel abſens fuerit, dicta privabitur medietate Mercedis, & una ſimul ipſi conſociò laboranti accreſcet; dummodo ad finem operis uſque ad literarum Significatorialium, vel Liberatorialium, tam in pecunia, quam in frumento, expeditionem devenerit. Quemadmodum, ſi abſque legitima cauſa de Jure probanda, quiſque Rationalis electus renuens acceptare, vel non adimplere onus ſuum, ſolvere teneatur in Communitatis beneficium prædictos carolenos viginti: Et Capitulo datur optio vel alterum eligendi vice ejus, qui recuſaverit, vel remittendi omne onus ipſi ſoli acceptanti cum integro Honorario ducatorum quatuor, dummodo perfecerit munus ſuum.

3. Tempus Rationalibus præfinitum ad ejuſmodi munus integre perſolvendum, non ultra prorogetur, niſi unius Menſis curriculo, enumerando a prima die Martii(quo,ut diximus,Computi ſunt omnino a Procuratore præſentandi): eodem autem menſe elapſo, ſi propria culpa id muneris non fuerit perſolutum, teneantur ad duplum: Nimirum præter ducatos quatuor prædictæ aſſignatæ Proviſionis, quos amittunt, & lucratos volumus ipſi Capitulari Menſæ, ſolvent alios ducatos quatuor, elargiendos ſibi ſucceſſivis Rationalibus, ad ſupplendum eorum negligentiam, legitima authoritate deſtinatis.

4. Si negligentia, vel culpabilis omiſſio acciderit in Capitulo, qui non devenerit ad electionem Rationalium in ſupplementum priorum, a quibus non fuerint Computi, ut ſupra, expediti; Et ſimiliter in ipſis Rationalibus, etiam iterum a Capitulo vice priorum electis (ut dictum eſt); ac etiam in ipſo Procuratore Computos exhibere recuſante;in iis,& ſimilibus culpabilibus omiſſionibus, Rationalium electio devolvatur ad Reverendiſſimam Curiam, & ab ipſo Epiſcopo,vel in ejus abſentia,a Generali Vicario deputatis ſolvantur prædicti ducati quatuor, vel octo, quot ſolvent in pœnam propriæ culpæ præfati Rationales; Quemadmodum ab eadem Juris, & facti remediis, Procuratorem noſtri Capituli pro tempore, ad dictos computos exhibendos, & ad ſolvendum juxta editam Significatoriam eſſe adſtringendum.

5. Poſtquam fuerint electi Rationales, nunquam liceat Procuratori eos repulſare, & ſuſpectos allegare: Cum hoc ſpeciali Statuto conventum ſit, ejuſmodi ſuſpicionem ante Rationalium electionem afferri poſſe: Ac proinde ſi aliquem, vel aliquos ex Capitularibus Procurator in ſuſpicionem habet: antequam ad electionem Rationalium procedatur, proponere teneatur primæ Dignitati exiſtenti ejus ſuſpicionis Cauſam: qua probata, eligentur non ſuſpecti; Quod ſi ſecus fecerit, ſuſpectio poſt electionem non admittatur.

6. Quiſque ex Participantibus jus retinet ſciendi, legendi, & animadvertendi Calculos, Computos, Significatoriam, vel Liberatoriam. Qua lecta, & publicata,ac ab unoquoque intereſſe habente acceptata; ſi Procurator debitor condemnatus, fuerit in mora ſolvendi, Juris, ac facti remediis compellatur;& interim retineantur ſub ſequeſtro ejuſdem portiones; & eas non liberari ſtatuimus,donec integre ſatisfecerit, ſub pœna Procuratoribus ſolvendi de proprio.

7. Portiones dividendæ ſunt inter tredecim æqualiter (de Decimis autem, & Funeralibus, ſeparatim tantummodo Quarta fruitur Dominus Epiſcopus): Retinendæ vero multæ, nempe ratæ illæ, quæ vocantur Puncta abſentiæ computandæ inter Diſtributiones quotidianas, ac reducendæ in Maſſa Communi,

Digitized by Google

muni, æqualiter dividendæ (conſiderato Domino Epiſcopo ſemper præſente, ut diximus). Ad Reverendum tamen Archipresbyterum, ultra ſuam portionem, ut cæteri, ſpectant emolumenta, vulgo dicta *Patinanza*; duo ſcilicet caroleni ob Miſſam in die obitus cujuslibet Defuncti, ut infra de Diſtributionibus quotidianis.

8. Tandem volumus, ut aſſervetur in noſtro Archivo Liber, in quo ipſi Rationales teneantur inſerere, regiſtrare, & cuſtodire Computos ab ipſis viſos, ſignificatos, vel liberatos, ſub pœna omiſſionis prædicti Honorarii ducatorum quatuor.

## CAPUT XIII.

### *De Punctante Abſentes, ſeu Punctatore, Cæremoniarum Magiſtro.*

*Vide infra de Alternativa.* 1. INſpecto numero noſtrorum Capitularium, inter quos aliquando Senes, infirmi, impotentes, & aliquando abſentes, annectimus officio Punctatoris munus quoque Cæremoniarum Magiſtri; & ne tantum onus vacuum ſit retributione ſua, & ut hilarius acceptetur, ſeduloque exerceatur: Statuimus pro ſuo honorario labore annuos carolenos viginti, eidem ſolvendos de Maſſa Communi a noſtro Procuratore: Quemadmodum recuſanti ejuſmodi onus acceptare, ſtatuimus pœnam prædictorum carolenorum viginti, quos Procurator diminuet a portione renuentis, & ſolvet perfungenti.

2. Eligatur itaque Punctator inſimul, ac conjunctim Cæremoniarum Magiſter eadem ultima Anni die; & ſciat in munere Punctatoris adeo ſe fideliter geſſurum, quin etiam teneatur in manibus Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi, & Archidiaconi juramentum præſtare hac formula; & deoſculando in fine Sancta Evangelia:

*Ego N. N. Canonicus (ſeu Dignitas) hujus Eccleſiæ Cathedralis Nuſcanæ in Punctatorem Chori electus, promitto, ſpondeo, & juro, Me, officium, quod ſuſcepi, fideliter, & ſincere quantum in me eſt, executurum, & impleturum, nec quidquam in eo, favore, aut gratia humana acturum.*

*Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia* (a).

3. Inſuper addunt modo Canoniſtæ citati hæc verba: *Si de Punctatoris fidelitate, aut de illius negligentia dubitetur, tunc Epiſcopus poterit eligere, & deputare Contrapunctatorem ſibi bene viſum, ut reſcripſit Sacra Congregatio Epiſcoporum* (b).

4. Ne igitur ſit periurus, neque de ſe dubitetur, Chori frequentiam curet; & ſi aliqua juſta cauſa urgente abeſſe cogatur, alium Capitularem ſua vice ſubſtituat id muneris adimpleturum.

5. Habeat proinde paratum Libellum, in quo ſigillatim annotet dies cujuſque abſentiæ, ac teneatur Puncta cujuſque Capitularis ipſis declarare; ſi ſemel in menſe fuerit ab ipſiſmet intereſſe habentibus de illis expoſtulatus; atque in fine Anni calculare, & ſignificare quantitates relaxandas a ſingulis ob ſignata Puncta, ſeu multas debitas, & notulam præbere Procuratori, ut in introi-

(a) *Barboſ. in ſum. deciſ. Apoſtol. collect. 301. n. 29. Et de Canon., & Dignit. cap. 34. n. 21. Monacel. cit. tom. 1. form. 5. tit. 7. n. 1. pag. 243.*

(b) *In Fundan. 16. Mart. 1593. Nicol. floſc. verbo Punctator n. 1. Criſp. de viſit. parte 2. §. 20. n. 24.*

Digitized by Google

introitum Maſſæ Comuni reſpective accreſcant: Atque ſtatuimus eidem Punctatori ſemper credendum eſſe.

6. Regulam autem, & methodum præſcribimus a Punctatore ſerio ſervandam, v3.

7. Primo punctandi ſunt non ſolum abſentes, ſed etiam qui licet induti Chorali habitu, morantur extra Chorum in Eccleſia, vel Sacriſtia; vel licet in Choro præſentes, abſque vero Canonicalibus Inſignibus: ſicut definitum legimus a S. Congregatione Conc. (*a*). Inſuper etſi præſentes, attamen non pſallentes cum cæteris, vel recitantes private ſubmiſſa voce divinum officium: vel confabulantes, vel legentes libros, ſeu literas, vel alias paginas Choro impertinentes, & ſimiliter egredientes abſque Præfecti Chori licentia, ut fuſius ſtatuimus ſupra Cap. 9. de Officio Cujuslibet Canonici.

8. Qui Choro non interſit immediate poſtquam completi fuerint tres primi Pſalmi Matutini occurrentis: Et in Miſſis, quæ canuntur, non invenitur præſens, ſaltem immediate ante initium Epiſtolæ (quod intelligitur ſimiliter de Officiis, & Miſſis defunctorum): Et in Veſperis (& in Completoriis tempore Quadrageſimæ) poſt abſolutum primum Pſalmum, ſecundo Pſalmo incepto: In Exequiis qui non invenitur præſens, ſaltem poſt egreſſum Cadaver è propria Domo, ac incepto Pſalmo: *Miſerere*:

9. Diſtincta porro Methodus calculandi prædictas Punctorum multas, ſequens eſt.

In Proceſſionibus extraordinariis, Votivis, vel adventitiis, ſeu legatis, emolumenta dividuntur inter præſentes; adeoque abſentes non legitime impediti, ut infra dicetur, punctantur per portionem, ſeu pro rata. In ordinariis vero, vel de Jure, vel Conſuetudine, vel a Domino Epiſcopo ob publicam neceſſitatem, vel utilitatem demandatis, multa erit aſſium quinque.

In Matutino cum Laudibus punctum eſt unius aſſis: In horis, licet non ſit alia multa; attamen ſi quis abſolutis Laudibus diſceſſerit abſque cauſa, & licentia, ut ſupra, punctabitur aſſis dimidio. Similiter in Veſperis, & Completorio, & in Quadrageſimæ dumtaxat Completoriis.

In ſingulis Miſſis Conventualibus, ſolemnibus, Anniverſariis perpetuis, duorum aſſium. In votivis, autem, & adventitiis punctatur per portionem, ſeu pro rata, ut diximus.

In Exequiis aſſium decem; & ſimiliter in Miſſa in die obitus Defuncti. Si tamen exequiæ erunt parvulorum, in quibus dimidium adultorum Funeralium percipit Capitulum, in aſſociatione Punctum erit aſſium quinque, pariterque in Miſſa.

In Feſtis primæ Claſſis, ſolemnioribus, & in Hebdomada majori, prædicta puncta duplicantur.

In congreſſibus demum, ſeu actibus Capitularibus; dummodo die præcedenti, vel a prima Dignitate exiſtente, vel ab actuali Procuratore fuerit affixa intimatio, ſeu notificatio, ſeu ſchedula in Sacriſtia, per quam certiorati intelliguntur Capitulares ad intereſſendum; ſtatuta die, & hora, qui non intervenerit, punctabitur in aſsibus quinque.

10. Punctis, ſeu multis prædictis non ſubjacet, ut diximus, Dominus Epiſcopus: Procurator in quatuordecim menſibus, ut etiam ſupra ſtatuimus; atque

(a) *In Burgenſ. Decembris 1584. ex tom. 4. decret. 1. parte in Archiv. ejuſdem Cong.*

Digitized by Google

atque Eccleſiæ Cathedralis Adminiſtrator, & Canonicus Apocriſarius, actu tamen, quo reſpective inſerviunt in cujuſque munus perfungendum; imo Capitularis quicumque tempore, quo legitime peragit pro Eccleſiæ, Epiſcopi, vel Capituli ſervitio, ſeu evidenti utilitate; unde non punctatur Canonicus Sacriſta, vel vice ejus alius deputatus actu, quo aſſiſtit in Sacriſtia, vel alibi, ad ſacra paranda; neque inſervientes (non plures, quam duo) Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo pro illo tempore, in quo ſervitium opus fuerit, vel conviſitantes, vel pro examine occupati ad curam animarum, ad confeſſiones, vel ad ordines; vel miſſi ad ſacra limina viſitanda, vel ad capiendam aliquam informationem, vel tempore Anni Sancti ob ſpirituale lucrum, ſi Domino Epiſcopo vi ebitur, Romam petierint, non ultra tamen ſpatium unius Menſis cum dimidio (*a*).

11. Eximuntur tandem a punctaturis, qui ratione Vicariatus reſidet in Curia hujus loci Ordinarii, vel in eadem agens de Epiſcopi licentia: Archipresbyter in actuali exercitio curæ animarum, vel ejus OEconomus: Pœnitentiarius, Canonicus Theologus, ut ſupra explicatum eſt; atque Capitulares Confeſſarii, qui obtenta licentia ad excipiendas Confeſſiones in Cathedralis Confeſſionariis aſſiſtunt, vel alibi, occurrente neceſſitate.

## C A P U T XIV.

### *De Secretario Archiviſta.*

*Infra de Altern.*

1. EAdem ratione, qua diximus in cap. antecedenti, ob paruum, ſcilicet, Capitularium numerum, & ob debitam operandi mercedem, connectimus officium Secretarii, & Archiviſtæ in uno Officiali, ut ſupra, eligendo; & pro ſuo Honorario etiam ſtatuimus annuos carolenos *viginti*; ſicuti, ſi abſque legitima cauſa acceptare recuſaverit, in pœnam eandem ſummam ſolvat.

2. Sciat itaque, quod ipſi præſcribunt Sacri Canones his verbis: *Hinc ad Eccleſiarum Monimenta ſervanda tuta in unaquaque Eccleſia Cathedrali, præſertim, ubi tamen non adſint Archivia inſtituta, quamprimum inſtituenda præcipimus, ſcripturis omnibus ad eas pertinentibus, compulſatis, recenſitis, & ſummatis cum ſuo Indice, ſeu Catalogo Archiviſta manu ſubſcripto.*

3. Proinde adimpleat obligationem ſuam, & ejuſmodi efformato Catalogo, clara ſerie, ordine, & methodo digeſto, ſcripturarum ipſarum neque originales, neque copias ab Archivo extrahat abſque prævio majoris partis Capituli conſenſu; & cum opus fuerit, ut aliqua tradenda ſit ſcriptura Procuratori, Advocato, aliiſque, exigere tenetur debitam cautelam de ſcriptura recepta, & fidem in eodem Archivo conſervabit; ad hoc, ut poſſit illam repetere; cum amplius, cui tradita ſit, non opus fuerit, ſub pœna privationis officii, & dicti Honorarii carolenorum viginti.

4. Archivum noſtrum extat in ipſa Cathedrali a parte laterali Altaris, nuper nobis conceſſi ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo ante proſpectum januæ

(a) *Cap. ad Audient. de Cler. non reſidens. Fagnan. in lib. 3. Decretal. cap. de cætero eod. tit. Abb. in dict. cap. ad audient. num. 3. Innoc. in dict. cap. de cætero.*

nuæ Sacriſtiæ ; in quo ſunt duæ Claves , quarum una retinetur ab Archidiacono , vel a prima Dignitate exiſtente ; & altera ab ipſo Archiviſta Secretario ; ibique in libro exiſtente ab ipſo annotata ſint omnia Inſtrumenta , quæ fiunt a Capitulo,& adſervandi Computi cum Liberatoriis,& Significatoriis adminiſtrationis cujuſque Procuratoris;ut ſupra diximus de Rationalibus Cap.12.

5. Munere quoque fungitur ſubſcribendi literas , ſeu Epiſtolas Miſſivas hac formula .

*Le Dignità , e Canonici della Cattedrale di Nuſco , e per loro N. N. Dignità , o Canonico Segretario , ed Archiviſta .*

6. Literæ Miſſivæ , ac Reſponſivæ legantur in pleno Capitulo , ac ſignanter , quæ diriguntur a Venerabili Sodalitate Patris Pavonis de Neapoli , ad quam nuper zelo , & vigilantia Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi , hæc noſtra Cleri Congregatio adſcripta eſt : Et ad eandem tenetur ipſe Secretarius reſcribere , ut ex regulis dictæ Congregationis a præfato Illuſtriſſimo Domino nobis traditis . Literæ porro nomine noſtri Capituli ſubſignentur ſolito ſigillo ſculpto Imagine Sancti Amati ( quo ſimiliter utitur Vicarius Capitularis , per quem Capitulum ipſum repræſentatur ) ; eodemque munierit ſcripturas omnes , quas ex Archivo extraxerit .

7. Spectat quoque ad eundem diſtribuere Anniverſaria , & Miſſas votivas , Conventuales , quæ in die pro Populo , & Benefactoribus applicantur ; atque ſatisfactiones in Libro Onerum Capituli annotare ; & tandem munere ſuo fungi in Congreſſibus Capitularibus .

## C A P U T XV.

### *De Canonico Sacriſta Majori .*

1. QUamquam ab immemorabili conſuetudine in noſtro Capitulo ultimus Canonicus denominetur major Sacriſta , ejuſque munere fungi teneatur : quoniam vero propter rationabiles cauſas , non ſemper ejuſmodi munus ab ultimo Canonico exercitum fuerit : Statuimus , quod , firma remanente præfata conſuetudine , eſſe adſtringendum in poſterum ultimum Canonicum , qui de novo ad noſtrum Capitulum advenerit , ad officium Sacriſtæ exercendum , ſub pœna amiſſionis quartæ partis Canonicalium fructuum , applicandæ in augmentum portionis alterius Canonici , tale munus exercentis . Et interea ne jurgia , & diſſenſiones inſurgant inter nos , decernimus :

2. Primo , ut quando ultimus Canonicus ob aliquam juſtam cauſam , nempe , quod primo ejus Novitiatus Anno exercere debeat Procuratoris officium; adeoque impotens illo Anno adimplendi munus Sacriſtæ majoris,vel alia legitima cauſa de jure probanda , renuerit exercere Sacriſtæ majoris officium ; deputandus alius Capitularis , ſicuti in præſentiarum deputatus invenitur ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo .

3. Secundo, ut, ſicuti cæteri Officiales, ut diximus, gaudeat aliquo Honorario ; ita rationi conſonum videtur elargiri noſtro Concapitulari dictum munus exercenti annuos carolenos viginti ; eoſque in pœnam ſolvet electus a Capitulo exercere recuſans .

4. Sacriſta itaque Canonicus vocatur Major , quoniam ſubter ſe alium habet minorem , ſeu Clericum , vel Oblatum ſervitio Cathedralis , eligendum



Digitized by Google

ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo. Verum ſtipendium ei ſubminiſtratur hoc modo, videlicet: Ex Maſſa Capitulari caroleni viginti ſex, cum onere providendi ipſis Capitularibus, incluſo Domino Epiſcopo, hoſtias pro Divinis Sacrificiis: Sicuti ob eaſdem ab eo parari ſolitas Presbyteris Extracapitularibus, exigit a ſingulis illorum annuos carolenos duos.

5. Inſuper perfruitur fructibus, ac uſu culturæ Vinealis modiorum duorum circiter, congrui Eccleſiæ, ſeu Cappellæ Divi Antonii Patavini: modo cœmeterium: adeoqui ſcriptum onus adimpleat in Cappella Cathedralis, ubi dicti Sancti adeſt effigies. Cum onere tamen, durante ſuo officio ad nutum amovibili, Eccleſiam ipſam, & Altare in debita decentia cuſtodire, lampadem accendere; & in die Feſtivitatis ejuſdem Sancti omnia parare, quæ neceſſaria fuerint; dictumque onus perficere vel per ſe, vel per aliquem Oblatum, vulgo Eremitam, ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo approbandum. Si vero infra Annum, aliqua ex cauſa, officio ſuo privatus fuerit, percipiet pro rata temporis præſtiti ſervitii, culturæ, & fructuum dicti Territorii emolumenta e ſolutis a ſucceſſore in ejus beneficium expenſis culturæ, & laboris, ut inter ſe convenire poſſint, vel Peritorum judicio.

6. Cappella SS. Roſarii ſubminiſtrat annuos carolenos decem, cum eodem onere excolendi dictam Cappellam, & accendendi Lampadem; ac ſimiliter ſi quæ fuerint in Cathedrali aliquæ Cappellæ Juris Patronatus; ad præſens devolutæ ad Cathedralem.

*Vide infra de Hebdom. Emolum.*

7. Idem minor Sacriſta percipiebat duos carolenos pro ſingulis defunctis parvulis ante ſeptennium, quemadmodum hucuſque conſuetum eſt, quos noſtri Capitulares (& reſpectu Quartæ etiam Dominus Epiſcopus) tribuebant pro ejus ſtipendio: Et Eccleſia ipſa ex reditibus gregum ovium Sanctiſſimi Sacramenti, & S.Amati annuos ducatos ſeptem. Attamen experti ſumus, ut plurimum defraudari præfatum Subſacriſtam a ſolutione dictorum funerum, conquerentem de tenuitate ſuæ mercedis; ac proinde Eccleſiam male debito ſervitio promeritam. Quapropter ſpeciali conſenſu,& authoritate nobis impartita a Domino Epiſcopo,ſtatuimus inpoſterum obſervandum: Eccleſiam ipſam SS. Sacramenti, & S. Amati, deinceps teneri ad contributionem annuorum ducatorum duodecim in ſubſidium mercedis debitæ prædicto Clerico, ſeu minori Sacriſtæ; cedendo iterum, & reſignantes jus exigendi præfata funeralia, nempe Carolenos duos pro ſingulis corpuſculis diſtribuendos, videlicet, Carolenum unum in beneficium ejuſdem ob retributionem hujus annui oneris ſolvendi ducatos duodecim, ut ſupra: dimidium caroleni ipſi Sacriſtæ pro extraordinario labore, cum onere annotandi in libro, ad hoc ab ipſo parato, nomina, & cognomina tam dictorum mortuorum, quam Patrum, & Matrum eorum: Et aliud dimidium caroleni ejus Factori, ſeu adminiſtratori pro onere exigendi tam ipſos Carolenos duos, quam deferendi vel per ſe, vel per alium Sacerdotem dictum corpuſculum, etiamſi aſſocientur a Capitulo, cui erit ſolvere prædictum carolenum, ac ſolum dimidium dicto Sacriſtæ; præter carolenos duos pro Miſſa Angelorum Archipresbytero debitos.

8. Quando vero præfatus Subterſacriſta ſatisfecerit muneri ſuo, & bene ſe geſſerit, ab unoquoque Capitulari in ſolemnitatibus Natalis, & Paſchatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti largitionem recipiet unius caroleni, & ab Extracapitularibus dimidii; nec non a prædicto Eccleſiæ Adminiſtratore in Feſtivitatibus Sancti Amati carolenos duos recipiet pro ſuo extraordinario labore.

9. Ca-

Digitized by Google

9. Canonicus autem major Sacriſta eidem ſuo Subalterno, cum debitis cautelis, conſignet ſacras ſupellectiles, uſuales tantum; retentis in ſua cuſtodia non quotidie neceſſariis; & in unoquoque Semeſtri renovet inventarium, vel ſaltem exigat rationem, ſupellectiles ipſas recognoſcendo; & quando deerit aliqua res, retinere faciat de re perdita pretium ex ejus ſalario.

10. Diligentiam omnem adhibeat in excolendo Eccleſiam, ne pulvere ſordeſcat; & ſubalterno ſuo Sacriſtæ minori mandet verrere, ac ſcopis auferre ſordes, quiſquilias, & mundare in qualibet hebdomada Altaria; & præcipue Majus marmoreum, nuper conſtructum, SS. Sacramenti, S. Amati, & Roſarii; ac Sanctorum prope Sacriſtiam; & curare munditiam Mapparum, Mantilium, Linteaminum, cæterorumque pro re Sacra Divino cultui dicata.

11. Similiter in expurgando ſingulis menſibus lampades, ut ſint accenſæ, præcipue dio, ac nocte ante Ss. Sacramentum, & ante Altare Divi Amati, quarum Cappellarum ſumptibus ſubminiſtratur oleum: & cum Canonicus Sacriſta animadverterit Subſacriſtam negligentem, contumacem, vel inobedientem, certioratum faciat Dominum Epiſcopum, ad finem providendi pro ſuo arbitro, & conſcientia.

12. Ipſe major Sacriſta curare debet, ut ſtatutis horis pulſentur Campanæ, parentur Capitulares, & alii Sacerdotes, pro Miſſarum Sacrificiis; ideoque expoſita teneat quatuor Sacra Indumenta, & quatuor Calices pro commoditate Celebrantium; nec non animadvertat Populi commodum Sacra audituri; & ſciat nunquam licitum eſſe admittere ad celebrationem Sacerdotes exteros, niſi prævia licentia Reverendiſſimæ Curiæ, ſub pœnis ab eadem inflictis; neque permittere Laicos in Sacrario confabulantes; quin neque Clericos, Sacerdotes, & Canonicos ipſos; ſed omnimode curare, ut ſilentium ſervetur.

13. Ad munus quoque Canonici Sacriſtæ pertinet, de mandato Reverendiſſimæ Curiæ adſcribere in tabella Novitios, ſeu ordinandos; vel Clericos etiam in Sacris conſtitutos, pro Eccleſiæ ſervitio, deſignando ſingulos eorum pro excolendis Altaribus, vel aliis officiis perſungendis, inſpecta neceſſitate, ac etiam ipſorum habitudine: & quando fuerint inobedientes, abſentes, vel contumaces, tenetur adire ad Reverendiſſimam Curiam, & manifeſtare, quæ oportet; præſertim cum ad Ordines aſcendere cupiant: Eiſque juratam Fidem de ſervitio Eccleſiæ præſtito, vel defraudato concedere, vel denegare, inſpecta tamen veritate.

## C A P U T XVI.

### *De Nupero, ſeu Novo Canonico, ejuſque Obligatione.*

1. Sive nuperrime proviſus ſit in Dignitate, ſive in ſimplici Canonicatu, ſemper dicitur novus Canonicus: Hoc autem diſcrimine, ut ſi eſt Dignitas, ſubingreditur Stallo, loco, & præcedentiæ ſui Anteceſſoris: Si vero eſt ſimplex Canonicus, ultimo in loco aſſidit, & incedit, ut ſupra in Cap. 2. de Capitulo. Novus itaque Capitularis tenetur exercere Procuratoris munus, ut Capite 11. de Procuratore: officium vero Sacriſtæ majoris exercere tenetur tantum ſimplex Canonicus, ut Capite antecedenti etiam dictum eſt.

2. Si vero ſit Dignitas, ſive ſimplex Canonicus, ſemper tenetur in primo Anno ſubminiſtrare in beneficium reparationis Cathedralis, vel uſus Sacriſtiæ



Digitized by Google

ex ſua portione Capitulari ducatos duodecim ex antiqua noſtra immemorabili conſuetudine, a Sacra Congregatione Concilii confirmata his verbis; ( reſcribendo ad Nuſcanum Epiſcopum ) : *Duodecim ducatos in pium uſum Eccleſiæ reparationis opus a Canonicis, antequam Canonicatuum poſſeſſionem adipiſcant, ita demum eſſe in futurum perſolvendos, ſi medietatem fructuum unius Anni non excedunt, juxta conſtitutionem S. Memoriæ Pii V. incipientem: Durum nimis (a).*

3. Verum enim vero eadem conſuetudine obſervatum eſt, & in poſterum ſtatuimus obſervandum; ut ſicut dictos ducatos duodecim novus Proviſus ſolvere tenetur infra annum perceptionis fructuum a Procuratore retinendos ex ejus portione, ac depoſitandos ad finem, ut erogentur in prædictum pium opus de Epiſcopi conſenſu, Capitulique conſilio: Ita quod quando proviſus fuerit ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo tenetur erogare duplum, videlicet ducatos viginti quatuor; quoniam proviſus a Domino Epiſcopo non ſubjacet ſolitis expenſis Bullarum occurrentibus in Romana Curia; ideoque congruum rationi ſemper viſum fuit, & modo videtur, ejuſmodi majus ſubſidium in Eccleſiæ reparationem, vel in Sacrarum Sacriſtiæ ſupellectilium uſum.

4. Inſuper notatu dignum animadvertimus, quod novus Proviſus in adipiſcenda Dignitatis, vel Canonicatus poſſeſſione, antequam ei locus, ſeu Stallum præfigitur, coram Archidiacono ( & in ejus abſentia, coram prima Dignitate exiſtente ) genuflexus Evangeliorum librum in ſinu habente jurare tenetur præſentium Conſtitutionum obſervantiam; ac ſimiliter ante Bullarum executionem emittere Fidei Profeſſionem; aliter non recipiatur a Fratribus, & poſſeſſio denegetur: Formulæ autem tam fidei Profeſſionis, quam præfati juramenti in calce præſentium annectimus. Circa fidei vero Profeſſionem præcipimus fieri, quemadmodum in prima parte Synodi Cap. 1. §. 1. (b) *per* ſe, non per Procuratorem.

## C A P U T XVII.

### *De Ordinum Canonicalium Partitione.*

1. Quamvis in omnibus Eccleſiis Cathedralibus ex diſpoſitione Sacri Conc. Trid. non ſit prætermittenda Præbendarum diſtinctio, quarum medietas ſit pro Canonicis Presbyteris, & alia pars pro Canonicis Diaconis, & Subdiaconis: Nihilominus, ſi laudabili conſuetudine omnes fuerint Presbyteri, abſque diſtinctione prædictorum ordinum, non convenit ejuſmodi conſuetudini derogari (*c*). Laudabili igitur conſuetudine in noſtro Capitulo nulla adeſt diſtinctio Præbendarum; imo nullæ ſunt Præbendæ; adeoque nulla adeſt ordinum diverſitas.

2. Non tamen ordo Sacerdotalis noſtris Dignitatibus, & Canonicis adeo conſideratur annexus, ut non SACERDOS nulliter fuerit proviſus; quoniam tantummodo oportet, ut ſint Sacerdotes proviſi in Archidiaconatum, ac

(a) *Sac. Cong. die 10. Maii 1607. apud Criſp. cit. part. 2. §. 14. n. 3. tom. 8. liter. liminum pag. 35. exiſtente in Archivio Congregationis Conc.*

(b) *Conc. Trid. ſeſ. 24. cap. 12. Monacel. cit. tom. 1. form. 13. tit. 2. pag. 72.*

(c) *Id. ſeſ. 24. de ref. cap.... In Congregatione Conc. in Angonit. 16. Feb. 1595. apud Criſ. cit. part. 2. §. 22. n. 2. 3.*

Digitized by Google

ac in Archipreſbyteratum ( ac ſimiliter Pœnitentiarius, & Theologus ): in cæteris ſufficit ætas pro Subdiaconatu ſuſcipiendo; quod conſonum eſt ipſi Sacro Concilio requirenti, ordines Canonicales diſtribuendos, ut ſupra; quique ſupponunt ſaltem ætatem prædictam (a). Semper tamen præcedat Canonicus Sacerdos, donec non Sacerdos, licet prior in Capitulo, Presbyteratum ſuſcipiat.

3. Si igitur acciderit caſus, quod proviſus in dicta ætate non adhuc ſit Subdiaconus, tenetur infra annum Subdiaconatum ſuſcipere: quo non ſuſcepto, non ſolum privus, ut antea remanebit voce in Capitulo, tam activa, quam paſſiva: verum etiam privabitur diſtributionibus, juxta Clementinam modo citatam: & interim donec ad ordinem Sacerdotalem non aſcenderit numerus Miſſarum ad ipſum ſpectantium celebrabitur ab aliis Dignitatibus, & Canonicis, quarum ſtipendia detrahentur ex ejus Canonicali portione ad rationem carolenorum duorum pro ſingulis Miſſis.

4. Non obſtante, quod in noſtro Capitulo non inveniatur diſtributio Ordinum; attamen primo loco tenentur Dignitates aſſiſtere, & deſervire Epiſcopo in Sacris Functionibus, & exercere ordines Diaconi, & Subdiaconi, & prima Dignitas inter præſentes Aſſiſtentis Presbyteri munus. Dignitatibus vero aſſiſtant Canonici, & Canonici inter ſe, ſicuti ſupra diximus in Cap. 9. de Officio cujuslibet Canonici; donec, favente Deo, inſtituentur Hebdomadarii.

## C A P U T XVIII.

### *De Reditibus Capitularibus, eorumque Oneribus.*

1. NOn diſcriminantur Dignitates, & Canonici quoad fructus, & Capitulares portiones; etenim æqualiter percipiuntur ( excepto Domino Epiſcopo ), qui, ut diximus ſupra, fruitur Quarta Funeralium, decimarum, & oblationum, ultra ſuam portionem de cæteris; & Archipresbytero, qui ob curam animarum, quam exercet in Cathedrali, lucratur carolenos duos ex celebratione Miſſæ in obitu defuncti, & deſumuntur ex proventibus funeralibus, ut infra de Diſtributionibus Quotidianis; ac etiam emolumenta provenientia ex Stola, Publicationibus, & libris Parochialibus.

2. Non autem poſſumus certitudinem, ſeu præfixam redituum ſummam taxare; quoniam conſiſtunt in fructibus incertis, nempe in Caſtaneis, Siliquis, Cerris, Quercubus, affictibus terrularum, cenſibus, aliiſque, ac in funeralibus, & Miſſis votivis: Quique reditus aliquando aſcendunt ad ſummam majorem, & multoties diminuuntur ad minorem, juxta fertilitatem, vel infertilitatem terræ frugum, earumque pretii varietatem. Solummodo vero fructus certi percipiuntur a Capitulo in ſummam ducatorum quinquaginta quinque, quos annuatim ſolvit, & correſpondet magnifica iſta Nuſcana Univerſitas jure Sacramentalium Decimarum; ut ex Inſtrumento rogato a quond. Notario Joanne Baptiſta Muſcatello decima die Januarii Anno 1569. exiſtente penes magnificum Notarium Joſeph Euſtachium Mongelli hujus Civitatis.

3. Ex

(a) *Garz. de benef. tom. 2. part. 7. cap. 4. & 55. de ætat. & qualit. Gloſ. verb. ex tunc de ætate beneficiat. annor. n. 28. clem. 1. n. 54. idem Garz. cit. n. 25. & 26.*

3. Ex quibus ſpectant ad Dominum Epiſcopum ducati trecedim, & aſſes ſeptuaginta quinque: Paracho Sancti Joannis Evangeliſtæ ducati tres, & aſſes viginti unus cum dimidio: Parocho Sanctæ Mariæ Veteris ducati quatuor, & aſſes octoginta quinque; Parocho Sanctæ Mariæ Zitæ, ſeu Sanctiſſimæ Trinitatis caroleni undecim, & aſſes octo: Quibus demptis, remanent in beneficium noſtri Capituli ducati triginta duo, qui partiuntur æqualiter inter duodecim, eo quod Epiſcopus fruitur quarta prædicta: Non autem ſunt liberi, ſed obnoxii oneri diſtribuendi Candelas in die Purificationis Sanctiſſimæ Virginis: Pro quarum expenſis quiſque ex enunciatis Participantibus correſpondet pro ſua rata.

4. Itaque inter certos, computatis fertilibus cum infertilibus annis, quiſque ex noſtris Capitularibus lucrari valet circiter ducatos octoginta; Nec tamen liberi, ſed aliis oneribus obnoxii; Etenim

CAPITULI ONERA SUNT:

5. Primò ſatisfactio Miſſarum inter privatas, Conventuales, Anniverſarias ad numerum circiter tria millia, quæ diſtribuuntur pro debita ſatisfactione Capitularibus ipſis, etiam incluſo Illuſtriſſimo Domino; cui loco Miſſarum Conventualium, ac Solemnium aſſignatur ſolum ſatisfactio pro Miſſis privatis pro ſua rata; & omnes tenentur de ſatisfactione reſpective teſtificari in Libro in noſtra Sacriſtia exiſtente.

6. Secundò tenetur Capitulum ſolvere Jure Cathedratico, ipſi Epiſcopo ducatos ſex, præter aliam ſummam ducatorum quatuor, & aſſium viginti quinque ratione redituum, ſeu cenſuum, qui Epiſcopali Menſæ ab ipſo Capitulo annuatim ſolvuntur.

7. Tertiò ex Maſſa ipſa Capitulari ſolvuntur ducati ſex Procuratori: ducati quatuor Rationalibus: ducati duo Punctatori, Magiſtro Cæremoniarum: ducati duo Secretario Archiviſtæ: & alii duo Canonico Sacriſtæ Majori, ut *ſupra* diximus de ejuſmodi Officialibus; Nec non ducati tres Canonico Polizzario; & onera alia, quæ infra dicentur.

8. Præter dicta onera ab immemorabili Conſuetudine conſuetum eſt, & ſpeciali præſenti Statuto confirmamus, ad onera Capituli pertinere: quod ſi aliquis ex noſtris indebite, ac injuſte moleſtetur, fraterna Nobis utentibus charitate, Capitulariter ipſi favor, & auxilium præſtetur, facultates etiam Maſſæ Communis erogantibus in ejus Innocentia tuenda (aliter turpe eſſet Injuſtitiam in Civilibus, vel in Criminalibus vitia fovere): & præcipue ſi ob legitimam Capitularem cauſam vexetur; vel cum Procurator nollet ſolvere, quod ex Significatorialibus Literis ſit debitor; in his, & ſimilibus alter alterius onera portare tenemur.

9. Tandem inter noſtra onera ſtatuimus, ut quiſque noſtrum, terminata ſua Hebdomada, teneatur in ſubſequenti Dominica celebrare, vel celebrare facere in Aurora primam Miſſam pro Legato quondam Archipresbyteri D. Nicolai de Paulo, ſub pœna, ſeu puncto duorum aſſium cum dimidio.

## C A P U T XIX.

### *De Diſtributionibus Quotidianis.*

1. IN noſtro Capitulo vivitur ex Maſſa Communi, vulgo *Groſſa*; ita ut omnes reditus reducuntur in ipſa Maſſa, & vocantur Quotidianæ Diſtributiones.

nes. Quapropter diſpoſitio Sacri Concilii vigorem obtinet non de Præbendis, quæ nullæ ſunt; verum de ipſa Communi Maſſa, quam lucrantur præſentes & punctantur abſentes, juxta dicta in Cap. 13. de Punctatore.

2. Dividitur Maſſa Comunis in Tredecim, ut diximus, & a noſtro Procuratore de ſummis exactis fit diſtributio pro rata ad quemque ſpectante.

3. Quantitates vero frumenti modiorum partiuntur in tredecim Schedulas, annotando in ſingulis nomina, & cognomina Debitorum, & quantitates ab ipſis debitas: Inde extrahuntur ad ſortem ab unoquoque ex Dignitatibus, & Canonicis, incluſa Schedula Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi, quæ etiam extrahitur vel a ſuo OEconomo Menſali, vel ab aliquo Capitulari ad ejus libitum: quæ extractio, & diſtributio fit initio Menſis Julii, & cuique incumbit quantitates frumenti in ſua ſortita Schedula annotatas exigere. Si vero ex impotentia Debitorum, adhibitis præviis diligentiis, Juriſque remediis, quantitatem ad ſe ſpectatam exigere nequiverit, repetere poterit a Procuratore, qui indemnem illum ſervare, eique ex communi Maſſa recompenſare tenetur.

4. Eodem modo, quo de partitionibus in frumento, ſtatuimus de æqualibus ſummis in pecunia cenſuum in tredecim quoque Schedulis a Procuratore formandis, & in Menſe Januarii per ſortem diſtribuendis; & de iis, cum quiſque inculpabiliter exigere nequiverit, certiorare tenetur Procuratorem, in Menſe Septembris, reciproco firmato Documento; Ad hoc, ut ab iſto, non vero a ſingulis Capitularibus, Debitores, prout de Jure, adſtringantur; ſicuti in noſtro Libro Capitularium Concluſionum fuſius explicatum eſt; ibique peculiari quoque Concluſione (quam in præſenti, tanquam Juratum Statutum confirmamus; & Jurejurando obſervaturi pollicemur, ſicuti a noſtris Succeſſoribus perpetuo obſervandam) repartitio patet de Caſtaneto noſtri Capituli, ſub Denominatione Sancti Euſtachii; cujus portione ſingulis reſpective ſortita, quilibet bene uti, eamque meliorare in ejus, & Succeſſoris ſui commodum, ac utilitatem teneatur, ſub pœnis reficiendi damnum de pecunia propriæ Canonicalis portionis, ad ejuſmodi effectum a Procuratore retinendæ.

5. Aliæ tredecim Schedulæ, in quibus æqualiter repartiuntur reditus, ſeu cenſus minuti, a Procuratore pariter formantur, & ad ſortem tribuuntur initio Menſis Novembris; de quibus; quod non exigitur, a Capitulo repeti non poteſt.

6. Inter Diſtributiones porro quotidianas includuntur proventus ex Miſſis votivis, Funeralibus, & Proceſſionibus: De quibus percipitur, nimirum a ex qualibet Miſſa votiva, etiam ſine aſſiſtentia, eleemoſyna ut plurimum carolenorum decem: ex votivis pro Defunctis ſine aſſiſtentia, carolenorum ſex: cum aſſiſtentia, ſimiliter carolenorum decem.

7. Mortualia triplicia ſunt: Primo ex funeralibus puerorum uſque ad ſeptennium. Secundo ex Impuberum a ſeptennio uſque ad duodecimum Annum. Tertio a duodecimo in antea Morientium. Ex primis percipiuntur duo caroleni. Ex ſecundis caroleni decem & octo cum dimidio; ac ſimiliter ex primis, quando petitur aſſociatio Capituli; & ex ultimis caroleni triginta quinque. De quibus prædicti caroleni duo elargiuntur in beneficium ipſius Eccleſiæ, Procuratoris Sancti Amati, ac Sacriſtæ minoris, ut ſupra Cap. 15. Alii Funerales (deducta quarta Epiſcopo debita, & carolenis duobus Archipresbytero) dividuntur inter Dignitates, & Canonicos pro æquali parte.

8. Ex Proceſſionibus percipiuntur caroleni decem, & dividuntur inter præſentes

*Vide infra de Hebdom.*

Digitized by Google

ſentes ( incluſo Domino Epiſcopo , conſiderato ſemper præſenti ) . Et qui deſunt in omnibus prædictis Sacris Functionibus punctantur ad portionem , ut ſtatutum eſt in Cap. 13. de Punctatore .

9. Accidit etiam , quod in die Commemorationis omnium Defunctorum fiunt a Devotis aliquæ Collectæ , ſeu Oblationes , conſiſtentes in frumento , leguminibus , aliiſque , de quibus , ſicuti de omnibus oblationibus , deducta primitus quarta , concordata cum Domino Epiſcopo , repartiuntur in duodecim portiones inter Dignitates , & Canonicos . Spectat quoque ad Hebdomad., ut infra .

## C A P U T XX.

### *De Diſciplina Chorali , ac Monitis pro Chori Servitio .*

1. CHori diſciplina , religione , ac pietate repleta diligenter ab iis ſervanda eſt , qui illuc ad divinas perſolvendas laudes conveniunt . Quapropter interna devotione , cujus ſplendor foris etiam appareat , debet quilibet Chori ſervitio adſcriptus, proprio debito, ac rei Sacræ magnitudini ſedulo vacare . Quare Dignitates , & Canonici , ut Choro vacent , ab audiendis abſtineant Confeſsionibus , dummodo actualem Animarum curam non exerceant .

2. Antequam Chorum ingrediatur , ſecum paulisper revolvat loci Sanctitatem , cauſam cur ad illum accedit , munus commendandi Deum , ( quod Angelicum eſt ) : Idcirco majori , qua poteſt , devotione ejuſdem Omnipotentis celebrandæ ſunt laudes : quamobrem Sancta meditatione Mentem erudiat , & cum ſolita brevi alba veſte induitur,Conſcientiæ candorem in ea figurari conſideret , cui ſeſe conformem reddere ſtudeat ; & cum Epiſcopali Almutio circumdatur, Apicem perfectionis animadvertat, ad quam ipſemet adſpirare conetur , inanium hujus Mundi rerum deſideria, animique paſsiones compeſcendo .

3. Dato ſigno confeſtim erga Chorum graviter , ac modeſte greſſus ſuos dirigat, ſerio cogitans, quo pergit, nimirum ante tremendum Dei conſpectum, & ad Sacrificium publicæ orationis offerendum . Chorum ingreſſus , ab omni terrena cogitatione , animi perturbatione , & cura , ab ipſo loco , & actione remota , Mentem revocet , ſeque protinus Divino Cultui componat ; quod ut facilius exequi queat , illic Omnipotentem Deum , & innumerabiles Angelos aſſiſtere pro certo habeat ; & formans animo conceptum , quem debet infinitæ Majeſtati Domini noſtri , qui ubique adeſt ; & omnium intuetur corda, omniaque proſpicit ; tanquam amantiſſimum Patrem , ac benigniſſimum Redemptorem conſiderans , toto Animi conatu exorabit , ut ſibi recte oranti gratiam concedere , & exaudire dignetur ; & ea , qua par eſt , devotione ad honorem Sanctiſs. , & Individuæ Trinitatis , ac illius Sancti, cujus Officium, vel commemoratio illa die celebratur ; vel Anniverſariis pro Defunctis exoratur , offerendo una cum ſuis precibus merita Chriſti , & Eccleſiæ . Dum recitatur officium , quilibet , quantum fieri poteſt , ad illius intelligentiam incumbat , conformando ſe affectibus Eccleſiæ , & Pſalmorum , & excitando actus Amoris , reverentiæ , & gratiarum actionis erga Deum , doloris peccatorum , humilitatis , & ſimilium .

4. Adſit in primis animo , ut neceſſariam habeat in recitando divino officio attentionem pro debiti ſatisfactione , caveatque ad alienas ultro divertere cogitationes : Et mentem forſan ſentiens vagantem , ſeipſum ſtatim a diſtra-

ctio-

Digitized by Google

ctionibus abducere curet ; atque iterum actualem excitet intentionem ; & quod tunc dicitur, intelligere ſtudeat.

5. Quilibet in Choro, cum ad eum ſpectaverit, canat ; Cantus vero non ſit perturbatus, non celer, non confuſus ; ſed modulatus, diſtinctus, ſiſtendo aliquantulum, ubi duo incidunt puncta, & ita ut verba intelligantur ; Et ad nutum Cæremoniarum Magiſtro promptè pareat, obſervando æqualiter Cæremonias ſedendi, aſſurgendi, caput detegendi, genuflectendi, inclinandi, ac omnes receptas Eccleſiæ rubricas.

6. E Choro, antequam terminetur officium, nulli diſcedere liceat, niſi ex urgenti neceſſitate ; & tunc obtenta prius a Chori Præfecto facultate ; quo caſu ſicuti Chorum ingrediens capite alios intereſſentes ſalutet, quique eum reſalutent, & non ſolum caput detegant, ſed erigantur. Completo divino Officio, omnes genuflectant, & ſubmiſſa voce recitent ſaltem Orationem Dominicalem : Choro autem egreſſi, recto tramite ad Sacriſtiam redeant, neque hinc inde loquentes ; ſed devotè, modeſte, & quiete, prout decet ; omniaque alia obſerventur, quæ ſupra ſtatuimus, Capite 9. de Officio cujuslibet Canonici, & Cap. 13. de Punctatore.

7. Divina officia quotidiè celebrantur ( ſtatutis horis, ut in ſequenti Tabella Horaria ; pulſatis Campanis, hora antecedenti pro Matutino, & pro Veſperis, ac quadranti pro Miſſa, qua inſtantia temporis elapſa, non differatur ejuſmodi celebratio ), incipiendo ab Archidiacono, & terminando ad ultimum Canonicum ; & omnes ſuam exercere præfixam tenentur Hebdomadam, & a quolibet reſpective Hebdomadario ipſa divina officia inchoantur ; & cum acciderit etiam cum Stola : Anniverſaria vero diſtribuuntur a noſtro Secretario per circulum.

8. Hebdomadæ aliquando intermittuntur, illis ſcilicet diebus, in quibus celebratio ſpectat ad aliquam Dignitatem, juxta quæ ſtatuimus antecedentibus Capitibus de unaquaque Dignitate. Quinimo in Octavario Corporis Chriſti Hebdomadarius interrumpit ſuam Hebdomadam ; & in primis Veſperis celebrabit ( impedito, vel nolente Domino Epiſcopo, quod ſemper intelligitur ) Archidiaconus, ſeu prima Dignitas præſens, & ſic per ordinem ſequuntur aliæ Dignitates diebus ſupra deſcriptis, ac alii Canonici ſecundum majoritatem ipſorum ; ita ut diſtribuantur prædicti octo dies per turnum inter majores Canonicos : Non tamen licitum ſit tam Dignitati, quam Canonico aliis cedere relicto medio, ſed cum ipſe non poterit, ſubingreditur alter ipſum immediatè ſubſequens. Pari ferme modo peragendum ſit, quoties per plures dies fiat expoſitio Venerabilis, tam ob aliquam publicam, vel privatam cauſam ( ſemper prævia licentia Reverendiſſimæ Curiæ ), quam in triduo præcedenti Quadrageſimæ : In feriis ſextis menſis Martii : In novem diebus ante Nativitatem Redemptoris, aliiſque occurrentibus : Ita tamen, ut incipiatur a minori, & terminetur ad majorem gradatim : ſervata ſemper majoribus debita præcedentia.

9. Diebus primæ Claſſis regulariter canuntur primæ, & ſecundæ Veſperæ, Matutinum, & Laudes : Hoc tamen diſcrimine, quod in ſolemnibus celebrans, & Miniſtri Pluvialibus induti proceſſionaliter comitantur a Sacriſtia ad Altare ; In minus ſolemnibus, etſi Pluvialibus parati, non aſſociantur a cæteris ; neque canendum Matutinum cum Laudibus : ſed ſolum *Te Deum*, & *Benedictus*. In feſtis autem ſecundæ Claſſis canuntur tantum primæ Veſpe-



Digitized by Google

ræ abſque Pluviali, ſed dumtaxat Stola deferenda ab Hebdomadario, & in Matutino canitur *Te Deum*.

10. Quotidie canitur Miſſa Conventualis ſine Aſſiſtentibus: cum aſſiſtentia tamen in feſtivis, & in Hebdomada Majori: occurrentibus duabus Miſſis Conventualibus, ut in Quadrageſima, in Vigiliis, & Adventu canitur Miſſa de Sancto, & alia de feria occurrenti; Applicanda prima pro Benefactoribus, & Populo; Altera pro aliquo Anniverſario, vel onere Capituli. In feriis ſecundis Quadrageſimæ, & in prima die Menſis non impedita, recitatur Officium Defunctorum: Quartis feriis Pſalmi Graduales, & Sextis Pænitentiales juxta Rubricam.

11. Miſſæ de Requie in feſtis duplicibus non celebrantur, niſi in die Depoſitionis Defuncti, vel in die Anniverſario obitus Teſtatorum.

12. Miſſa cantatur in duplicibus, & ſemiduplicibus poſt Tertiam: In ſimplicibus, & ferialibus poſt Sextam: In diebus Jejuniorum, & quando habenda erit Concio poſt Nonam.

13. Tabella onerum Miſſarum literis perſpicuis deſcriptorum in Sacrario: Nec non liber, in quo fideliter adnotentur quotidie prædictarum Miſſarum adimplementa, retineantur juxta mandatum Fel. Mem. PP. Clementis XI., ac praxim formandi prædictam Tabellam, & librum, apud Monacel. (a)

14. Ne tandem ſomniculoſus aliquis conſciſſa excuſationis Veſte cooperiatur; neque incurrat maledictionem divinam = *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*; horas pro divinis laudibus annectimus.

## TABELLA HORARIA.

| anuarii per totum Menſem: | *Primum Signum*: | *Secundum Signum* |
|---|---|---|
| | Hora 15 | Hora 16 ½ |
| Februarii a prima ad 15. | Hora 15 | Hora 16. |
| a 16. ad 29. | Hora 14 ½ | Hora 15 ½ |
| Martii a prima ad 15. | Hora 14 | Hora 15. |
| a 16. ad 31. | Hora 13 ½ | Hora 14 ½ |
| Aprilis a prima ad 15. | Hora 13 | Hora 14. |
| a 16. ad 30. | Hora 12 ½ | Hora 13 ½ |
| Maii a prima ad 15. | Hora 12. | Hora 13. |
| a 16. ad 31. | Hora 11 ½ | Hora 12 ½ |
| Junii a prima ad 15. | Hora 11. | Hora 12. |
| a 16. ad 30. | Hora 10 ½ | Hora 11 ½ |
| Julii a prima ad 15. | Hora 10 ½ | Hora 11 ½ |
| a 16. ad 31. | Hora 11. | Hora 12. |
| Auguſti a prima ad 15. | Hora 11 ½ | Hora 12 ½ |
| a 16. ad 31. | Hora 12. | Hora 13. |
| Septembris a prima ad 15. | Hora 12 ½ | Hora 13 ½ |
| a 16. ad 30. | Hora 13. | Hora 14. |
| Octobris a prima ad 15. | Hora 13 ½ | Hora 14 ½ |
| a 16. ad 31. | Hora 14 | Hora 15. |
| Novembris a prima ad 15. | Hora 14 ½ | Hora 15 ½ |
| a 16. ad 30. | Hora 15. | Hora 16. |
| Decembris per totum. | Hora 15 ½ | Hora 16 ½ |

*Veſpe-*

(a) *Tom. 2. form. legal. pract. tit. 13. form. 2. pag. 29.*

Digitized by Google

*Veſpera autem in Menſibus*

Aprilis, Maji, Junii, Julii, Augusti, Septembris, & Octobris, primum ſignum hora 20., & in ſecundo ſigno ſtatim inchoantur hora 21. pro ut etiam in reliquis.

Menſibus Novembris, Decembris, Januarii, Februarii, & Martii; primum ſignum hora 20., & inchoantur ſecundo ſigno hora 21.

In ſolemnioribus ſemper Veſperæ inchoantur hora 21. & ſimiliter Completorium tempore Quadrageſimæ.

In nocte tandem Nativitatis Domini primum ſignum Matutini ſolemniter pulſatur hora 4. Secundum, in quo inchoatur Matutini cantus hora 5. Et hora ſeptima canitur Miſſa: qua terminata perſolvuntur laudes, & circa horam nonam clauditur Eccleſia: quæ mane in Aurora hora 13. iterum aperitur; & pulſatis Campanis hora 14. dicta Prima in Choro, canitur ſecunda Miſſa; & inde ſub Meridie tertia Miſſa.

Ob aliquam autem juſtam cauſam in Cathedrali Domino Epiſcopo, ſive R. Vicario illius, & Archidiacono, in Collegiatis R. Primicerio bene viſam, & præſertim Concionis, Proceſſionis, ac occurrentibus aliis functionibus poſſunt Capitulares ante dictam aſſignatam horam in præfata Tabella anticipare, vel poſtponere dimidiam horam, certioratis ipſis Capitularibus: Necnon cum vero tempus non ſuppetierit, in ejuſmodi occurrentiis pro majori ſpirituali Populi commodo ſufficiet unam tantum canere Miſſam.

*Hora aſſignata poſſunt anticipari.*

*Quando ſufficit unam tantum Canere Miſſam*

Itidem ſtatuimus poſt Completorium perſolvendum Matutinum cum Laudibus ſequentium feſtivorum dierum, & præſertim in iis feſtivitatibus, in quibus Dominus Epiſcopus ſolemniter ſit celebraturus, vel Concionem habiturus, atque Populo prædicandum in Quadrageſima, ſive alio tempore.

*Et matutinum Die antecedenti perſolvere.*

## C A P U T XXI.

### *De ſacris Proceſſionibus.*

1. OMnes Proceſſiones egrediuntur a Cathedrali, & in eam revertuntur. Principales ſunt, quæ fiunt in ſolemnitate Corporis Chriſti, in Dominica infra Octavam, & in Octava: In duabus Feſtivitatibus S. Amati, alia addita in Patrocinio ejuſdem Sancti, nempe in Translatione 28. Maji, & in ejus Feſto 30. Septembris: Sancti Marci, Rogationum, & alia, quæ fit in die Aſcenſionis Domini poſt Miſſam ſolemnem. In quibus generalibus Proceſſionibus, ac aliis ob publicam cauſam, omnes de Clero accedere tenentur; etiam ſi eſſent Regulares; & omnes Confraternitates, Sodales, & Oblati. Minus principales ſunt: In die Purificationis Virginis Mariæ poſt benedictionem Candelarum: In Dominica Palmarum, poſt earum benedictionem: In prima Dominica cujuslibet Menſis per ambitum Cathedralis; & in prima Octobris per circuitum Civitatis, & Suburbii, deferendo Imaginem SS. Virginis Roſarii: In qualibet tertia Dominica defertur Venerabile per ambitum ipſius Cathedralis; excepta Dominica tertia Decembris, in qua vacat, & differtur ultima die Anni, & canitur *Te Deum* pro gratiarum actione, ob completum Annum.

2. Defertur Statua S. Antonii Patavini e Cathedrali ad Oratorium, ſeu parvam Eccleſiam ejuſdem Sancti extra mœnia, in qua celebrantur primæ Veſperæ, & ibidem mane canitur Miſſa: Indeque (perſolutis ſecundis Veſperis in Ca-



Digitized by Google

thedrali ) denuo proceſſionaliter comitatur Statua , regrediendo ad Cathedralem. Nota Oratorium S.Antonii nunc effectum Cœmeterium: proinde dictæ functiones fiunt in Cathed. & Proceſſio per Civitatem .

3. Habet quoque Capitulum noſtrum onus proceſſionaliter eundi ad Eccleſiam extra mœnia Sanctiſſimæ Virginis Omnium Gratiarum in ſecundo Sabbato Auguſti ; ibique canendæ ſunt primæ Veſperæ votivæ , & in Dominica ſequenti Miſſa ſolemnis de ipſa Beata Virgine .

4. In quibus , aliiſque , tam Archidiaconus , quam Archipresbyter , ſive in Capitularibus , ſive Parochialibus , ac etiam Funeralibus ſtola ſuffulti incedunt ; quemadmodum ſtatuimus ſupra *in Cap. 4. de Archipresbytero* .

## C A P U T XXII.

### *De Dignitate , vel Canonico Infirmo.*

1. CUm ægrotaverit aliquis Noſter , ſicuti laudabile Miſericordiæ opus eſt , & a Laicis etiam obſervatur , ferventiori charitate a Noſtris viſitandus eſt : Fratres enim ſumus , & ſinguli membrum de membro ſub uno Capite , cujus ſpiritus eſt Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, ut ſupra *Cap. 2. de Capitulo* dictum eſt ; neque ejuſmodi viſitatio in ſolis verbis conſiſtere debet : ſed etiam ſi opus fuerit , aliquo temporali adjutorio ; adeoque præcipua Procuratoris cura erit , ſtatim ad Infirmum ſe conferre , & cum occurrerit ei aliqua neceſſitas , ſubminiſtret quantum poterit ; retinendum poſtea ex ejus Canonicali portione .

2. Cum acciderit infirmo Capitulari deferri Sanctiſſimum Viaticum , Dignitates , & Canonici indumentis Canonicalibus aſſociare , & convenire ad Infirmi Domum : Et eodem modo proceſſionaliter regredi ad Eccleſiam ; & ſi quis intervenire recuſaverit , punctabitur tanquam ſi in tali die integre abſens fuerit a Choro .

3. Cum immineret proximum mortis periculum , ſive in agonis certamine fuerit conſtitutus , tenentur omnes convenire , & canere Miſſam Votivam in Altare S. Amati pro ejus ſpirituali , vel temporali ſalute , gratis ; & ex reciproca charitate , ſub eadem Puncti integri diei pœna .

4. Durante infirmitate reputabitur tanquam aſſiſtens in Choro , & perfruitur omnibus quotidianis diſtributionibus , ſicuti cæteri Aſſiſtentes *(a)* . Itaque non ſolum elargimur Capitulari Infirmo prædictas diſtributiones , ut de jure : ſed etiam extraordinarias , & adventitias provenire ſolitas ex Miſſis Votivis , Funeralibus , aliiſque ; ſicuti ex immemorabili conſuetudine uſitatum eſt ; & præſenti ſtatuto confirmamus .

5. Miſſæ vero , quas durante infirmitate non celebraverit , cum pertineant ad Capituli onera , ab ipſis Concapitularibus ſunt celebrandæ ; & etiam ſi fuerint cantatæ ; deſumuntur ex portione ad Infirmum ſpectante, ad rationem unius caroleni pro ſingulis .

6. Quod diximus de infirmitate , intelligendum etiam eſt de convaleſcentia ; ita ut iiſdem prærogativis gaudeat in convaleſcentia, ac in infirmitate ; dummodo non ſit validus ad alia negotia peragenda ; aliter, dum poterit , tenetur

(a) *Fagnan. cap. cum percuſſio 1. de non reſid. Covar. variar. reſol. lib. 3. cap. 13. Cler. ægrot. n. 11., & 28. cap. unic. de Cler. n. 8.*

Digitized by Google

netur regredi in Choro, & ſicut cæteri fungi munere ſuo.

7. Ejuſmodi privilegium, ut reputetur aſſiſtens in Choro, aliiſque Capitularibus functionibus, non indiſtincte intelligimus de omni Capitulari infirmo, vel convaleſcenti; ſed dumtaxat de eo, qui ante infirmitatem ſolitus erat Eccleſiæ inſervire; ita ut ſi fuerit abſens, vel ſi præſens, & non erat de inſervientibus, & intereſſentibus in Choro, non gaudet in his caſibus præfato privilegio, neque participat de quotidianis diſtributionibus *(a)*.

8. Eodem modo, quo Infirmus, conſideratur Dignitas, vel Canonicus abſens a Choro propter ſervitium Eccleſiæ, vel Capituli: inſerviens enim utilia gerendo pro Eccleſia, vel Capitulo, participare, & lucrari debet fructus omnes ſui Beneficii, cum omnibus diſtributionibus ordinariis, & extraordinariis, certis, & adventitiis, toto eo tempore, quo fuerit abſens, dans operam implicatus, ac deditus pro cura, cauſa, utilitate, & ſervitio, vel Eccleſiæ, vel Capituli, ut bene advertit Cardinalis de Luca *(b)*: Et ſimiliter occupatus in ſervitium Domini Epiſcopi, qui eſt ipſa Eccleſia, nam ubi Epiſcopus, ibi Eccleſia *(c)*: Quemadmodum ſtatuimus ſupra in Cap. 13. de Punctatore.

## C A P U T XXIII.

### *De Epiſcopo, Dignitate, vel Canonico Defuncto.*

1. Ægrotante Epiſcopo, & maxime cum extremum ejus diem appropinquare cognoverint, Dignitates, & Canonici diligentiſſime curent, ut cum pietate illi aſſiſtant, eumque conſolentur; tempore congruo Sacra miniſtrent; & omni, qua par eſt, devotione, humilitate, & charitate Sacrum Viaticum proceſſionaliter deferant, ut antecedenti Capitulo dictum eſt. Archidiaconus vero, vel prima Dignitas præſens (ſi aliter Epiſcopus ipſe non diſpoſuerit, ad cujus nutum omnino parendum eſt) Sacrum Viaticum deferat, ac etiam Extremam Unctionem, & Animæ commendationem, cæteraque perſolvat, quæ in Cæremoniali Epiſcoporum Cap. 38. de ægrotatione, morte, funere, & Exequiis Epiſcoporum præſcribuntur, & omnino ſervanda ſtatuimus. *Legendum ante Elect. Vic. Cap.*

2. Perſolutis piis officiis, lacrymalibuſque Funeribus venerabilis Spiritualis Patris, & Eccleſiæ firmiſſimæ columnæ; (quemadmodum a Sacris Canonibus Epiſcopi nominantur) deveniet Capitulum ad Vicarii Capitularis electionem, ad formam Sacri Concilii, ut Capite ſequenti, ante ejuſmodi actum legendo, ſtatuimus. Interea nil contraveniendum ſummorum Pontificum Bullis de Spolio Epiſcopi fideliter cuſtodiendo; & præcipue San. Mem. Innocentii XII. quæ incipit: *Inſcrutabili*; & Benedicti XIII. *Sacroſancti Apoſtolatus Officium*, quam typis impreſſam, cuſtoditam in Noſtro Archivo ad unguem obſervandam ſtatuimus; ut adveniente Succeſſore Epiſcopo de ſpolio prædicto diſponatur reciproco conſilio, & ejuſdem conſenſu, ad formam ipſarum Pontificum Conſtitutionum; quemadmodum de Epiſcopali Archivo, ut infra ſeq. Cap.: Quod ſtatuimus ſtatim a die ſcientiæ certæ translationis, vel Epiſcopi obi- *Spolio Cuſtodiendo.*

(a) *Fagnan. in cap. ad Audient. de Cler. non reſid. n. 7. Card. de Luc. de Canonic. diſcurſ. 12. n. 4 & 7.*

(b) *De Benef. diſcurſ. 68. n. 10.*

(c) *Cap. ad Audien. Cit., ibi Abb. n. 3. de Cler. non reſid. Inn. in C. de cæter. eod. tit. Fagnan. ibid. n. 24.*

Digitized by Google

obitus, in Capitulo eſſe legendum, ut omnes inſtruantur munere ſuo.

3. Quod de defuncto Epiſcopo ſtatuimus, ſervata proportione, obſervandum volumus defuncto Dignitate, vel Canonico. Itaque omnes tam de Capitulo, quam de Clero gratis tenentur obeundis Exequiis, intereſſe Funeribus, recitare, ſeu canere officium Mortuorum, & Miſſam cum Aſſiſtentibus, & omnia ſervare, quæ in Cæremoniali præcitato, ac reſpective Rituali Romano præſcribuntur, ſub pœna caroleni unius, niſi infirmitas, aut alia legitima cauſa excuſet. Et ut decentius ſepeliatur, ſtatuimus collocandum eſſe Cadaver in Arca, ſeu Capſa lignea, conſtruenda ſtatim, ac è vita diſceſſerit, ſumptibus Maſſæ Capitularis; adeoque Procurator ipſe Capituli omni ſolicitudine, & diligentia id adimplere curet; qui ſi negligens fuerit, ſolvet in pœnam carolenos ſeptem, quos prima Dignitas in Capitulo exiſtens diſtribuet Capitularibus ipſis (ſervata majoritate) pro celebratione ſeptem Miſſarum in ſuffragium ejus Animæ; Ita ut ſi incuria Procuratoris defraudatur Defunctus prædicta Depoſiti Arca, ſaltem ejus Anima lucretur Spirituale ſuffragium ex præfatis Miſſis.

4. Ceræ tam pro aſſociatione, quam pro Funeralibus ſubminiſtrentur a Noſtro Procuratore de pecunia debita, ex rata ſcilicet debitæ portionis ipſi Defuncto; ſi autem nil debeatur, ſumptibus Maſſæ Communis, hoc modo videlicet: Capitularibus tantum dentur Candelæ non minus ponderis unciarum trium, quas tenentur, abſolutis Funeralibus, reſtituere ipſi Procuratori; Extracapitularibus non dentur expenſis Capituli, ſed ſumptibus, & ad libitum ipſius Defuncti Hæredum: Atque ejuſdem ponderis in Altari Majori accendantur ſex candelæ; duæ pro candelabris deferendis ab Acolythis; & aliæ ſex circumdantes Cadaver: Si vero dicti Defuncti hæredes vellent majorem candelarum quantitatem, eorum ſumptibus, non tamen Capituli, eſſe ſubminiſtrandam, ſtatuimus.

5. Præter præfata Funeralia, tertia die, vel alia non impedita, eodem modo celebrabitur aliud Funerale cum integro Officio Mortuorum, & Miſſa cum Aſſiſtentibus, & ſolitis precibus, circumdando feretrum, ſeu Tumulum, parandum in Presbyterio, ibique apponantur inſignia Pontificalia, vel reſpective Canonicalia, cum iiſdem luminibus; exceptis candelis, quas diximus pro aſſociatione: Sumptus, ſeu expenſæ harum candelarum contribui debent pro medietate a Capitularibus, & Extracapitularibus; quoniam hoc ſecundum Funerale celebratur vigore conventionis habitæ inter Epiſcopum, Capitulum, & Clerum hujus Civitatis, cum Capitulis, & Cleris Oppidorum Montellæ, & Caſſani hujus Diœceſis, Inſtrumento rogato a Magnifico qu. Notario Nicolao Mongelli hujus Civitatis die tertia Auguſti Anno 1716., ex quo patet, quod præter Funerale prædictum tenetur Dominus Epiſcopus, & ſinguli ex Dignitatibus, & Canonicis, ac quique de Clero celebrare duas Miſſas pro Anima cujuſque eorum de hac Civitate; de Montella autem, & Caſſano unam Miſſam, ſicuti ipſi pro noſtris, tenentur.

*Sequeſtrum non fit.* 6. Quoad temporale ſubſidium animadverti oportet, quatenus poſt Mortem cujuslibet Dignitatis, & Canonici hujus Cathedralis non fit ſequeſtrum a Rev. Camera Apoſtolica ſupra reditus, & fructus vacati Canonicatus, neque in maturatis, & non exactis, neque in Maturandis uſque ad Proviſionem novi Proviſi; carent enim noſtri Capitulares Præbendis, & quod ex Communi Maſſa percipitur, totum propemodum oneribus ſubjacet; Ideoque nullus Introitus fieri

ſolet

Digitized by Google

ſolet ab eadem Rev. Camera: Sed fructus maturati, & non exacti tanquam Diſtributiones præſtiti ſervitii ſpectant, & integre perſolvuntur Defuncti hæredibus; & fructus Maturandi uſque ad Poſſeſſionis diem novi Proviſi dividuntur inter Capitulares præſentes, & intereſſentes, ut diximus ſupra, pro æquali parte, & portione.

7. Ne autem in poſterum ullum dubium oriatur, & omnis contentio inter Capitulum, & Defuncti hæredes evitetur, quod ab immemorabili conſuetum eſt, ſtatutum volumus: quod ii fructus maturati, & non exacti debentur hæredibus pro rata temporis, quo Defunctus Eccleſiæ inſerviverit: dividendi, & calculandi ab eorum maturi tempore; & hoc ut clarius eluceſcat, præſcribitur regula ejuſmodi partitionis, hoc modo videlicet:

8. Frumenta, affictus, ſeu locationes Terrarum pro Cultura, & uſu ſeminis maturari incipiunt a prima die Septembris uſque ad ultimum ſequentis Auguſti. Cenſus vero, affictus, venditiones Siliquarum, & Caſtanearum a prima Januarii uſque ad ultimum Decembris; ac proinde, ſi acciderit caſus, quod aliquis noſter Capitularis diem ſuum clauſerit extremum ultimo Februarii, deberetur hæredibus portio frumenti, ac ex Terrarum pro cultura affictuum provenientibus dimidia pars Anni, nempe per ſex menſes præſtiti ſervitii: Et portio ex Seliquis, Caſtaneis, & Cenſibus deberetur pro ſexta parte integræ portionis, ſc. ob duos Menſes; Itaque hoc exemplo regulanda eſt partitio fructuum ad defunctum noſtrum Capitularem ſpectantium, ejuſque hæredibus elargienda, inſpecto ſemper tempore maturi, ac ſervitii, juxta traditam Regulam. *Regula computandi fructus ac Miſſas.*

9. Si tamen Defunctus ipſe celebraverit Miſſas ſibi aſſignatas pro oneribus Capituli, ultra numerum ſpectantem in illa rata temporis, in quo obiit, nempe quia anticipaverit; ſtipendia ipſarum ad rationem duorum carolenorum pro ſingulis elargienda ſunt hæredibus; atque ſi celebraverit minorem numerum prædictarum, ad quas tenebatur juxta ratam temporis, in quo obiit, eodem modo deducantur ad rationem duorum carolenorum pro ſingulis Miſſis a Defuncto in ſua tempore rata non ſatisfactis; pro quibus tenentur hæredes: & Procurator noſtri Capituli dictas Miſſas ſatisfaciendas curet per alios Capitulares; retentis in beneficium Menſæ Capitularis præfatis ſtipendiis, deducendis ex eadem rata portionis fructuum ad dictos hæredes ſpectantis. Et quod diximus de Miſſis privatis, intelligendum volumus etiam de Miſſis ſolemnibus, aliiſque:

## CAPUT XXIV.

### *De Congreſſibus, ſeu Adunantiis Capitularibus.*

1. Capitulares convocandi ſunt quoties negotium vel Capitulo, vel Eccleſiæ, vel publicæ utilitati conſonum, ac pertingens occurrerit. Regulariter præſcribimus, ut in cujuslibet Hebdomadæ initio, nempe feria ſecunda poſt Completorium convocentur Dignitates, & Canonici ad tractanda, quæ deliberatione indigent. Quod ſin minus deliberandum fuerit, ſcilicet nil de novo tractandum, ſaltem a prima Dignitate exiſtente interrogentur: An aliquid habeant in animo proponendi pro bono regimine, tam ſpirituali, quam temporali noſtræ Communitatis? Quo pacto, vel diſcuſſo, legenda ſunt a Secretario, vel ab alio a prima Dignitate deſignato, aliqua præſentium Inſtitutorum Capita, ut omnes de iiſdem erudiantur.

2. Dixi-

Digitized by Google

2. Diximus regulariter; nam quando urgens negotium dilationem non patitur, alia die occurrenti, convocandum eſt Capitulum ab Archidiacono, & in ejus abſentia a prima Dignitate exiſtente; vel etiam a Domino Epiſcopo, quo, & quando ejus Arbitrio, & Conſcientiæ videbitur; Prævia tamen ſchedula intimationis in noſtra Sacriſtia, ubi regulariter erit locus Capitularium Congreſſuum, ſaltem die præcedenti affigenda; & quando negotium alicujus eſt momenti, eo die, quo proponitur, non expediatur, ſed differatur ad aliam ſeſſionem; ut omnes præponderent, & inde maturius fiat deliberatio; & præſertim cum aliqua lis conteſtanda ſit, prius bene perpendendum quod agitur, ſtatuimus; Et non niſi prævio Sapientum Conſilio.

*Epiſc. quo, & quando convocat Capit.*

*Quinam punctandi.*

3. Si quis autem non legitime impeditus (juxta quæ diximus in Cap. 13. de Punctatore) non adfuerit, punctabitur multa aſſium quinque; cui pœnæ ſubjaceat quoque qui voce clamoroſa, vel conviciis, ſeu verbis injurioſis charitatem offenderit, irreverentiam loco ſacro irrogando: Imo ſtatuimus in hoc caſu pœnam etiam privationis vocis activæ, vel paſſivæ, ſaltem pro illa vice; proinde reminiſcantur, quod Debitores ſumus ſapientibus, & inſipientibus; & alter ex noſtris alterius onera portare debet, cum omni Manſuetudine, Modeſtia, & Charitate, ſupportantes invicem; non faciens ſe vinci a malo, ſed vincendo in bono malum.

*Quinam nō interveniant vel voto priventur.*

4. Non aſſiſtat, neque interveniat in Capitulo, qui in tali negotio tractando intereſſe habet vel proprium, vel ſuorum, ſaltem in primo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis.

5. Non gaudet voce in Capitulo tertius Frater ultimus, qui duos alios haberet Fratres Dignitates, vel Canonicos, uſque dum duo primi fuerint viventes; neque Nepos Avunculi, ſeu Patrui, vel habens duos Patruos, ſive Avunculos in ſecundo gradu vocales in Capitulo; & ſimiliter *Patruus*, vel Avunculus habens duos Nepotes, vel Patruum, Avunculum, & Nepotem; ita ut intercurrente primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, ſive affinitatis inter tres Capitulares, ſemper noviſſimus, qui ſcilicet ultimo cooptatus eſt in Capitulo, nequit vocem, ſeu votum ſuum emittere in actibus Capitularibus, ſub pœna nullitatis actus, & pari modo privatur Capitularis non adhuc in Sacris conſtitutus, ut ſupra diximus Cap. 16.

*Quando ſecretis ſuffragiis.*

6. Forma autem ſe congregandi, & actus Capitulares perſolvendi erit: quod congregatis in ſacello, & perſoluto Hymno; *Veni Creator Spiritus*; prima Dignitas in præſentes breviter introducendo proponat, quod agendum, vel diſcutiendum eſt, exaggerando propriam obligationem procurandi, & ſe cooperandi in omne, quod ad Majorem Dei gloriam, Eccleſiæ, ac Capituli utilitatem reſultat; indeque juxta conſcientiam ad rem, quod ſentit, manifeſtet, annotando votum ſuum, & poſtea ſucceſſive gradatim alii. Et cum de arduis agitur, præſertim de Vicarii Capitularis electione, chartulis res diſcutiatur, & ſecundum illam partem negotium executioni mandabitur, ſecundum quam plures in urna chartulæ inventæ fuerint. Procedant itaque ſecretis ſuffragiis, quemadmodum pluries reſolutum ſcimus a Sacra Congregatione Concilii *(a)*.

7. Interea dum quiſque profert, vel ſcribit votum ſuum, alii ſileant, neque

(a) *In Milevit.* 13. *Novembris* 1697. *Et* 20. *Septembris* 1698. *can. quia propter de* *Elect. cap.* 9. 9. 8. *n.* 53. *eo ſequenti. Garz. de benef. p.* 5. 1. *&* 4. *n.* 185.

Digitized by Google

que interrumpant, perturbent, vociferentur, ſub pœna prædicta ſolvendi aſſes quinque, & vocis activæ, & paſſivæ amiſſionis, ut paulo ante diximus. Completis Suffragiis, ac terminato actu Capitulari, Secretario Archiviſtæ incumbit, quod reſolutum eſt,in ſolito Libro Concluſionum cuſtodire,ac conſervare; Atque pro gratiarum actione,ab ipſa prima Dignitate exiſtente, ordinando incipitur: *Sacroſanctæ,ac Individuæ Trinitati*,&c.cæteris ſequentibus.

8. Quoniam vero inter magis ardua negotia in Capitulo tractanda, ea conſiderantur, quæ accidunt poſt certam notitiam Translationis, vel obitus Epiſcopi; Ideoque quod diximus in antecedenti Statuto, denuo animadvertimus: Et præſertim in efformando Inventario rerum omnium, quæ a defuncto Epiſcopo relicta ſunt, totum Capitulum intervenire debet in Epiſcopio; & quicunque aliquid ſibi appropriare præſumpſerit, ſciat ſe incurſurum in Excommunicationis ſententiam latam in Jure, & publicatam in Tabella Caſuum Reſervatorum contra ſurripientes,occupantes, vel uſurpantes bona Eccleſiæ, ad quam ſpectant bona ipſa Epiſcopi, ſi ex reditibus Eccleſiæ comparata fuerint. Non exponatur venditioni Spolium Epiſcopi, exceptis rebus, quæ ſervando ſervari non poſſunt: Et nihilominus hæc neque vendantur, niſi cum conſenſu, & interventu Capituli. Ea vero, quæ conſervari poſſunt, non vendantur, ſed reſervanda ſunt uſque ad Adventum Succeſſoris Epiſcopi, qui prælationem habet in emendo, prævio appretio, & ſolemnitatibus a Jure præſcriptis. Pretium autem, ac pecuniam lucratur Eccleſia Cathedralis, utpote quæ legitima hæres ſui defuncti Sponſi hæreditatis, juxta præcitatas Pontificias Conſtitutiones in antecedenti Statuto.

9. Inſuper ſpeciali hoc noſtro ſtatuto repetimus, atque præſcribimus; ut, antequam deveniatur ad ejuſmodi Vicarii Capitularis electionem: convocato Capitulo, ut ſupra, præcedente affixione Schedulæ; & dato ſigno Campanæ, ad hoc, ut omnes occurrant, ne ignorantiæ cauſa ſuffragetur; a noſtro Secretario, vel ab alio Capitulari, cui demandatum fuerit ab Archidiacono, & in ejus abſentia a prima Dignitate exiſtente, præſens Inſtitutum legatur, & publicetur, ſub pœna nullitatis actus, & devolutionis ad Metropolitanum: ſicuti tranſactis acto diebus, intra quos ad formam præſentis ſtatuti minime deventum fuerit ad ejuſmodi electionem.

10. Itaque ſciant omnes, quæ Sacrum Concilium Tridentinum demandat his verbis (*a*): „ *Capitulum*, Sede vacante . . . Officialem, ſeu Vicarium in-
„ fra octo dies poſt Mortem Epiſcopi, conſtituere, vel *exiſtentem confirmare*
„ omnino teneatur, qui ſaltem in Jure Canonico ſit *Doctor*, vel Licentiatus,
„ vel alias, quantum fieri poterit, idoneus: Si ſecus factum fuerit, ad Metro-
„ politanum deputatio hujuſmodi devolvatur . . . Epiſcopus vero ad eandem
„ Eccleſiam vacantem promotus ex iis, quæ ad eum ſpectant, ab iiſdem
„ OEconomo, Vicario, & aliis quibuſcumque Officialibus, & Adminiſtra-
„ toribus, qui, Sede vacante, fuerunt a Capitulo, vel ab aliis in ejus lo-
„ cum conſtituti, etiam ſi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat
„ officiorum, Juriſdictionis, Adminiſtrationis, aut cujuſcumque eorum mu-
„ neris; poſſitque eos punire, qui in eorum officio, ſeu Adminiſtratione de-
„ liquerint; etiam ſi prædicti Officiales, redditis rationibus, a Capitulo,
„ vel a Deputatis ab eodem abſolutionem, aut liberationem obtinuerint. Ei-



(a) *Seſ.24.de Ref.Cap.16.*

Digitized by Google

„ dem quoque Epiſcopo teneatur Capitulum de Scripturis ad Eccleſiam per-
„ tinentibus, ſi quæ ad Capitulum pervenerunt, rationem reddere.

11. In quo Capite Cardinalis de Luca (a) explicando præcitati illa Conci-
„ lii verba: „ *quod eligatur qui ſit Doctor*, inquit: tunc *deputandus eſt Vi-*
„ *carius*, qui adminus in Jure Canonico Doctor ſit, (quoties in Capitulo ita
„ graduati exiſtunt in aliquo competenti numero, intra quem electionis liber-
„ tas congrue exercibilis remaneat); Sin minus Deputatio invalida pluries
„ per Sacram Congregationem declarata eſt: Secus autem ſi in Capitulo non
„ adſint in dicto numero, intra quem dicta libertas cadat; quamvis in Civi-
„ tate, vel Diœceſi graduati idonei exiſtant; quoniam poteſt quidem Capi-
„ tulum aliquem ex eis deputare, ſed non tenetur. Ideoque unum de Capitu-
„ lo, quamvis non Doctorem, tali caſu licite deputare poteſt (*b*). Docto-
„ rum autem Nomine veniunt illi, qui in aliqua publica Univerſitate, vel
„ Collegio ſolemniter iſto gradu decorati ſint; non autem illi, qui ex ali-
„ quorum particulari Privilegio Doctores creati fuerint; cum iſti ad hunc,
„ alioſque effectus à Sacro Concilio, vel ab Apoſtolicis Conſtitutionibus pro
„ Doctoribus conſiderati non ſunt. Prout Licentiatorum Nomine veniunt
„ ſolum illi, qui pariter a publica Univerſitate, vel Collegio, juxta Regio-
„ num mores, ac ſtylos Licentiaturâ, tamquam gradu ſolemniter decorati
„ ſint; ut præſertim contingit in Hiſpania, ubi Licentiatura illam habet ima-
„ ginem, vel ſpeciem, quam habet Doctoratus in Italia, in qua iſte *Licen-*
„ *tiatorum* uſus non habetur: Cum ibi Doctoratus non niſi *provectis* cum
„ magna Solemnitate conferri ſoleat; Ideoque licet in Italia illi, qui aliquo
„ tempore ſtudiis in aliqua Univerſitate vacaverint, atque ordinario curſu
„ expleto, ab aliquo Magiſtro licentiam reportent, vulgo *Licenziato* de fa-
„ cto nuncupari ſoleant; vere tamen tales non ſunt, neque iſtud Concilii
„ Decretum eos complectitur. Doctoratus autem in aliis ſcientiis, *etiam in*
„ Sacra Theologia, in hoc propoſito non habetur in conſideratione; cum
„ ille requiratur in utroque Jure, vel ſaltem Canonico ſpectato fine, ſeu effe-
„ ctu; quod cum Vicarius deputetur ad Juſtitiam adminiſtrandam, atque ad
„ decidendas Cauſas, tam Civiles, quam Criminales, & Mixtas: Idcirco de-
„ bet eſſe verſatus in ea facultate, quæ ad id *neceſſaria eſt*.

12. His præmiſſis: quando adſunt plures Doctores, ne Electio ſubjaceat periculo nullitatis, ſtatuimus, ut primo faciendum ſit ſcrutinium, ut ſupra, de Doctoribus prædictis; quorum ſi neuter per pluralitatem ſuffragiorum a Majori parte Capituli fuerit incluſus, ſeu electus; tunc deveniatur ad ſcrutinium aliorum non Doctorum; quoniam verba ſunt ejuſdem Cardinalis de Luca (*c*): „ *in primis* videndum eſt: qualis ſit numerus Doctorum exiſten-
„ tium in Capitulo, ad effectum inſpiciendi, an in eis recte verificetur liber-
„ tas Electionis, quæ omnino neceſſaria eſt, atque eſſentialis; & ulterius, ac
„ magis videndum eſt de hujuſmodi Doctorum qualitatibus; quoniam poſſunt
„ *eſſe Doctorati, ſed non Doctores*, ut frequens Praxis docet: ſive poſſunt eſſe
„ Juvenes, inexperti, vel male morigerati, aut diffamati, vel imprudentes,
„ aut alias non habiles ad illud munus, quod, ſpectato effectu, eſt Epiſcopale.
Cum autem contigerit, quod Capitulum eligat non Doctoratum, debet
dari

(a) *Diſcurſ.31.n.11., & ſeq.*
(b) *Idem de Luc. cit. n.12.13.14.*
(c) *Ibidem n.19.*

Digitized by Google

dari Conſultor, arbitrio ejuſdem Vicarii eligendus, qui ſit Doctor, & in rebus legalibus, & arduis peritus, a quo dirigi poſſit (a).

13. Inſuper ſtatuimus, quod in ejuſmodi Electione, ſi aliquis Capitularis fuerit in aliquo Oppido hujus Diœceſis, omnino vocandus eſt, prævia Intimatione diei, & horæ præfixæ pro debita electione; Et poſt notificationem expectandus integer dies, ut vocatus poſſit commode accedere, ſub pœna nullitatis actus: Si tamen abſens fuerit a Diœceſi unius diei ultra iter, ita ut non poſſit redire ſaltem poſtera die a nota Scientia intimatæ electionis prædictæ, & diu retardanda eſſet Electio; In hoc caſu Capitulum noſtrum non intendit ſuſcipere tantum onus illum vocandi; quia eo ipſo, quod Canonicus tranſit ad locum, ex quo commode vocari non poſſit, facit ſe extraneum, & perdit Jus ad eligendum (b), juxta regulam traditam a Canoniſtis, qui addunt, quod abſentes quomodocunque, & qualitercunque ſint, non poſſunt mittere, aut conſtituere Procuratorem ad ferendum in Electione ſuffragium (c).

14. Tandem attentis præcitatis Tridentini verbis, quod teneatur Capitulum de Scripturis rationem reddere Epiſcopo Succeſſori; annectimus quoque Benedicti PP. XIII. perlaudabilem Sanctionem, his verbis: „ *Cumque Epiſcopi ex* „ *hac vita ſe migrare perſpexerint, Inventarium ipſum eorum Sigillo obſi-* „ *gnatum fideli Sacerdoti, cui, Morte impendente, peccata confitebuntur, com-* „ *mittant, ut illico, poſtquam obierint, illud Prælato dignioris Conventus* „ *ſuæ Diœceſis conſignet, tute, & fideliter cuſtodiendum, Succeſſor donec* „ *Epiſcopus advenerit, cui clauſum* item, & integrum præſentet: quod & „ ipſimet Epiſcopi, per ſe implere non omittant, ſi quando longius è Diœceſi „ neceſſe habuerint peregre proficiſci. Caſu autem eveniente, quo Epiſcopus „ è vivis inopinato deficiat; tunc per Capitulum in Juribus ſuccedens Epi- „ ſcopalibus, una cum *Vicario Generali* defuncti Epiſcopi, confeſtim, & ſi „ fieri poterit, antequam ad Vicarii Capitularis electionem deveniatur, Ar- „ chivum Epiſcopale prædictum viſitetur, novumque Inventarium confi- „ ciatur, cum eo conferendum, quod penes Epiſcopum, dum vivebat, aſ- „ ſervabatur, ſi inter alias illius ſcripturas acciderit inveniri. Quicunque „ tandem Proceſſus, Scripturas, & Documenta hujuſmodi violaverit, cor- „ ruperit, ſubtraxerit, combuſſerit, ſeu ſimilia fieri mandaverit, aut conſi- „ lium, auxilium, vel favorem præſtiterit, omni ſit dignitate, officio, & „ beneficio privatus, & ad futura obtinenda inhabilis eo ipſo: quibus omni- „ bus ſpeciali hoc Statuto adſtringi volumus.

15. Similiter incurret in Excommunicationem a Domino Epiſcopo Summo Pontifici reſervatam, qui non ſolum præfati Archivi ſcripturas ſubtraxerit, vel alia attentaverit, ut ſupra; ſed etiam præſumens vel per ſe, vel per alium directe, vel indirecte amovere, lacerare, ſpernere, comburere, vel ſubtrahere Edicta, ordinationes, ac Decreta in ſacello, vel alio loco affixa præmortui Anteceſſoris in Sede vacante.

16. Animadvertat Capitulum noſtrum, & præcipue Vicarius Capitularis, quando occurrerit, propriam obligationem; ſitque ſuffultus, quemadmodum in Juribus, ita in Munere. Epiſcopus enim ex Græcis Syllabis: *Epi*, ideſt

Aa 2 Su-

(a) *Monacel. tom. 1. form. legal. pract. tit. 1. form. 2. n. 27.*

(b) *Monacel. loc. cit. n. 7.*

(c) *Cap. qua propt. de Elect., ibi Gloſ. & Canoniſtæ comm., ac Monacel. loc. cit.*

Digitized by Google

Supra, & *Scopoi*, ideſt Cuſtos, Speculator, & Obſervator. Inde Sanctus Auguſtinus (*a*): *Intelligat non ſe Epiſcopum eſſe, qui praeſſe dilexit, non prodeſſe*. Sit igitur Vicarius Capitularis Præſul, & Cuſtodia demortui Epiſcopi venerabilium Jurium, rerum, & Sanctionum: Præſulet ut Epiſcopus; ac trepidet Succeſſorem: Caveatque de contrario; aliàs in dictas pœnas ſe noverit incurſurum.

17. Occurrente vero aliquo litigio inter duos, vel plures Vicariatus Capitularis Prætenſores, ſpeciali ſtatuto volumus, quod omnes hujuſmodi lites fiant expenſis ipſorum Collitigantium, non autem Capituli, etiamſi ab ipſo Capitulo fuerint electi.

## CAPUT XXV.

### *De Canonico Aprocriſario pro Chirographis Locationum Terrularum Capituli expediendis, & conſcribendis in Libro, vulgo dicto*, Polizzario.

1. Quia novis Morbis nova convenit Antidota præparari (*b*); & quæ de novo emergunt, novò indigent auxilio (*c*). Cum enim animadvertimus jacturam, & detrimentum graviter paſſum eſſe per noſtram Menſam Capitularem ob incuriam Procuratorum minime curantium Chirographa expediri a Conductoribus, & Colonis Terrularum ejuſdem Menſæ, ac in libro annotare; unde non pauci ſe intruſere in prædiis prædictis abſque Chirographi cautione, defraudantes eorum Locationum ſolutiones: Quapropter prævio pariter ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi beneplacito, ſtatuimus;

2. Primò, ut locationes fiant ad quatuor annos duraturæ, attenta hujus Regionis Conſuetudine, rationabiliter nixa in Terrularum natura, non apta ad Semina, niſi prævia cultura, vulgo dicta *Maggeſe*; ſaltem in tertio Anno neceſſaria, ut poſſint fructus afferre Anno ſequenti.

3. Secundò, ut Kalendis Auguſti eligatur aliquis Capitularis Officialis noſtri Capituli, ſub titulo Canonici *Apocriſarii*, ſive *Polizzarii*, ejuſque officium duraturum per quadriennium: quo elapſo confirmetur, vel eligatur alter; quique teneatur adimplere, ut debita conficiantur Chirographa, ſeu legitimæ Apochæ locationum omnium Terrularum, Agrorum, ſeu Stabilium Menſæ Capitularis per id temporis in libro vulgariter dicto *Polizzario*, ſervata forma ſtatuti in Cap. XI. de Procuratore circa prædicta; Ad quæ loco Procuratoris, deſignatum, obligatumque volumus præfatum Officialem; atque circa ejuſmodi locationes, ut Procurator ipſe Capituli, ad nil teneatur: ſed tantum eruere ex libro *Polizzario* notulas omnium locationum, ac exigere a Conductoribus locationes in pecunia, & dividere more ſolito: quoad vero exactiones in frumento, per ambos fiant Schedulæ, & diſtribuantur, ac reliqua ſerventur, quæ in dicto Capite XI. de Procuratore, & Cap. 12. de Rationalibus, ſtatutum eſt.

4. Ter-

(a) *Lib.19.de Civit.Dei cap.19.*

(b) *Luc.PP.III.in Decret.lib.2. tit.7.a.5. caeterum.*

(c) *ff. de Interd. quia aet. de aetat. §. ex cauſa, & ff.ut in poſſeſ.legat. L.placet 1.*

Digitized by Google

4. Tertiò, ut ipſe Canonicus Apocriſarius teneatur, poſtquam fuerit electus, ſtatim præſtare Juramentum in ſcriptis in manibus Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, ſive, &c. de fideliter ſe gerendo in ejuſmodi Munere, & ſe obligare ad inſtar Tutorum, & Curatorum; & ad alia, quæ de Jure *(a)*: Cum onere pariter præferendi majores oblatores, & ultimos licitatores.

5. Et quoniam qui ſentit onus, debet ſentire Commodum, & è Contra *(b)*: Statuimus, inſpecto ſuo labore, actu, quo exercet ſuum officium, ut non ſubjaceat punctis, & de iis participet, quando ſcilicet fuerit occupatus in ejuſmodi Munere: Atque pro ſuo Honorario elargiantur de Maſſa Communi annui caroleni triginta; quos ipſe Canonicus Apocriſarius amittet in caſu incuriæ, & negligentiæ, cum ſolutione damni de proprio peculio, eidem Capitulari Menſæ forſitan illati: In quo etiam caſu Capitulum noſtrum ſibi reſervat ſimiliter poteſtatem ipſum Officialem amovendi, etiam infra quemlibet annum, & alium eligendi. Inſuper ſtatuimus, ut ſi præfatus Officialis in Munere Apocriſarii electus, acceptare renuerit, ſolvat in pœnam carolenos triginta in beneficium Menſæ Capitularis, retinendos de ſua Canonicali portione a Procuratore; & Capitulum noſtrum procedat ad aliam Electionem.

## C A P U T XXVI.

### *De Adminiſtratore, ſive Factore, Procuratore Sanctiſſimi Sacramenti, & Sancti Amati hujus Cathedralis Eccleſiæ.*

1. HÆc Eccleſia perfruitur temporalibus bonis ſeorſim diſtinctis, & ſeparatis a Menſa Epiſcopali, & a peculio Capitulari, quæ ex liberali Majorum noſtrorum elargitione ad ſplendorem, & decorem ejuſdem donata fuerunt; ut patet ex Inſtrumento ſub die 12. Menſis Auguſti Anno 1592. In quo eſt inſertum aliud prius ſub die 22. Maii 1513., & Aſſenſus Apoſtolicus Fel. Mem. PP. Pii IV.; quemadmodum deſcripta ſunt in Platea, ſeu Inventario juridice compilato juſſu Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini hodierni Epiſcopi, labore, directione, & diligentia ejuſdem Reverendiſſimi Domini Vicarii Generalis D. Fabricii de Auria noſtri Archidiaconi ſub die 6. Menſis Julii Anni 1745.

2. Ne autem ex defectu fidelitatis, & vigilantiæ ejus bona amplius in deterius dilapidata experiantur: Jure merito tanto malo obvianti a primo ejus ingreſſu ad hanc Eccleſiam plura inſtituere, ac providere, eidem Domino Epiſcopo viſum fuit; Et præcipue in Sancta Viſitatione editis Edictis, quibus iterum atque iterum debitam obedientiam exhibentes, ad tramites eorundem ſtatuimus, atque firmiter tenemus, ea Eccleſiæ bona, non niſi juxta piorum Diſpoſitorum mentem, dumtaxat in uſibus ejuſdem eſſe impendenda; & nunquam pro Capitulo, vel pro Domino Epiſcopo, ſive ejus Palatio *(c)*: Etenim Altare unum non diſcooperiendum, ut alterum contegatur; Dei equidem ſunt, & quid-

(a) *In Clement quia contingit de Relig. domib. Rot. Rom cor. Coce. deciſ. 625. n. 10. Monacel tom. 1 tit 1. form. 14. n. 9.*

(b) *Boniſ. VIII. in reg Jur. 55. in 6.*

(c) *Gloſ. auth. quomodo oportet Epiſc. §. ſed neque effuſas leg fin autem §. fin. ff. de Aqua pluv. cap. cum cauſa de Præb.*

Digitized by Google

& quidquid in Sacratis Deo rebus, & Epiſcopis injuſte agitur, pro Sacrilegio reputatur, ſtatuit S. Stephanus PP. *(a)*: Sicut enim Adminiſtratores æris publici in proprios uſus publicas pecunias convertentes, dicuntur committere crimen Peculatus, quod eſt ſpecies gravioris furti, & punitur pœna Mortis: Ita peculium Eccleſiæ, quod eſt non ſacrum de ſacro, ſurripiens, ſacrilegii genus eſt; In hac Diœceſi cum reſervatione, & Cenſura *(b)*; Reuſque efficeretur Ærarii publici, cum in publicum commodum ſit Eccleſia; Et propterea Adminiſtratores Eccleſiæ, Reipublicæ, Fiſci, & ſimilium æquiparantur, & ſibi appropriantes contra lata eſt pœna ſpiritualis, ac temporalis *(c)*: Neque poſſunt de rebus adminiſtratis donare *(d)*.

3. Animadvertat inſuper Adminiſtrator, quod rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore *(e)*: Epiſcopales enim vices gerit temporali in Regimine Eccleſiæ; cui damnum non eſt inferendum aliqua Adminiſtratoris culpa; quoniam delictum perſonæ non debet in damnum Eccleſiæ redundare *(f)*: Propterea nihil ita fidei congruit humanæ, quam ea, quæ placuerunt, cuſtodire *(g)*: Fideliter ſcilicet perfungendo Munere ſuo, non oſcitanter, non ſegniter, ſed ſolerter, omni exacta diligentia, non dumtaxat utilia agendo, ſed inutilia prætermittendo: Etenim non facere, & non benefacere, vel non legitime facere, paria ſunt *(h)*: Quomodocumque, & qualitercumque ob ejus culpam, vel oſcitantiam Eccleſia læditur, privetur adhuc ſolito ſuo Honorario; Nam qui non facit, quod debet, non recipit quod oportet *(i)*. Neque admittatur excuſatio in referendo culpam gregum Eccleſiæ Cuſtodibus; cum iis ab Adminiſtratore dominium datum fuerit, juxta vulgatum Textum *(k)*: Omnia noſtra facimus, quibus Auctoritatem impartimur. Et quilibet tenetur de facto Subſtituti a ſe electi *(l)*.

4. Imo etiam, cum non ſit humanitas, ſed ſævitia, prætextu, ſeu *ſimulato* velamine Eccleſiam defendendi; cum tamen alio ſordido ductu moveatur eam lædere; ſciat, quod ſi injuſtam Cauſam proſequatur, vel ſine Peritorum conſilio, teneatur ad expenſas de proprio *(m)*: Ejuſque bona tacite Hypothecata cenſeantur *(n)*: Neque poſſit condemnatus *appellare* ad effectum ſuſpenſivum, ſed tantum devolutivum, & niſi ſatisfaciat, vel facto Depoſito *(o)*. Omnimoda itaque obſervantia, honeſtatis gratia, ingenuo pudore, ut æquum eſt, verendum Thaumaturgi noſtri Protoepiſcopi Patris S. Amati Patrimonium pro cultu, ſplendore, dote, reparatione, indigentiiſque Eccleſiæ ſuæ elargitum, minaſque acres, reprehenſiones graves, atroces cenſuras in ejus Teſtamento inflictas, territi, ac pavidi metuamus: Magnopere cum reminiſcamur, ac traditione, & experientia docti ſimus, ſæpiſſime ab inique adminiſtrantibus, graviter ſe offenſum, pauperiem, egeſtatem, inopiam, mortemque

(a) *In Regul. Decret. reg. 7.*
(b) *Ex Trid. Seſ. 22. c. 11. de refor*
(c) *Conc. Trid. c. 22. c. 11. de refor. L. Jul. de peculatu, & reſiduis Graz. diſcept. forenſ. c. 241. n. 55.*
(d) *Rot. parte 6. recent. deciſ. 115. n. 10. & ſeq.*
(e) *Reg. 77. in 6. dec.*
(f) *De reg. Iuris in 6. reg. 76. 86.*
(g) *Leg. non minorem 2. Cod. de tranſact.*
(h) *L. quoties ff. v. qui ſatis Cog. Rot. apud Ludoviſ. dec. 271. n. 207. & dec. 496. n. 2.*
(i) *Leg. Iul. 13 ff. v. de act Empt.*
(k) *Leg. 1. §. ſed neque. Cod. de vet. Iur. Cruvell.*
(l) *Rot. parte 3. recent. deciſ. 421.*
(m) *DD. apud Sabel v. adminiſ. n. 24.*
(n) *Leg 2. Cod. de legit Tut.*
(o) *DD. penes Sabel. §. adminiſt. n. 20.*

que vehementiſſime immiſiſſe. Vereamur igitur, & ut filii tanti Patris ſtatuta hæc, ut decet, jugiter ſervemus.

5. *Et quoniam ubi majus eſt periculum, ibi cautius eſt agendum* (a); *necnon abundans in cautela non nocet* (b): Et refertur ad univerſos, quod publice fit, ideſt (capitulariter) per majorem partem (c). Idcirco die decima tertia Auguſti in prævigilia Aſſumptionis Deiparæ ſingulis Annis procedatur ad Electionem ejuſmodi Adminiſtratoris, ſeu Factoris a noſtris Capitularibus, parito Judicio Domini Epiſcopi, cujus amplitudini Dignitatis nunquam noſtra intermiſſa eſt, neque intermittenda largitio, authoritati, exemploque integra acceſſio: Eique optionem quam potiſſimum facere pro elimatiori Sententia; bene perpenſo, ac ponderato conſilio, eliminatis ejus Eccleſiæ, vel alieno ære gravatis, quemadmodum in Edictis Sanctæ Viſitationis die ſeptima Septembris 1741., & trigeſima prima Maii 1743., ac omnia in iis contenta ſtatuimus obſervanda, & præſertim:

6. Primò ſub excommunicationis pœna inflicta, non poſſe in Exercitio ſuæ Adminiſtrationis Factorem continuare, niſi obtenta Liberatoria in forma valida ab ipſo Domino Epiſcopo; neque ſub pariter latæ ſententiæ Interdicto, procedendum eſſe ad confirmationem ejuſdem, niſi exhibitis ſuæ præteriti Anni adminiſtrationis Computis; & per eundem Præſulem cum eo conſolidatis. Ex quibus appareat: An vere Debitor ſit, vel non; Et non niſi debito perſoluto (d), ac ab eo declarato capaci, ad hoc ut confirmari poſſit; & ſub iiſdem pœnis, ne eligatur, neque exerceat, qui non habet in ære, vel alieno gravatus.

7. Secundò ex ipſis Paſtoralibus Sanctionibus Sacris Canonibus innixis (& præſertim in Clementina de Religioſis Domibus (e): his verbis: *Illi, quibus dictorum locorum gubernatio, ſeu Adminiſtratio committetur, ad inſtar Tutorum, & Curatorum Juramentum praſtare, ac de locorum ipſorum bonis Inventaria conficere, & Ordinariis Annis ſingulis de adminiſtratione ſua teneantur reddere rationem*, Fidejuſſionem, & jurejurando vallatam pollicitationem ſub eadem pœna de fideliter adminiſtrando in Epiſcopali Curia, juxta ſeriem, & tenorem præſentis ſtatuti in ſcriptis, oſculatis Sanctis Evangeliis, exhibere, & elicere ad tramites Juris teneatur (f); Atque regiſtrare Introitus, & expenſas manualiter, & quoties a Domino Epiſcopo expetuntur, ſtatim exhibere; Quinimmo poſtquam fuerint ultimati Computi cum ſuis Liberatoriis, Declaratoriis, vel Significatoriis, a Rationalibus per Dominum Epiſcopum electis, in Libro, ut moris eſt, tranſcribere (g).

8. Tertiò ex enunciatis ipſis in Sancta Viſitatione ſtatutis, tanquam præcipuum ſuæ Cathedralis Eccleſiæ Adminiſtratorem Epiſcopum inſtructum reddere, de extraordinariis expenſis omnino teneatur, alias, eo inconſulto, impendia ejuſmodi pro non factis habeantur; Et ſimiliter in Venditionibus

Agno-

(a) *Leg.1.ff.& ſi quis ff.de Carb. Edicto cap. ubi de Electione in 6.*
(b) *Leg.Teſt.17.Cod.de Teſtam.*
(c) *In Regul. ff.*
(d) *Ex l.1.Cod.de debit.Civil.leg.11.&c.*
(e) *Lib.3.tit.de Relig. Dom.§.quia contingit.*
(f) *L.2.Cod.de Admin.rerum publ.l.11. & aliis adductis a Macer.tract. de Fidejuſ. p.1.Seſ.3.cap.36.*
(g) *Rot. Rom. diverſ. deciſ.217., & ſeq. part.2.Genuenſ.tract. de ſcript. privat. lib.4. tit.de lib.adminiſt.n.7.& 8.*

Digitized by Google

Agnorum, ovium, Caſei, Lanæ, equorum, & hujuſmodi, Aſſenſum, gratis omnino impertiendum ab ipſomet Ordinario obtineat; ne fraudis nota inculpetur, vel ad aliquod lucrum, vel damnum paſſum ab Eccleſia, ſubjaceat:

9. Denique Inſignes Sacras Reliquias, tam in duobus Brachiis argentiis Sancti primi noſtri Tutelaris Protomartyris Stephani, quam S. Amati, ſimul cum ejus genuino Teſtamento, Sigillo Epiſcopali munitas, quam Capitis ejuſdem S. Amati in Cryſtallina Urna affabre moderni Antiſtitis zelo, ac pietate ſarta tecta, auro ſerico pulvinari quieſcentis, teneatur Adminiſtrator ipſe tutiſſime cuſtodire ſub duabus nimirum Clavibus: una ſervanda ab Epiſcopo; Altera a prima Dignitate, vel intus Archivum noſtrum Capitulare, ne amplius, ut experti fuimus, ſurripiantur. Et inſimul ejus curæ erit ſupellectilium cuſtodia, & ea omnia tute ſervare; & de bene utendo teneatur, quæ deſcripta enumerantur in præfato Inventario.

10. Abuſus denique, corruptelas, & quoſcunque alios modos fortaſſe huc uſque ſerptos contra præſens ſtatutum, reiicimus: Quod non veremur, ne ad unguem diutiſſime, ac jugiter obſervetur. At quoniam parum eſt Jura condere, niſi ſit, qui ea exequi faciat *(a)*, ejuſdem noſtri Protoepiſcopi Sancti Amati Succeſſorum erit obſervantiam curare.

## CONCLUSIO:

### *Præſentium Capitularium Conſtitutionum.*

1. LEges condere parum eſt, niſi ſit, qui eas executioni debitæ demandari curet ex Bonif. VIII. *(b)* his verbis: ***Et quoniam parum eſſet condere Jura, niſi eſſent, qui executioni debitæ demandarent.*** Itidemque lex Imperialis *(c)*: ***parum eſt Jus eſſe in Civitate*** (Nos dicimus ***in Capitulo***) ***niſi eſſent, qui Jura tuerentur***; Ideſt non ſufficit lex, ſed oportet, ut executioni ſtatutum legis mandetur. Proinde prædictorum omnino volumus obſervantiam; Neque prædictis Statutis detrahendum, vel abſque legitima Cauſa, de Jure probanda, aliquid addendum, dicente Salomone *(d)*: ***Ne addas verbis Dei*** (Nos dicimus, ***præſentibus Statutis***) ***nec detrahes in eis. Ratio enim poſtulat*** (verba ſunt Conc. Tridentini Seſſ. xxv. de Ref. Cap. v.), ***ut illis, quæ bene conſtituta ſunt, contrariis ordinationibus non detrahatur.*** Occurrente tamen aliqua ambiguitate, pro dilucidatione ad Epiſcopum recurrendum eſt, idemque pro forſitan addendis conſulendus. Interea inter omnes ejuſmodi obſervantiam perpetim, ac adamuſſim curare teneatur Archidiaconus, & in ejus abſentia Archipresbyter, vel alia prima Dignitas, vel ſenior Canonicus præſens.

2. Et ut omnis ignorantiæ cauſa abigatur, cunctiſque pernoteſcat, legenda ſunt ſaltem aliqua Capita in ſingulis ſecundis feriis cujuslibet Hebdomadæ, ut in Cap. de Congreſſibus, ſeu Adunantiis Capitularibus ſtatuimus, donec, Deo dante, ab eodem Illuſtriſſimo Domino (cui proſpere inceſſanter a Deo Optimo Maximo, & longam luſtrorum ſeriem, & Zeli, divinæque gratiæ augmentum ex corde deprecamur), ſimul cum Synodo, cui, inter tot curas

(a) *Leg. 1. ff. dic. vis fiat ei, qui in poſſeſ.*
(b) *In Cap. unic. §. fin de Stat. regul. in 6.*
(c) *ff de orig. Jur leg. neceſ. §. poſt orig.*
(d) *Proverb 30.*

curas, variaque rerum diſcrimina; continuo ſecans fluctuantia æquora Navis, alacer, non laſſus ſedulam navat operam; Typis demandentur.

3. Interim pro paterna tam meritiſſimi Paſtoris erga nos benevolentia, pro diuturnis in Cathedralis, & Epiſcopii Reſtauratione, Opificio, decore, ornatu, atque Magnificentia, ſumptibus, & aſſiduis pro noſtri Capituli Spirituali, & temporali utilitate, laboribus, ſollicitudinibuſque: Rectas ſemitas ejus faciamus (*a*): Et omnis vallis implebitur, & omnis Mons, & collis humiliabitur; & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas, & videbit (quiſque noſtrum) Salutare Dei: qui (*b*), potens eſt nos conſervare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti: Soli Deo Salvatori noſtro per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum gloria, & Magnificentia, imperium, & poteſtas, ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

„ Tenor, & exemplum Juramenti, quod præſtatur in præſentium Conſti-„ tutionum acceptatione a nobis in ſcriptis; & a Dignitatibus, & Canonicis „ pro tempore advenientibus in actu Poſſeſſionis; eſt, ut ſequitur:

*Formula jurandi Statuta Capituli.*

Ego N. N. hujus Sanctæ Cathedralis Eccleſiæ Nuſcanæ (*Dignitas*, vel *Canonicus*) promitto, ſpondeo, voveo, atque juro coram Summo Deo Patre, Filio, atque Spiritu Sancto, Sacroſanctis Evangeliis tactis; me in hoc munere meo Conſtitutiones, & Statuta hujus Reverendiſſimi Capituli ad unguem ſervaturum, defenſurum, ac curaturum, quantum in me erit, ut ab aliis obſerventur, & defendantur: nec unquam me ab ipſo Juramento præſtito abſolutionem impetraturum, nec ea impetrata uſurum; atque ſingula ſingulis referendo, fieri me conſenſurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum in noſtra Cathedrali die . . . Menſis . . . Anni . . . .

Ego N. Dignitas, vel Canonicus ſpondeo, juro, ut ſupra.

N. N. Teſtis. N. N. Archidiaconus, ſive Vicarius
N. N. Teſtis. Generalis, Executor Bullarum.
N. N. Canonicus a Secretis, vel Cancellarius.

*Approbatio, & jurata Acceptatio.*

Prædigeſta Statuta, continentia XXVI. Capita, quæ jure merito dici poſſunt *Capitulum inſtructum*, ad ſalubriorem ejuſdem directionem, ac regimen Sacris Canonibus conſona, lecta, relecta, & verbo ad verbum attente recognita, noſtrâ Ordinariâ Authoritate, & in Sancta Viſitatione uti Delegatus Apoſtolicus approbamus, & confirmamus; ac juxta eorum ſeriem, & tenorem executioni omni futuro tempore demandentur, & inviolabiliter obſerventur ſub pœnis in ipſis Statutis contentis, aliiſque &c. Quæ quidem ſubſcripta, & jurata die ſecunda Julii Anni 1744., iterum firmata ſunt in hac Synodo, ac Juramento roborata tertia Sacræ Pentecoſtes die, quarta Junii MDCCXLVIII. in noſtra Cathedrali Nuſci: Regnantibus SS. PP. Benedicto XIV. Anno VIII., & Sereniſſimo noſtro Rege utriuſque Siciliæ Carolo &c. Præſulatus vero Noſtri VIII.

Cajetanus Epiſcopus Nuſcanus = U. J. Doctor Fabricius de Auria Archidiaconus, & Vicarius Generalis = Felix Archipreſbyter de Paulo = Cyriacus Prudente Primicerius Major = Angelus Primicerius Minor de Paolo = Jacobus Canonicus Prudente = Nicolaus Canonicus de Mita = Onuphrius Canonicus

Bb Mot-

(a) *Luc. 3.*

(b) *Epiſt. Cath. S. Jud. Tad. Ap. in fin.*

Digitized by Google

Mottula = U. J. D. Dominicus de Arminio Canonicus Pœnitentiarius = Emmanuel Canonicus Pellecchia = Andreas Canonicus Mongelli = Nicolaus Canonicus de Natale = Andreas Canonicus Santagata = D. Nicolaus Gaudiello Teſtis, & præſens = Doctor Phyſicus Cajetanus de Paulis Teſtis, & præſens = Regius, & Apoſtolicus Notarius Joſeph Euſtachius Mongelli Teſtis, & præſens = Doctor Phyſicus Andreas Ciciretti Teſtis, & præſens.

Retroſcripta Statuta in præſenti Synodo probata, confirmata, & Juramento acceptata, fuiſſe ſubſcripta propriis manibus ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cajetano de Arco Epiſcopo hujus Civitatis Nuſci, & Reverendiſſimis D. D. Dignitatibus, & Canonicis, nec non ſupraſcriptis Teſtibus mihi notis in mei præſentia, hac mane die quarta currentis menſis Junii Anni 1748. : teſtor Ego Canonicus D. Andreas Beneficiatus Santagata ejuſdem Civitatis Apoſtolica Authoritate Notarius in Archivo Romanæ Curiæ adſcriptus, ordinarius Reverendiſſimæ Epiſcopalis Curiæ Nuſcanæ Cancellarius, & hujus Synodi Secretarius: & in fidem meo, quo utor, ſigno rogatus ſignavi = adeſt ſignum.

*Pro Synodi Coronide.*

De cætero ergo *(a)*, Fratres, rogamus vos, & obſecramus in Domino Jeſu, ut quemadmodum accepiſtis a Nobis, quomodò oporteat vos ambulare; & placere Deo: Sic & ambuletis, & abundetis magis: Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum: Hæc eſt enim voluntas *(b)* Dei, ſanctificatio veſtra; ut abſtineatis a fornicatione; ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderii; ſicut & gentes, quæ ignorant Deum: Et ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio Fratrem ſuum; quoniam Vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus Vobis, & teſtificati ſumus: Non enim *vocavit* Nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Itaque *qui hæc* ſpernit *(c)*, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum Sanctum in Nobis. De charitate autem Fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: Ipſi enim vos a Deo didiciſtis, ut diligatis invicem, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis *(d)*.

De temporibus autem *(e)*, & momentis, Fratres, non indigetis, ut ſcribamus vobis: Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet: Cum enim dixerint: pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus: ſicut dolor in utero habentis, & non effugient. Vos autem, Fratres, non eſtis in tenebris: ut Vos dies illa, tanquam fur, comprehendat: Omnes enim vos Filii lucis eſtis, & filii diei; non ſumus noctis, neque tenebrarum: Igitur non dormiamus, ſicut & cæteri; ſed vigilemus, & ſobrii ſimus: Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt. Nos autem, qui diei ſumus, ſobrii ſimus, induti Loricam Fidei, & Charitatis, & galeam, ſpem ſalutis: Quoniam non poſuit Nos Deus in iram *(f)*, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis, ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum il-

lo

(a) *Ad Teſſalon. Cap.* 4.
(b) *Rom.* 11. *Eph.* 5.
(c) *Joan.* 13. *&* 15. *D.* 1. *Joan.* 2. 6. *ex* 4. *D.*
(d) *Ex eadem Epiſt. cap.* 5.
(e) 1. *Petri* 3. *cap. Apocal.* 3. *&* 16. *c.*
(f) *Iſai.* 58. *Eph.*

Digitized by Google

lo vivamus. Propter quod conſolamini invicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis.

Rogamus autem vos, Fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino; & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate (*a*): Propter opus illorum pacem habete cum eis. Rogamus etiam vos, Fratres, corripite inquietos, conſolamini Puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper, quod bonum eſt, ſectemini in invicem, & in omnes: ſemper gaudete: ſine intermiſſione orate: In omnibus gratias agite. Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite ſpernere: omnia autem probate: quod bonum eſt, tenete: Ab omni ſpecie mala abſtinete vos: Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: (*b*), ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervetur. Fidelis eſt, qui vocavit vos, qui etiam faciet. Fratres, orate pro nobis: ſalutate Fratres omnes in oſculo ſancto. Adjuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc (Nos autem dicimus) Synodus hæc omnibus Sanctis Fratribus, ac dilectis Filiis, Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Amen (*c*).

*Proteſtatio omnia ſubmittendi judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.*

Demum verbis Sancti Bernardi quiſque noſtrum ſigillatim interpellatur: *Quæ autem dixi, abſque præjudicio ſane dicta ſint ſanius ſapientis, Romanæ Eccleſiæ præſertim Authoritati, atque examini totum hoc, ſicut ut cætera, quæ hujuſmodi ſunt univerſa, reſervo; ipſius, ſi quid aliter ſapio, paratus judicio emendare.*

Inſtantia pro Concluſione Synodi per Reverendiſſimum D. Fabricium de Auria Archidiaconum hujus Synodi Promotorem: cui annuente Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Epiſcopo e Cathedrali Sede, congregatis omnibus interrogatis; an jam lectæ Conſtitutiones eis placeant, ac unanimiter reſpondentibus: *Placent:* Idem Archidiaconus alta voce ſubjunxit (*d*):

Obſecro igitur, primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus Dominis, piis Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Ei igitur, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus, ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis: Ipſi gloria in Eccleſia, & in Chriſto Jeſu in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen.

Quibus geſtis, D. O. M., cujus eſt incipere, & perficere, per totum Eccleſiaſticorum Cœtum actæ ſunt gratiæ.



(a) *Proverb.* 17. *C. Rom.* 12. *d.* 1. *Petri* 3. 6. *Eccl.* 18. *Luc.* 18. *Coloſ.* 4. 2.
(b) 1. *Corinth.* 1. 6.
(c) *Epiſt.* 174. *Edit. Mabil.*
(d) *Ex prima ad Timot.* 2. *& ex ad Epheſ.* c. 3.

Digitized by Google

# APPENDIX

## DE HEBDOMADARIIS &c.

*In Dei nomine Amen.*

Exhibitis per Reverendiſſimum Capitulum Nuſcanum ſequentibus præinſertis Literis Apoſtolicis cum Regio *Exequatur*: Per Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Dominum D. Cajetanum de Arco Epiſcopum Nuſcanum ad infraſcripta Apoſtolica Authoritate Delegatum; fuit dictum, & decretum, quod omnia, & ſingula in ipſis literis contenta notificentur quibus intereſt, & per Edictum in notitiam veniant Civibus, Officialibus, ac de Regimine hujus Civitatis ad finem &c. Et interim vocatis vocandis, condantur Statuta. Ita per hoc ſuum &c. Datum Nuſci die decima tertia menſis Januarii 1749.

Cajetanus Epiſcopus Nuſcanus authoritate Apoſtolica Delegatus.

*Canonicus D. Andreas Beneficiatus Santagata Notarius, & Can.*
*Eodem ſupradicto die fuiſſe promulgatum ſupradictum Decretum, & ſervata forma ejuſdem notificatum, & publicatum omnibus quibus intereſt, & in fidem teſtor Ego Canonicus D. Andreas Beneficiatus Santagata Notarius Apoſtolicus, & Cancellarius.*

Copia &c.

*In Nomine Domini. Amen.*

Cunctis ubique pateat evidenter, & ſit notum, quod Anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti MDCCXLVIII. die vero ſeptima Menſis Decembris, Pontificatus autem Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Benedicti Divina Providentia PP. XIV. Anno nono, ego officialis infraſcriptus, vidi, legi, & diligenter inſpexi quaſdam literas Apoſtolicas, ſub Plumbo, ut moris eſt, expeditas, tenoris ſequentis, videlicet: Benedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabili Fratri Epiſcopo Nuſcano ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Indefeſſa Romani Pontificis ſollicitudo, inter cætera ſuo Paſtorali officio commiſſa, ad ea propenſius intendit; per quæ Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Cathedralium, majori *honorificentia*, & Perſonarum divinis laudibus in eis inſiſtentium commodiori ſubſtentationi opportune conſulitur. Quapropter in iis etiam per beneficiorum Eccleſiaſticorum unionem ejuſdem Paſtoralis officii partes favorabiliter impertitur, aliaque deſuper diſponit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire: Exhibita ſiquidem nobis pro parte Dilectorum Filiorum Modernorum Capituli, et Canonicorum Majoris Eccleſiæ Nuſcanenſis petitio continebat; quod aliàs bonæ memoriæ Hyacinthus Dragonetti, dum viveret, Epiſcopus Nuſcanus, attenta exiguitate redituum Canonicatuum dictæ Majoris Eccleſiæ, qui Præbenda carebant, et quorum fructus, reditus, et proventus vix ad annuos viginti quinque ducatos monetæ Regni Neapolitani pro quolibet tunc aſcendebant; ſub die quinta menſis Maii Anni Domini milleſimi ſeptingenteſimi quarti, ſeu alio veriori tempore, in prima ſua Paſtorali Viſitatione Civitatis, et Diœceſis Nuſcanenſis

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolica, quam ſe aſſeruit gerere, Authoritate, ac uti Apoſtolicæ Sedis Delegatus infraſcripta undecim perpetua beneficia Eccleſiaſtica in eadem Civitate Nuſcanenſi exiſtentia, et quæ diſperſa, eorumque denominationis memoriam vix adeſſe agnoverat; quatuor ſcilicet, quæ olim forſan Parochiales Eccleſiæ extiterant, quæque tunc denominationem tantummodo Beneficiorum Curatorum retinebant: Unum v3. ſub Sancti Andreæ Apoſtoli, et aliud ſub Sancti Joannis Baptiſtæ, et aliud ſub Sancti Bartholomæi Apoſtoli, et reliquum ſub Sancti Euſtachii; quorum Eccleſias multis ab annis dirutas, et collapſas, et abſque Rectoribus exiſtere compererat; reliqua vero ſeptem quæ ſimplicia exiſtebant; unum ſimile ſub Sancti Aliçandri, et aliud ſub Sancti Pancratii, et aliud ſub Sancti Potiti, et aliud ſub Sancti Laurentii, et aliud ſub Sancti Iuliani, et aliud ſub Sancti Michaelis, et reliqua beneficia prædicta ſub Sancti Antonii de Padua nuncupati, reſpective invocationibus; quorum Eccleſias, vel Altaria jamdiu a fundamentis deſtructa, exiguoſque eorum reditus, partim a Laicis occupatos, partim in profanos uſus converti invenerat: Cum a multis annis beneficia hujuſmodi, ob eorum exiguitatem redituum, abſque Rectoribus exiſterent eidem Capitulo, ſeu Menſę Capitulari dictæ Majoris Eccleſiæ, cum hæc tamen quod illius Canonici, ſeu eorum aliqui onus coadjuvandi Archipresbyterum dictæ Majoris Eccleſiæ in exercitio curæ animarum ex tunc de cætero haberent, ac alias, prout in ipſius Hyacinthi Epiſcopi decreto, deſuper confecto, plenius continetur, cujus quidem decreti vigore tunc exiſtentes Capitulum, et Canonici dictæ majoris Eccleſiæ poſſeſſionem dictorum beneficiorum, et illorum reſpective fructuum, redituum, & proventuum bona fide apprehenderunt, nec non Altare ſub titulo eorundem beneficiorum unitorum, ſeu dictorum Sanctorum in dicta Majori Eccleſia erexerunt: Subinde vero etiam B. M. Nicolaus Tupputi qui prædicto Hyacintho Epiſcopo in Regimine, & Adminiſtratione ejuſdem Eccleſiæ Nuſcanæ immediatè ſucceſſit, veſtigia dicti ejus Prædeceſſoris ſequens ſub die quarta menſis Maii anni etiam Domini milleſimi ſeptingenteſimi vigeſimi quinti in ſua ſimiliter dictarum Civitatis, & Diœceſis Nuſcanenſis Paſtorali Viſitatione ſe pariter aſſerens Sedis Apoſtolicæ prædictæ Delegatum, eiſdem ſui Prædeceſſoris rationibus motus tres alias Eccleſias, quæ ſimiliter denominationem Parochialium retinebant, licet abſque actuali exercitio curæ Animarum, aliaque duo perpetua ſimplicia beneficia Eccleſiaſtica, unum ſimiliter ad, vel ſub Sanctæ Crucis in ejuſdem Sanctæ Crucis, vel alterius Sancti, vel Sanctæ, quod Fabricius de Auria dictæ Majoris Eccleſiæ Archidiaconus; & alterum ad, vel ſub Sancti Donati reſpective Altari, ſeu reſpective Invocationibus in ejuſdem Sancti Donati, ſeu alterius Sancti, vel Sanctæ prædictæ Civitatis Nuſcanenſis Parochialibus, ſeu aliis Eccleſiis, quod Andreas Santagata ipſius Majoris Eccleſiæ Canonicus, dilecti filii, ad preſens reſpective obtinent; eiſdem Capitulo, & Canonicis ipſius majoris Eccleſiæ, ſeu eorum Menſæ Capitulari prædictæ ſub certis modo, & forma tunc expreſſis, univit; prout in alio prædicti Nicolai Epiſcopi decreto, deſuper edito, etiam plenius continetur: ſubinde tamen deputato in eadem Diœceſi de mandato F. R. Bened. PP. XIII. Prædeceſſoris noſtri, Apoſtolico Viſitatore bonæ etiam Mem. Joanne Ghirardi, tunc etiam, dum viveret, Epiſcopo Montis Marani ſecundò dicta unione nulla declarata, ſeu reputata, proprios Rectores adhuc tunc reſpective viventes ad ultimo dictas tres Parochiales Eccleſias, necnon ultimo di-

cta

cta duo beneficia reſpective reſtituit, cumque ſucceſſive de menſe Sedi Apoſtolicæ prædictæ minime reſervato ultimo dictum beneficium ſub invocatione, ſeu Altare prædicti Sancti Donati per obitum illius ultimi Poſſeſſoris extra Romanam Curiam de menſe Sedi Apoſtolicæ prædictæ minime reſervato defuncti vacaſſet: Tu illud, ſic tunc vacans, & antea diſpoſitioni Apoſtolicæ minime reſervatum, neque affectum prædicto Andreæ ordinaria tua authoritate contuliſti, & de illo etiam providiſti, & licet moderni Capitulum, & Canonici prædicti ſecundo dictæ unioni freti contra collationem hujuſmodi ſe appoſuerint; nihilominus Tu non tantum prædictam tuam collationem, utpote illam ratam habendo, ſuſtinuiſti, ſed etiam nullitatem ſecundò dictæ unionis ratificaſti: hincque Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Nuſcanenſis occaſionem, & cauſam aſſumpſit inſtandi in Curia prædicta contra primo dictæ unionis validitatem, quæ tandem a te nulla declarata extitit: Tu tamen majori dictæ majoris Eccleſiæ decori, & animarum ſaluti, necnon dictorum modernorum Capituli, & Canonicorum paci, & tranquillitati proſpicere, ac petitionibus Presbyterorum, & Populi illius Civitatis adhærere cupiens, ſub die vigeſima quarta menſis Aprilis Anni etiam Domini milleſimi ſeptingenteſimi quadrageſimi ſecundi, aut alio veriori tempore, præcedente aſſenſu eorundem modernorum, ſeu tunc exiſtentium prædictæ majoris Eccleſiæ Capituli, & Canonicorum, decreviſti, quod ſub Sedis Apoſtolicæ prædictæ beneplacito in dicta majori Eccleſia erigi deberent ſex Hebdomadariatus pro totidem Presbyteris non Capitularibus, cum onere cuilibet eorum intereſſendi divinis officiis, aliiſque Sacris Functionibus, una cum ipſius majoris Eccleſiæ Canonicis, & coadjuvandi alternatim Archipresbyterum ejuſdem majoris Eccleſiæ in exercitio Curæ Animarum, & cum aſſignatione ex fructibus Maſſæ Capitularis cuilibet ex hujuſmodi Hebdomadariis ſummæ viginti quatuor *ducatorum* monetæ Regni Neapolitani, & cum hoc quod circa unionem *priorum* undecim Beneficiorum nihil eſſet innovandum, immo eidem Menſæ Capitulari unienda etiam eſſent prædicta alia duo beneficia, cum primum illa ex perſonis Fabricii, & Andreæ præfatorum quomodolibet vacaſſent, ac alias, prout in reliquo Tui Decreto etiam deſuper confecto plenius continetur: & ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi unio, erectio hujuſmodi plenum ſuum ſortirentur effectum, aliaque per nos, ut infra fierent, & concederentur: Ex hoc profecto non tantum litibus, & diſſentionibus, quæ circa reſtitutionem bonorum ad priora undecim beneficia ſpectantium, & dictæ Menſæ Capitulari vigore primo dictæ unionis incorporatorum, oriri poſſent, obviaretur; ſed etiam majori dictæ Majoris Eccleſiæ honorificentiæ, divinique Cultus in ea incremento, nec non comodiori Dignitates in ea pro tempore obtinentium, & illius Canonicorum pro tempore exiſtentium, ac aliorum ſex Presbyterorum prædictorum futurorum ejuſdem majoris Eccleſiæ Hebdomadariorum ſubſtentationi, aliqua in parte conſuleretur. Quare pro parte modernorum ipſius majoris Eccleſiæ Capituli, & Canonicorum præfatorum, quam Dilectorum etiam Filiorum Antonii Gaudiello, & Franciſci Paparo, ac Franciſci Verderoſa, & Januarii de Natale, ac Cyriaci Ciciretti, nec non Thomæ Mongelluzzo Presbyterorum Nuſcanenſis Civitatis, vel Diœceſis, qui, ut aſſeritur, prædictæ majoris Eccleſiæ Capitulares minime exiſtunt: Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus pro eorum deſiderio in præmiſſis benigne annuere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Eccleſiarum omnium, præcipue vero Cathedralium ſplen-

Digitized by Google

ſplendidiorem ſtatum ſinceris affectibus exoptamus; quique dudum in alia voluimus, quod petentes beneficia Eccleſiaſtica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, ſecundum communem æſtimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur; alioquin unio non valeret, & ſemper in unionibus Commiſſio fieret ad partes, vocatis, quorum intereſt: Modernos dictæ majoris Eccleſiæ Capitulum, & Canonicos, nec non Antonium, ac primo dictum Franciſcum, & Franciſcum ſecundo dictum, ac Januarium, & Cyriacum, ac Thomam prædictos, eoſque, & eorum quemlibet ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, ac eorum ſingulares perſonas, a quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel Cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tantum conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, nec non aliarum unionum Menſæ Capitulari, ac quarumcunque Conceſſionum Capitulo, & Canonicis dictæ majoris Eccleſiæ, hactenus forſan reſpective factarum, earumque, ac Decretorum præfatorum tenores, etiam veriores, ac datas præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint ad id evocandi, curam Animarum, ſi quæ primo, ſecundo, tertio, & quarto dictis beneficiis, alias, ut præfertur, imminebat, ab eis Authoritate noſtra perpetuo abdices, & ſepares; necnon tam priora undecim, quam poſteriora duo beneficia prędicta, quorum inſimul, & illis forſan reſpective annexorum fructus, reditus, et Proventus nonaginta quinque ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, priora undecim, vz. quę ab immemorabili tempore per illorum ultimorum Poſſeſſorum apud Sedem Apoſtolicam, ſeu extra Romanam Curiam de Menſe forſan Sedi Apoſtolicę prędictę reſervato, Defunctorum, reſpective obitus, aut alias certo alio modo vacaverunt, et vacant ad pręſens, et quatenus de menſe eidem Sedi Apoſtolicę minime reſervato, ſeu apud Sedem prędictam non vacaverint, tanto tempore vacarunt, quod eorum Collatio juxta Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta exiſtit, ex nunc poſteriora duo vero beneficia prædicta ex nunc prout ex tunc, & è contra cum primum Poſteriora duo Beneficia hujuſmodi per ceſſum etiam ex cauſa permutationis, vel deceſſum, ſeu privationem, aut quamvis aliam dimiſſionem, vel amiſſionem, ſeu Religionis ingreſſum, & Profeſſionis in ea emiſſionem Fabricii, & Andreæ præfatorum, aut alias quovis modo, etiam apud Sedem Apoſtolicam prædictam, etiam in aliquo ex Menſibus Nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti, Sedique prædictæ per quaſcumque Conſtitutiones Apoſtolicas, aut Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas editas, vel edendas, aut alias quomodolibet, reſervatis, ſeu ordinariis Collatoribus, etiam per Conſtitutiones, & regulas eaſdem, ſeu litteras Alternativarum, aut alia quæcunque Privilegia, & Indulta hactenus conceſſa, et in poſterum concedenda competentibus, vacare contigerit, etiamſi actu nunc, ut præfertur, aut alias quovis modo, quem etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in Corpore Juris clauſa, reſultet, præſentibus haberi volumus pro expreſſo, aut ex aliorum quorumcunque Perſonis, ſeu per liberas Fabricii, et Andreæ prædictorum, vel quorumvis aliorum reſignationes de illis in dicta Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, et Teſtibus ſponte factas; aut aſſecutionem alterius

terius

terius Beneficii Eccleſiaſtici , quavis Authoritate collati , vacent, etiamſi tanto tempore vacaverint , quod eorum Collatio juxta prędicti Lateranenſis Statuta Concilii ad Sedem eandem etiam legitime devoluta , ipſaque Poſteriora duo Beneficia prędicta diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter , vel alias generaliter reſervata exiſtant , & ſuper eis inter aliquos lis , cujus ſtatum eiſdem pręſentibus haberi etiam volumus pro expreſſo , pendeat indeciſa , pręvia dictorum tredecim Beneficiorum Tituli Collativi reſpective ſuppreſſione , et extinctione , ita quod ex nunc illa Collativa reſpective eſſe deſinant , & de cętero, uti talia in titulum Collativum conferri , aut impetrari , vel alias de illis diſponi contigerit ; Collationes , Proviſiones , Impetrationes , et quęvis aliæ diſpoſitiones de illis ſic faciendę , nullę , & invalidę , nulliuſque roboris , vel momenti , reſpective exiſtant , nullique ſuffragentur, aut coloratum Titulum poſſidendi tribuant , cum omnibus eorum reſpective Juribus , et pertinentiis , Menſę Capitulari dictę majoris Ecceſię , ita ut quoad Priora undecim ex nunc, quo vero ad Poſteriora duo Beneficia prędicta, ſtatim ac caſus eorum reſpective vacationis hujuſmodi evenerit , liceat prędictis modernis, at pro tempore exiſtentibus Capitulo,et Canonicis prędictę Majoris Eccleſię per ſe , vel alium , ſeu alios eorum ; et dictę Menſę Capituli nominibus, veram , realem , corporalem , et actualem Poſſeſſionem dictorum tredecim Beneficiorum,illiſque reſpective annexorum prędictorum, illorumque reſpective bonorum,rerum, et proprietatum libere apprehendere, et apprehenſam perpetuo retinere , illorumque fructus , reditus , et Proventus , Jura , obventiones, et Emolumenta univerſa, ex eis reſpective provenientia, percipere, exigere , levare , locare , dislocare , arrendare , ac in eorum , & dictę Menſę Capitularis uſus , commodum , & utilitatem ; ac infraſcriptorum Hebdomadariatuum dotem convertere , Diœceſani Loci , vel cujuſvis alterius *Licentia* deſuper minime requiſita ; ſupportatis tamen per ipſos modernos, et pro tempore exiſtentes dictę Majoris Eccleſię Capitulum , et Canonicos prędictos, infraſcriptoſque illius Hebdomadarios omnibus , et ſingulis dictorum tredecim beneficiorum oneribus,ſi quæ illis immineant; Authoritate noſtra prędicta ſine alicujus pręjudicio , de novo perpetuo unias , annectas , & incorpores . Ac in dicta Majori Eccleſia ſex Hebdomadariatus , qui liberę Collationis, ac Reſervationibus , et affectionibus Apoſtolicis ſubjecti exiſtant pro ſex Presbyteris non Capitularibus futuris in dicta Majori Eccleſia Hebdomadariis ; qui apud illam perſonaliter reſidere , et una cum ipſius Majoris Eccleſię Capitulo , et Canonicis nunc , et pro tempore exiſtentibus , divinis Officiis, cęteriſque eccleſiaſticis Functionibus intereſſe , ac horas Canonicas tam diurnas , quam nocturnas cum debita mentis attentione , ſervataque Eccleſiaſtica Diſciplina, recitare , decantare , et pſallere , ac eidem Majori Eccleſię in omnibus, et per omnia , ut moris eſt , laudabiliter deſervire , illiuſque Statuta hactenus edita, et in poſterum edenda debite , exacteque obſervare; necnon Modernum, et pro tempore exiſtentem Archipresbyterum dictę majoris Eccleſię in exercitio curę Animarum alternatim , ſeu per Turnum coadjuvare debeant , et teneantur . Ita tamen ut quotieſcunque in exercitio curę Animarum hujuſmodi occupati fuerint , pro pręſentibus Choro , aliiſque Sacris Functionibus haberi debeant: Authoritate noſtra prędicta etiam perpetuo erigas, & inſtituas, illiſque ſic erectis , & Inſtitutis pro eorum congrua , & competenti dote , illoſque pro tempore reſpective obtinentium congrua ſubſtentatione , ac onerum eis reſpective incum-

Digitized by Google

incumbentium ſupportatione, viginti quatuor ducatos prędictę monetę Regni Neapolitani pro quolibet ex futuris Hebdomadariis prędictis, ex fructibus dictę Menſę Capitularis annuatim perſolvendos, eadem Authoritate noſtra ſimiliter perpetuo applices, & appropries. Et inſuper attento, quod Emolumenta Exequiarum, ſeu Mortuariorum a ſolis dictę Majoris Eccleſię Canonicis, ſeu et Dignitates in ea obtinentibus, participantur; ad hoc ut futuri Hebdomadarii prędicti Mortuorum Exequiis, ſeu Funeribus libentius interveniant; Carolenos tres pro quolibet funere inter ipſos Hebdomadarios repartiendos, et ex quarta Funerali Tibi, & pro tempore exiſtenti Epiſcopo Nuſcano debita deſumendos, ſeu deducendos de conſenſu Tui, eadem Authoritate noſtra itidem perpetuo concedas, et aſſignes. Ac pręterea attenta nova dictorum Hebdomadariatuum erectione, Capitulo, et Canonicis prędictis, ut ipſi Capitulariter congregati pro dictę Majoris Eccleſię proſpero, et felici regimine, gubernio, et directione, ac onerum eis, et futuris Hebdomadariis prędictis reſpective incumbentium ſupportatione, divinorum Officiorum, Proceſſionum, Funeralium, Anniverſariorum, & ſuffragiorum Celebratione: et quoad futuros Hebdomadarios prędictos Diſtributionum quotidianarum, & aliorum Emolumentorum quorumcunque exactione, repartitione, perceptione, participatione, et diviſione, pœnarumque per futuros Hebdomadarios prędictos abſentes, ac divinis officiis ſuis, loco, et tempore, non intereſſentes, ſeu onera, & miniſteria eis, & eorum cuilibet incumbentia ſubire negligentes, incurrendarum incurſu, ſingulorumque futurorum, Hebdomadariorum prędictorum pręſentiis, & abſentiis notandis: nec non circa ipſius majoris Eccleſię, illiuſque Chori ſervitium, una cum futuris Hebdomadariis, pręſentis alternatim; non tamen diebus Feſtis, neque Quadrageſimę, vel Adventus temporibus (quibus quidem diebus, et temporibus hujuſmodi ſervitium, tam Dignitates in dicta majori Eccleſia obtinentibus, quam illius Canonicis, & futuris Hebdomadariis prędictis commune remanebit) in poſterum pręſtandum, & ſervandum; ac pro quibuſcumque aliis rebus in pręmiſſis, & circa pręmiſſa quomodolibet neceſſariis, & opportunis, quęcunque ſtatuta, ordinationes, Capitula, & Decreta, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, Decretiſque Concilii Tridentini minime adverſantia, et per Ordinarium Loci prius examinanda, & approbanda de novo edendi, & edita declarandi, & interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, & reformandi, ſeu alia etiam de novo ex integro, eiſdem tamen Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis Decretiſque prędictis minime adverſantia, &, ut pręfertur, per Ordinarium Loci prius examinanda, & approbanda, ac per eos, ad quos ſpectat, & pertinet, & pro tempore ſpectabit, & pertinebit, obſervanda, ſub pœnis in contravenientes infligendis, ſimiliter edendi plenam, & omnimodam facultatem, poteſtatem, & Authoritatem, prędicta noſtra Authoritate ſimiliter perpetuo concedas, & impartiaris. Nos enim ſi abdicationem, ſeparationem, unionem, annexionem, incorporationem, erectionem, inſtitutionem, applicationem, Appropriationem, Conceſſionem, Aſſignationem, & Impertitionem prędictas per te, vigore earundem pręſentium fieri contigerit, ut pręfertur, ex nunc tredecim Beneficia prędicta dictę Menſę Capitulari unita, annexa, & incorporata eſſe, & fore: nec non plenum Jus eiſdem Modernis, et pro tempore exiſtentibus Capitulo, & Canonicis dictæ Majoris Eccleſiæ in dictis tredecim



Digitized by Google

Beneficiis, vel ad illa vere, & non ficte acquiſitum exiſtere, dictoſque Modernos, & pro tempore exiſtentes dictæ majoris Eccleſiæ Capitulum, & Canonicos prædictos Beneficio Regularum noſtrarum, & Cancellariæ prædictæ, de non tollendo Jure quæſito, ac de annali, & triennali Poſſeſſoribus, gaudere, ac ex nunc omnes, & ſingulas Collationes, Proviſiones, & quaſvis alias Diſpoſitiones de dictis tredecim Beneficiis, & quoad illorum Poſteriora duo, quovis modo vacaturis, etiam per Nos, & Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ac Sedem eandem, vel illius etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, aut quoſvis alios, etiam cum quibuſvis Clauſulis, & Decretis in alterius, quam prædictæ Menſę Capitularis favorem faciendas, tanquam præter, & contra mentem, & intentionem noſtras factas, nullas, & invalidas, nulliuſque roboris, vel momenti fore, & eſſe, nullumque per eas cuiquam Jus acquiri, vel etiam coloratum Titulum poſſidendi tribui poſſe, ac pręſentes literas, & in eis contenta quæcumque nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, etiam ex eo quod cauſæ, propter quas præmiſſa emanerunt coram Nobis, vel alibi adductę, verificatę, & juſtificatę, & quicunque in eiſdem pręmiſsis, & circa ea intereſſe quomodolibet habentes, ſeu habere pętendentes, ad id vocati, citati, & auditi non fuerint, & conſenſum ſuum eiſdem pręmiſſis non pręſtiterint, aut alio quovis defectu quantumvis ſubſtantiali, & ſubſtantialiſsimo notari, impugnari, ſeu alias quomodolibet infringi, retardari, invalidari, in Jus, vel controverſiam vocari, ſeu etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, ſeu Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, vel quoſvis alios quavis Authoritate fungentes, ac honore, & Præeminentia fulgentes, revocari, limitari, ſuſpendi, annullari, aut ad viam, & *terminos Juris* reduci, ſeu adverſus eas reſtitutionis in integrum, aut aliud quodcunque Juris, gratiæ, Juſtitiæ, vel facti remedium impetrari, aut alias *Motu Proprio*, deque Apoſtolicæ Poteſtatis Plenitudine, & ex certa ſcientia concedi, ſeu illis in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium diſponi, nullatenus unquam poſſe, neque illas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium Gratiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per quaſcunque Literas, & Conſtitutiones Apoſtolicas, aut Cancellariæ prædictæ Regulas, etiam unionum, effectum ſuum non ſortitarum Revocatorias, quandocunque, etiam in craſtinum aſſumptionis noſtræ, & Succeſſorum noſtrorum ad Summi Apoſtolatus Apicem, vel alias ſub quibuſcumque tenoribus, & formis editas, & in poſterum edendas comprehendi; ſed ſemper ab illis excipi: & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum Statum reſtitutas, repoſitas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam ſub quacumque poſteriori data, per præfatos modernos, & pro tempore exiſtentes Capitulum, & Canonicos, nec non futuros Hebdomadarios dictæ Majoris Eccleſiæ, quandocumque eligenda conceptas, validas, & efficaces fore, & eſſe, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, plenamque roboris firmitatem obtinere; dictiſque modernis, nec non pro tempore exiſtentibus Capitulo, & Canonicis, ac futuris Hebdomadariis prędictę Majoris Eccleſię in omnibus, & per omnia pleniſſime ſuffragari; & ab omnibus, ad quos ſpectat, & in futurum pro tempore ſpectabit,
invio-

Digitized by Google

inviolabiliter obſervari, ſicque, & non alias per quoſcumque Judices, Ordinarios, vel Delegatos, quavis Authoritate fungentes, ac honore, & Preminentia fulgentes, etiam Cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac prędictę S.R. Eccleſię Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictęque Sedis Nuncios prędictos, in quocumque Judicio, & in quacunque Inſtantia judicari, & definiri debere; & ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis Authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Et nihilominus eidem Fraternitati Tuę per eadem ſcripta mandamus, quatenus Tu unum prefato Antonio, ac alium primo dicto Franciſco, ac alium ſecundo dicto Franciſco, ac alium Januario, ac alium Cyriaco, necnon reliquum Hebdomadariatus prędictos, per te, ut prefertur, eligendos, quorum cujuslibet, & illis forſan reſpective annexorum, etiam computatis Diſtributionibus quotidianis, quindecim ducatorum auri de Camera hujuſmodi reſpective fructus, reditus, & Proventus, ſecundum Communem æſtimationem, valorem annuum, ut etiam aſſeritur, non excedunt, a primęvis illorum reſpective erectione, & Inſtitutione hujuſmodi vacantes Thomę prefatis, quorum quilibet nonnulla perpetua ſimplicia, dictamque Reſidentiam non requirentia, beneficia Eccleſiaſtica in aliis, quam dicta majori, Eccleſiis ſita, quorum inſimul fructus, reditus, & Proventus centum ducatorum auri de Camera hujuſmodi valorem annuum non excedunt, forſan obtinet; Authoritate noſtra prędicta reſpective conferas, & aſſignes; inducens per Te, vel alium, ſeu alios Antonium, ac primo dictum Franciſcum, & Franciſcum ſecundo dictum, ac Januarium, & Cyriacum, necnon Thomam prefatos, vel eorum reſpective Procuratores, eorum reſpective Nomine, in Corporalem reſpective Poſſeſſionem ſex Hebdomadariatuum per Te, ut prefertur, erigendorum hujuſmodi, ac illis reſpective annexorum Juriumque, & pertinentiarum prędictorum, & defendens inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eiſdem, ac faciens Antonio, ac primo dicto Franciſco, & ſecundo dicto Franciſco, ac Januario, & Cyriaco, necnon Thomę prefatis de ſex Hebdomadariatuum reſpective per Te, ut prefertur, erigendorum, ac reſpective annexorum, eorundem fructibus, reditibus, Proventibus, Iuribus, obventionibus, & Emolumentis univerſis integre reſponderi, Contradictores Authoritate noſtra prędicta, Appellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtantibus, quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellarię prędictę Regulis: de exprimendo vero annuo valore in Beneficiorum ſuppreſſionibus, ac de unionibus, & eiſdem ſuppreſſionibus committendis ad partes, ac Lateranenſis Concilii noviſſime celebrati uniones perpetuas, niſi in caſibus a Jure permiſſis fieri prohibentis, aliiſque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, univerſalibus, & generalibus Conciliis editis, vel edendis ſpecialibus, vel Generalibus dictę Majoris Eccleſię, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, quibuſvis Perſonis in contrarium premiſſorum quomodolibet forſan conceſſis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus, pro illorum ſufficienti Derogatione, alias ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum; non autem per Clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quęvis alia expreſſio, aut etiam aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, eorum tenores preſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias

 in

in ſuo robore permanſuris latiſsime, & pleniſsime, ac ſpecialiter, & expreſſe ad premiſſorum validiſsimum effectum hac vice dumtaxat harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcunque; aut ſi aliqui ſuper Proviſionibus ſibi faciendis de Hebdomadariis hujuſmodi ſpeciales, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales dicte Sedis, aut Legatorum ejus, Litteras impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus predictum Antonium, ac primo dictum Franciſcum, & ſecundo dictum Franciſcum, nec non Januarium, & Cyriacum, ac Thomam predictos in ſex Hebdomadariatuum per te, ut prefertur, erigendorum hujuſmodi reſpective aſſecutione volumus anteferri; ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Hebdomadariatuum, vel Beneficiorum aliorum prejudicium generari, ſeu ſi pro tempore exiſtenti Epiſcopo Nuſcano, vel quibuſvis aliis communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede Indultum, quod ad Receptionem, vel Proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint, quodque de Hebdomadariatibus dicte Majoris Eccleſie, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis ad eorum Collationem, Proviſionem, preſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim, vel ſeparatim ſpectantibus, nulli valeat provideri per Litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſvis aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque Tenorum exiſtant, perque preſentibus non expreſsis, vel totaliter non inſertis effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis Tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris Litteris mentio ſpecialis, ſeu ſi predictus Antonius, ac primo dictus *Franciſcus*, & Franciſcus ſecundo dictus, necnon Januarius, & Cyriacus, ac *Thomas* predicti reſpective preſentes non fuerint ad preſtandum reſpective de obſervandis ſtatutis, & Conſuetudinibus dicte Majoris Eccleſie ſolitum Juramentum, dummodo in eorum reſpective abſentia per eorum reſpective Procuratores idoneos, & cum ad dictam Majorem Eccleſiam reſpective acceſſerint, corporaliter illud reſpective preſtent. Volumus autem, quod tam Fabricius, quam Andreas prefati in prejudicium unionis faciende hujuſmodi poſteriora duo Beneficia unienda predicta, que, ut prefertur, ad preſens reſpective obtinent, in manibus noſtris, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, aut Ordinarii Loci, vel cujuſvis alterius, aut etiam coram Notario publico, & teſtibus, vel alias quomodolibet, ad quarumcunque Perſonarum favorem, etiam ex cauſa permutationis reſpective reſignare, ſeu dimittere, aut Juri eis, & cuilibet illorum in illis, vel ad illa quomodolibet reſpective competenti cedere, vel cum aliquo concordare nullatenus poſſint; & quatenus reſignent, dimittant, ſeu cedant, vel concordent reſignationes, vel dimiſſiones, aut ceſſiones, ſeu concordie hujuſmodi in predicte Menſe Capitularis, & non alterius, favorem facte ſint, & eſſe cenſeantur eo ipſo. Et inſuper ex nunc etiam irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis Authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominice milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo. Idibus Novembris, Pontificatus Noſtri Anno Nono = Loco ✠ Plumbi = F. Deſplas = Super quibus Ego Notarius Publicus infraſcriptus preſens Tranſumptum confeci, & ſignavi preſentibus DD. Paulo Bianchi, & Cajetano

jetano Tini teſtibus= b & P tam= concordat cum Originali= Joannes Baptiſta Riganti Officialis Deputatus = I. Datarius= Loco ✠ Sigilli = Ita eſt Philippus Pinelli Notarius Apoſtolicus= Adeſt Signum Notarii in forma= A. Bartoli.

Licet aliena manu extracta eſt præſens Copia a ſuo Tranſumpto Originali, exemplato ab Originali Bulla in Bergameno cum Cordula ſerica alba, & Plumbo pendente; In cujus fine legitur fol. 18. = Viſa: M. A. Caffarellus = S. Desblas, Mihi exhibitis per R. D. Nicolaum de Natale Canonicum Secretarium Archiviſtam Reverendiſſimi Capituli Nuſcani, eique reſtitutis ad finem conſervandi in Archivo ejuſdem Reverendiſſimi Capituli; cum quibus facta collatione concordat, meliori ſemper ſalva &c. Exhibito pariter mihi Regio in eo *Exequatur*, proviſo per Regalem Cameram S. Claræ Neap. ſeptima Januarii 1749. In quo legitur Regiſtr. fol. 798. at. Eique Canonico Archiviſtę pariter reſtituto, una cum prædictis Bulla Bergamena, & Originali Tranſumpto conſervandis in Archivo præfato. Et in fidem Ego Canonicus D. Andreas Beneficiatus Santagata Civitatis Nuſci Apoſtolica Authoritate Notarius, in Archivo Romanæ Curiæ adſcriptus, Ordinarius Reverendiſſimæ Curiæ Epiſcopalis Nuſcanæ Cancellarius, meo, quo utor ſigno req. ſignavi.

*De Hebdomadariis, Manſionariis, ſive OEconomis, Beneficiatis, Portionariis inſervientibus Reverendiſſimo Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Nuſcanæ, erectis vigore præinſertæ Apoſtolicæ Authoritatis Bullæ Sanctiſſimi Domini Noſtri PP. Benedicti XIV. Conſtitutiones, Leges, ac Statuta edita ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Patre Domino D. Cajetano de Arco U. J., & in Almo Theologorum Neapolitano Collegio Doctore, ac Magiſtro; Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia, ex Strongylenſi, Epiſcopo Nuſcano, Abbate Sanctæ Mariæ de Fonteliano, Præpoſito S. Petri in Vinculis de Trivico &c. ac Apoſtolico Delegato: A ſubſcriptis RR. Dignitatibus, Canonicis, Parochis, ſeu Canonicis Honorariis, & nuper electis Hebdomadariis, probata, laudata, acceptata, & pro eorum perpetua obſervantia, etiam jurata; Præfati Pontificis Anno IX. Ejuſdemque Domini Epiſcopi Anno pariter IX. Feliciter Amen.*

## INTRODUCTIO.

1. Quoniam Capitularibus in actibus Capitulares ipſi Capitulariter ſunt congregandi, ut advertimus prioribus noſtris Statutis, ac denuo confirmamus ſub pœna nullitatis actus, quod ſcilicet non ſufficiat conſenſum præſtare ſingulariter; nimirum, ut unus hodie, alter cras fortaſſe conſentiat, vel diviſim ſinguli uti ſinguli; adeoque actus ille nullus erit; non enim Capitulariter factus; etenim a Sacris Canonibus Concluſiones omnes, determinationes, electiones, cæterique Actus taliter attentati omnino prohibentur (a); Et clandeſtini nuncupantur, tanquam ſingulariter, & per occulta conventicula extorta (b). Quapropter iterum ſtatuimus, tunc actum Capitularem validum fore,

(a) *Ex Greg. IX. cap. in Geneſ. legitur 55. §. nec etiam electio extra de elect. et electi poſſeſſione ibi Gloſ. n. actus.*

(b) *Ex Inn. III. in Conc. gen. cap. quia propter 42. § fin. eod. de elect. ibi Gloſ. v. clandeſtin. Ex Symmacho PP. in Syn Rom p. in Can. ſi quis PP. 2. dict. 79. ſequiturq. Alberic. in L. null. 3 n. 12. ff. quod cujuſq. Univerſitatis nomine geſtum fuerit.*

Digitized by Google

fore, cum in Capitulo Capitulariter concluſum eſſe, conſtat; Et in urgentioribus, ac gravioribus tractandis ſemper accedendum, & congregandum Capitulum Noſtrum coram Domino Epiſcopo, cui uberiora lumina a Patre Luminum largius infulgiri, comperti ſumus ſub pœnis Ejus arbitrio, Puncto &c.

2. Cum igitur ſpeciali gratia Dominus Noſter PP. pro Paterna erga Nos Benignitate, ad majus Divini Cultus incrementum; ad Cleri, Populique commodum, Animarumque frugiferam ſalutem, ad Cathedralis Faſtigium, Apoſtolicam Authoritatem impartiendo, laudatæ Bullæ tenore, Leges, ſeu Conſtitutiones condendas, conceſſerit, ab Ipſis Hebdomadariis, & a Nobis cuſtodiendas, caute, ſeduloque obſervandas: Idcirco Capitulariter congregati coram Eodem Illuſtriſſimo, & Reverendiſsimo Domino Epiſcopo, & Apoſtolico Delegato, recipimus, & acceptamus opitulanter, & omni, qua decet, reverentia, gratias agentes Deo, ipſique Summo Pontifici, omnia, & ſingula in emanata Bulla contenta: necnon pro majori intelligentia, rectoque Capituli noſtri gubernio, præmittimus.

## CAPUT I.

### *Quid ſint Hebdomadarii.*

1. Hebdomadarii, licet de Jure dicantur Beneficiati, non autem dicuntur de Capitulo, quod a Canonicis tantum conſtituitur, non ab Hebdomadariis, qui Capituli Miniſtri, ac potius ſervitores nominantur, ut docet Cardin. de Luca *(a)*; & deciſum teſtatur Rota *(b)*. Inde ſtatuimus, non *poſſe* intereſſe congreſſibus Capitularibus, neque Officiales creare, neque ullam Concluſionem, vel Actum aliquem inter eos facere (niſi expreſſo mandato, ac expreſſa licentia Domini Epiſcopi, vel noſtri Capituli, cum opus fuerit). Hæc enim jura dumtaxat ad ipſum Epiſcopum, & ad Capitulum pertinent.

2. Cumque Concilium Trid. *(c)* præcipiat: ut Dignitatibus, Canonicatibus, Portionariis, ſive aliis Beneficiatis varia, ac diſtincta onera annexa eſſe debeant, videlicet; ut alii Miſſas, alii Evangelium, alii Epiſtolas dicant, ſeu cantent: Inde ſtatuimus, ut Miſſæ privative dumtaxat per Dignitates, & Canonicos cantentur: Ad Portionarios autem ipſos pertineat tantum Evangelia, & Epiſtolas canere. Ac propterea, qui infra Annum ſacris initiari non poterit, a quacunque participatione excluditur, ad tramites præcitati Concilii, & luculentius per hæc verba *(d)*: *Neminem ad Dignitatem, Canonicatum, aut ad portionem recipiant, niſi qui eo Ordine Sacro aut ſit initiatus, quem illa Dignitas, Præbenda, aut Portio requirat, aut initiari valeat. In omnibus vero Eccleſiis Cathedralibus, omnes Canonicatus, aut portiones habeant annexum ordinem Presbyterii, Diaconatus, aut Subdiaconatus: Epiſcopus autem cum conſilio Capituli deſignet, ac diſtribuat, prout viderit expedire: quibus quiſque Ordo ex Sacris annexis in poſterum eſſe debeat*: Freti itaque Concilij Autho-

(a) *In adnot. ad S.C. Trid. ad ſeſ. 22. c. 4. diſcurſ. 20. n. 7.*

(b) *Rot. diverſ. in deciſ. 411. parte 1., ac in una Gerunden. Anniverſariorum 1566. coram de Graſſis.*

(c) *Seſ. 22. cap. 4. de refor.*

(d) *Seſ. 24. cap. 12. de refor.*

Digitized by Google

Authoritate, quemadmodum Canonicis, ita pariter Hebdomadariis deſignamus non niſi ſaltem Sacrum Subdiaconatum; ita ut ſi Clericus proviſus ad Canonicatum, vel ad Hebdomadarium infra Annum Sacrum Ordinem non ſuſcipiat, omnibus fructibus tam de Maſſa Communi, quam de ſingulis emolumentis privetur. Tenentur enim perſonaliter deſervire; attenta etiam Sacræ Congregationis Concilii declaratione *(a)*: Epiſtolas, & Evangelia canere; ac proinde, ut ſint ſaltem in Sacris conſtituti, oportet.

3. Inſuper tenentur Eccleſiæ, atque Capitulo inſervire, & obedire; atque Conſtitutionibus omnibus Capitularibus parere: ſub unica Capitulari Cruce in Proceſſionibus incedere *(b)*: Licet enim diverſi ſint a Capitulo, nunquam tamen adverſi, docuit Innocentius III. *(c)*: Subeſſe igitur oportet, & nullatenus contra voluntatem Capituli prorſus moliri: quod eſſet Domino contradicere, non autem obedire, juxta Textum illis verbis: *Contradictores diſtrictione compeſcent (d)*. *Contraria porro ad invicem ſunt corruptibilia; nec inſimul eſſe poſſunt*, inquit Philoſophus *(e)*. Ea propter Sanctum Auguſtinum ſerio audiamus, ſic alloquentem *(f)*: *Quia radix omnium malorum eſt Cupiditas, & Radix omnium bonorum eſt Charitas, & ſimul ambæ eſſe non poſſunt; niſi una penitus evulſa fuerit, alia plantari non poterit*. Hinc, ut omnis Cupiditatis labe corda eorum mundentur, & ſint invicem cum Capitulo Charitate concordes, ſubnectimus:

## CAPUT II.

### *De Inſignibus*.

1. Ne confundatur ordo, non ſolum in Terris, ſed & in Cœlis *(g)*; & inita ſocietas, & concordia conſervetur; quæ alioquin importuna quaſi confuſione perturbaretur: Ordo ſervandus eſt *(h)*. Ne igitur hac in re æmulatio, cæteroquin pernicioſiſſima, inſurgat, quæ Jus perimeret, quod aliis competit *(i)*: Adverſareturque Dignitati, Honori Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; dum Inferiores, ac Servi auderent in veſtibus æquales eſſe Domino, ac Superiori contra Ordinationem Libri Cœremonialis, qui ideo tandem Beneficiatis, ſeu Hebdomadariis ſervientibus in Choro condecore uſum Almutiorum conceſſit, ut dum ingrediuntur Chorum, vel Functiones agunt coram Canonicis, illa ab humeris ad brachia in ſignum reverentiæ, atque obſequii, dimittant: Nobilioribus quippe veſtibus major honor exhibetur *(k)*: Cum veſtis conveniens eſſe debeat ſtatui, ordini, cujuslibetque officio *(l)*. Et ob Inſignia, ut a cæteris

(a) *Ex cit. Seſ. 24. cap. 12. in Ceſen. 17. Jul. 1590. apud Nicol. Floſc v. Manſionarii.*

(b) *Gloſ. in cap. penult. v. aſſiſ. Abbas n. 9. de Cler. non reſidentibus, & in cap. cum non liceat de preſcript. Jacob. Pignat. tom. 7. Conſult. 3. n. 5. & tom. 6. Conſult. 55.*

(c) *In cap. cum Apoſt. Sedes 7. §. Authoritates.*

(d) *In cap. pro illorum de Prebend., & cap. ut offic. §. denique de heretic. in 6.*

(e) *Ex Ariſt 5. Phyſic.*

(f) *In Can. quia radix 13. de penit. diſt. 2.*

(g) *Cap. Cleros 21. diſt. tot. Tit. ut Dignit. ord ſervetur cap. princip. 45. de penit. diſt. 2.*

(h) *Cap. ult. 89. diſt.*

(i) *L. opus novum, ibi Bartol. ff. de operibus publicis, Pignatel. cit. n. 6.*

(k) *Ex Florian. in L. ſed, & ſi quid §. mancip. ff. de uſufruct. Luc. de pen. in L. 2. Cod. de veſt. Lib. 11.*

(l) *Ex Text. in L. id veſtim. ff. de pecul. Et cap. 3. Lib. 2. exdre ubi veſtis Purpurea eſt honor.*

Digitized by Google

ris de Clero diſtinguantur, & admoneantur: quod ſicut Signis cognoſcuntur Majores, ſic moribus, & honeſtate alios præcellant: Cum loco meritorum a Jure introducta legimus (m): Ut ex qualitate ornamentorum judicetur quædam Majoritas circa alios.

2. Diſtinguendi igitur ſint a Canonicis tam participantibus, quam Honorariis (ſeu Parochis, qui ſunt ſinguli ſejunctim Præbendati pro eorum integra Congrua ex Beneficiis Curatis cujuslibet propriæ reſpective Parochiæ) habitu, ſede, loco, in quibus præcipue præeminentia conſiſtit. Idcirco ſtatuimus Inſignium uſum eſſe obſervandum ſequenti Methodo.

3. Dignitates, & Canonici perfrui valeant immemorabili uſu Almutii cum Caputio, ſeu *Mozzette*, tam ſericæ, æſtivo tempore, quam laneæ tempore hyemali, coloris ſubrufi violacei ad pectus clauſæ cum globulis ſericis rubei coloris ad inſtar Epiſcopi, ſupra Superpelliceum cum manicis anguſtis, ad inſtar Carbaſinæ, vulgo *Rocchetto*.

4. Parochi itidem, Canonici Honorarii nuncupati, cum cura Animarum reſpective quoad limites deſignatos, quique fruuntur loco Præbendæ, ac cujuſvis generis Diſtributionum, fructibus, ſeu reditibus inter ſe, & a Menſa Capitulari omnino diſtinctis: Et in Cathedrali conveniunt ad exercenda Sacramenta, & Sacramentalia: efficiuntque unum Corpus in Generalibus Proceſſionibus, & Pontificalibus Aſſiſtentiis: Nec non in eadem Cathedrali ad excipiendas Confeſſiones ſingulis diebus Feſtivis, aliiſque inter hebdomadam pro Populi commodo, devotione, vel neceſſitate ab hora præſcripta in Tabella inchoandi Matutinum, uſque ad finem Capitularis Chori; ſicuti in Sancta Viſitatione editis Edictis præcipitur, ſub pœna, pro qualibet tranſgreſſionis vice, ceræ albæ libralis ponderis, applicandæ, ſeu accendendæ pro ipſis divinis officiis recitandis. Et pariter ob abſentiam non legitime præpediti a Generalibus Proceſſionibus, quæ ſunt de Rubrica, ac de conſuetudine; In quibus omnes alii de Clero accedere tenentur, ſub dimidiam partem prædictæ pœnæ: Quam iterum ſtatuimus, & confirmamus: Limitando prædictorum Inſignium uſum in eorum tantum Parochialibus Functionibus, & aliis noſtris Capitularibus, ſub eadem pœna. Sunt enim Fideles reſpectu Primi Curati Noſtri Archipresbyteri.

5. Hebdomadariis concedimus, & ſtatuimus uſum Mozzettæ Stamineæ, violaceæ intus, & foris etiam cum Capuzio, ad pectus clauſæ cum globulis ſericis rubei coloris, ſuper ſuperpelliceum cum manicis circiter rotunditate duorum palmorum. Ejuſmodi autem Inſignibus dumtaxat poſſint in functionibus Capitularibus inſimul, & conjunctim, & nunquam a Capitulo ſeparari, ſub pœna ſimiliter unius libralis ponderis ceræ elaboratæ pro qualibet tranſgreſſionis vice, ut ſupra applicandæ.

6. Quoad Stallum, & Locum ſtatuimus: Poſt Canonicos immediate ſedere, & incedere ipſos Canonicos Honorarios; & ultimo loco (ſervata Prioritate eorumdem electionis, & inſtitutionis) Hebdomadarios; & cum omnes in Superiori Chori Stallo aſſidere nequeant; inferius in Chori Plano ultimi ſedeant in Stallis ſubtus Dignitates; & cœteri de Clero ſubtus Canonicos.

CA-

(a) *L.1.cod.de diverſ.offic. Vulp.L.2.ff.de bis, qui not.inſam. Paul.Fuſdi de viſit.lib.1. c.15.n.9.*

Digitized by Google

# CAPUT III.

## *De Fructibus, ſeu Emolumentis*.

1. Vigore prædictæ Bullæ aſſignamus, & ſtatuimus cuilibet eorum ſex, pro ſervitio, ac intereſſentia, manualia, ſeu victualia ducatorum viginti quatuor noſtræ monetæ Regni, ad rationem aſsium ſex, & duobus tertiis aſsis ſingulis diebus: Necnon ex Carolenis octo, & aſsibus duobus cum dimidio, ab immemorabili pro quarta funerali ſpectantibus ad Illuſtriſs. Dominum Epiſcopum, ex ejuſdem benignitate, Apoſtolica Authoritate, etiam quoad Succeſſores Epiſcopos confirmata, relaxantur, aſſignantur, & conceduntur Caroleni tres ad rationem aſſium quinque pro ſingulis eorum intereſſentibus. Et cum funeralia erunt Defunctorum minoris ætatis, pro quibus exiguntur caroleni decem, & octo cum dimidio, Hebdomadariis dumtaxat ex ipſa Quarta Epiſcopali debentur aſſes quindecim, eodem modo repartiendi: & abſentes punctentur, ut infra dicemus.

2. Perfruuntur itidem (ſeclusis prædictis Funeralibus, in quibus ſejunctim a Capitulo participant, ut dictum eſt) quarta parte omnium oblationum, & ex Legatis piis, Anniverſariis, & ex Miſſis votivis ſolemnibus (exceptis Legatis pro Miſſis privatis, lectis, ſeu planis), quæ deinceps, & ab hac die in antea pervenient vel noſtro Capitulo, vel ipſis Hebdomadariis, vel etiam conjunctim; ita ut ſemper tres portiones ſint in beneficium Capituli (excepta quarta, quando Domino Epiſcopo debetur), & quarta portio dividenda inter ipſos Hebdomadarios; deducto tamen Caroleno pro Miſſa Cantata de Jure privative Capituli. Et iterum ſtatuimus, nunquam licere Hebdomadariis canere ſolemniter Miſſam præſente Capitulo, vel in Cathedrali, cum ipſi tantummodo ſint deſignati ad Miniſterium Diaconi, & Subdiaconi, ut ſupra advertimus. Idcirco adveniente Legato, vel qualibet oblatione ipſis Hebdomadariis cum onere canendi Miſſam; intelligi debet, ſicuti conventum, & definitum, omni exceptione rejecta, de ſola aſſiſtentia, & intereſſentia conjunctim cum Capitulo, Dignitate, vel Canonico ſolemniter celebrante Miſſam.

3. Quæ omnia recenſita Emolumenta, ſeu Diſtributiones, pro ſervitio, & labore, ac ratione Miniſterii perſonalis, & propter operas, quia nimirum inſerviunt, etiam lucrantur ii, quos Infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſsitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſat *(a)*; quod ſub auditur de eo, qui ante infirmitatem, vel neceſſarium Corporale impedimentum accedere, & inſervire alias conſueverat; alioquin ex culpa commodum reciperet *(b)*, atque in omnibus caſibus in noſtris Statutis Capitularibus expreſsis; quibus addimus, ad fraudes depellendas, & pro majori ſervitio Eccleſiæ debito; quod infirmitas, ac convaleſcentia tunc excuſant, cum ſint præſentes; ita ut tam Capitulares, quam Hebdomadarii, etiamſi cauſa infirmitatis, ſeu convaleſcentiæ, etiam conſilio Peritorum, ab hac Civitate diſcedunt, pun-

 ctari

(a) *Ex Trid. Seſ. 21. cap. 3. & Seſ. 24. cap. 15. de ref. Zerol. prax. Epiſc. litera Diſtribut. & Bonif. VIII. c. unic. §. qui vero aliter de Cler. non reſid. Ibi Gloſ. V. receperit.*

(b) *Abbas conſil. 70. n. 1. parte 1. D. Marta voto 234. parte 2. Grazian. Forenſ. diſcept. lib. 1. cap. 166. n. 17. Ex Alex. III. in cap. Signif. 11. §. quam ſi quidem de Præben., & dignitat. extra.*

ſtari debeant tanquam abſentes. Et ita his juratis legibus ſtatuimus in perpetuum obſervandum.

4. Quoniam vero Emolumenta prædicta quotidianæ diſtributiones ſunt, & in corpore Beneficii non computantur, quia pro ſervitio dantur, & manualia, ſeu victualia nuncupantur; ideo quiſque ita faciat ſuos, ut etiam Teſtamento diſponere valeat *(a)*. Et quamvis exactæ non fuerint, Reverenda Camera ratione Spolii non intrat *(b)*; diſtinguit enim ipſe Bonifacius PP. VIII. fructus Beneficiorum a Diſtributionibus, per hæc verba: *Indulgentias perpetuas multis conceſſimus de percipiendis fructibus Beneficiorum ſuorum: Diſtributionibus quotidianis dumtaxat exceptis*: ibi ſubdit Gloſſa: *Diſtinguuntur igitur fructus Beneficiorum a Diſtributionibus quotidianis; ſicuti non diverſimode ſtatuit antea Honorius PP. III. (c)*.

5. Proinde ſtatuimus hac in re, quod docet Cardinalis de Luca, his verbis: „ Diſtributiones tranſmittuntur ad hæredes ex ea congrua ratione, quod iſtæ „ non important Emolumentum, cum quo Beneficiatus aſsimilatus Uſufructua„ rio ex Legato, vel Donatione, foveat cauſam lucrativam; ſed dicuntur præ„ mium, vel ſalarium laboris, & ſervitii: Unde propterea illarum lucrum per„ ficitur ſingulis diebus, ac horis, in quibus ſervitium præſtatur, dilatâ ſolum „ ſolutione, vel executione pro majori commoditate.. Neque ſubjacere one„ ri in decimis Papalibus, aliiſque oneribus, & contributionibus ſuper fructibus „ Beneficiorum; quoniam Diſtributiones diverſæ ſunt a fructibus Beneficiali„ bus: Concilium enim (Seſ.24. Cap.12. de Ref.) diſtincte loquitur de Diſtributionibus illis verbis: *Diſtributiones vero, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui, qualibet colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant, juxta Bonif. VIII. Decretum, quod incipit: Conſuetudinem: quod Sancta Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus (d)*.

## CAPUT IV.

### *De Modo repartiendi prædicta Emolumenta Hebdomadariis.*

1. Quoniam Capitulares præcipue tribus generibus fructuum perfruuntur, ratio poſtulat, ut æque ferme Hebdomadarii gaudeant; nempe ex Cenſibus, Triticis, & pecuniis percipi ſolitis ex Adventitiis, venditione Nemorum frugum, Siliquarum, Caſtanearum, Terrularumque Locationum. Quapropter ſtatuimus, in principio Anni, ex ſummis cenſuum efformandas eſſe decem, & novem Cedulas (quantum poterit) æquales, ſive ejuſdem ſummæ per Procuratorem Capituli per ſortem diſtribuendas, incipiendo a primo noſtro

(a) *Ex eod. Bonif. VIII. Cap. Conſuetud. unico de Cler. non reſid. in 6.*

(b) *Joan. Azor. Inſtit. Moral. parte 2. lib. 8. Cap. 3. q. 9, & cap. 8. qu. 17. Covar. in Cap. cum in off. Charit. 7. n. 4 de Teſtam. Rota apud Car. Seraf. deciſ. 594. n. 6. Giganſ. conſ. 144. n. 21., & 34.*

(c) *Ipſe Bonif. VIII. in Cap. quia per ambitioſam impetratur 15. ſive final. de reſcript. in 6. ibi Gloſ. V. diſtribut. Honor. 3. in Cap. licet vobis dilex. 32. ibi Gloſ. V. diſtrib. de Præbend. & Dignit.; & Cap. cum non deceat de Elect. in 6. Rot. apud Durand. deciſ. 411. n. 6. parte 2. & deciſ. 289. n. 1. apud eumdem Barboſ. de off. & poteſt. Epiſc. allegat. 19 n. 24.*

(d) *Card. de Luc. adnotat. ad Jud. diſcur. 25. n. 14., & 15. Trid. Seſ. 22. cap. licet, ex C. extirpante C. qui vero de Præbend. C. quia nonnulli de Cler. non reſid.*

Digitized by Google

ſtro Participante Domino Epiſcopo uſque ad ultimum Hebdomadarium ; & cuilibet intereſt, a Debitoribus in ſua reſpective Cedula adnotatis, exigere ; & cum inculpabiliter non poterit ; certiorare, reciproco firmato Documento, teneatur Procuratorem in Menſe Septembris, ad hoc, ut ab iſto dumtaxat, non vero a ſingulis Debitores, prout de Jure, adſtringantur.

2. Ex frumenti vero quantitatibus ab ipſomet Procuratore, & a Canonico *Polizzario* deducenda ſunt modia triginta ſex, quæ diſtincte repartiantur, etiam ad ſortem, ſingulis Hebdomadariis in Menſe Julii ; & alia ſuperantia modia noſtris tredecim Participantibus, firmo remanente Procuratori onere recompenſandi ex communi Maſſa modia illa frumenti, quæ adhibitis diligentiis ab aliquo exigi non potuerint a Debitoribus in propria ſua reſpective Schedula deſcriptis : & omnia hac in re confirmamus, quæ in noſtris Capitularibus Statutis ſanximus.

3. Portiones porro Frumenti ſingulis Hebdomadariis diſtributæ, computentur in ducatos viginti quatuor ad rationem Taxæ, ſeu vulgatæ vocis Taxati pretii, ut moris eſt : ſicuti prædictæ Cenſuum quantitates ; quibus omnibus deductis, Procurator, quod reliquum ſpectat ad ipſos Hebdomadarios, ſolvat ex enunciatis ſummis provenire ſolitis in pecunia.

## CAPUT V.

### *De Oneribus Hebdomadariis annexis.*

1. OMnes Divina per ſe, & non per ſubſtitutos (nempe per ſimplices Presbyteros) compellantur obire officia, & Epiſcopum celebrantem, aut alia Pontificalia exercentem aſſociarem, & aſſiſtere, juxta eorum gradum, ſubjectionem, & Prioritatem : Atque in Choro ad pſallendum inſtituto Hymnis, & Canticis Dei Nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare ; Lectiones, Martyrologiumque legere, vel cantare ad nutum Choro Præfecti ; Munere Diaconi, & Subdiaconi in Altare perfungi ad libitum Dignitatis, vel Canonici Celebrantis ; omniaque ſervare, quæ in noſtris Capitularibus ſtatutis ſanximus, & præſertim de Diſciplina Chorali ; atque ſupra præſcripſimus, ſervata laboris, & Turni æqualitate.

2. Inſuper coadjuvare in cura Animarum Rev. Archipresbyterum; cujus prudentiæ, ſervata laboris æqualitate inter eos, prout opus fuerit, remittimus in omnibus, tam pro aſſiſtentiis, ac deferendis Sacramentis Infirmis, baptizandis infantibus, catechizandis pueris, rudibuſque in doctrina Chriſtiana, aliiſque ad ipſam curam Animarum pertinentibus. Ultimo tamen ex Hebdomadariis incumbit perfungi munere Coadjutoris Canonici Sacriſtæ Majoris. Etenim quemadmodum ultimus Canonicus ex noſtris Capitularibus Inſtitutis, habet onus ejuſmodi officium exercendi ; ita ſtatuimus, ut ultimus Hebdomadarius coadjuvare debeat in omnibus, quæ pertinent ad ejuſmodi munus, recte, laudabiliterque perfungendum.

3. Quemadmodum ſupra diximus, ex communi Maſſa præfatam ſummam ſolvendam eſſe Hebdomadariis ; ita rationabiliter ſtatuimus, ut pro ea tuenda, ne lædatur quomodocumque, & qualitercumque, quiſque Hebdomadarius, vel aliquis eorum, cum deputatus fuerit a Capitulo, teneatur obedire, & accedere quo neceſsitas, vel utilitas poſtulat ; & pro ejus labore, ſeu incommodo lu-



Digitized by Google

cretur pro unaquaque die, qua ad ſervitium Capituli vacaverit, Carolenum unum; & quando acciderit extra limites hujus Civitatis, ſuppeditentur etiam expenſæ pro itinere. Necnon convenire omnes ad comitandum Sanctiſsimum Sacramentum, vel Viaticum tam ipſiſmet inſimul cum Capitulo, quam Capitularibus infirmis. Et in omni prædictorum onerum tranſgreſsione, multa erit ut infra dicemus.

4. Eadem ratione, ob quam perfruuntur quartâ ex Miſsis, Anniverſariis votivis, Adventitiis, ac incertis, tenentur contribuere quartam partem pro ceris, quæ pro iis celebrandis opus ſunt; Tum etiam eandem quartam partem pro expenſis Advocati, & ad lites Procuratoris, cum juſte, & Sapientis conſilio a noſtro Capitulo ad Jura, ac bona tuenda, ſuſcipiuntur, quæ itidem ad Hebdomadarios pertinent; Aluntur enim Capituli reditibus ob annuos præfatos viginti quatuor ducatos cuilibet ſolvendos. Necnon proviſi a Sede Apoſtolica ducatos ſex, & ab Ordinario duodecim, a quocumque nupero Hebdomadario contribuendos; ſicuti a præſentibus, ſaltem in ſecundo Anno in uſum Sacriſtiæ, quemadmodum proportione ſervata, ratione mediæ Annatæ de Canonicis ſtatuimus.

5. In quibus contributionibus, quoad ceras, ſtandum eſt Fidei Canonici Sacriſtæ Majoris: de impendendis in uſum Sacriſtiæ parendum omnino eſt Domino Epiſcopo: De cœteris autem prorſus acquieſcendum Capituli Procuratoris Computis. Et in caſu gravaminis, abſque ulla tergiverſatione, quolibet actu judiciario poſtpoſito, remittendum eſſe ſtatuimus arbitrio, & conſcientiæ noſtri Ordinarii pro tempore Præſulantis: Renunciantes formiter in perpetuum cum Juramento cuilibet Appellationi, aut Legum remediis, ſub pœna tranſgreſſori, qui inobedire, & litigare auderet, perjurii, & *amiſſionis* quoque medietatis fructuum, ſeu Diſtributionum: Quam pœnam, ut *ſupra*, ſtatuimus non ſolum Hebdomadariis, ſed etiam noſtris Capitularibus etiam quoad Puncta infra taxata.

6. Non prætermittimus meminiſſe, quod Hebdomadarios, ſicuti Canonicos, ipſos, callere oporteat cantum Gregorianum, adeoque addiſcere curandum; ac pariter ritum, & modum adminiſtrandi Sacramenta; ſtudium caſuum moralium, doctrinæ Chriſtianæ; ſunt enim etiam ſtatuta pro Cura Animarum, ut ſupra diximus, ſub pæna amiſſionis Diſtributionum æque ac Canonici, ut in noſtris Statutis Capite de Officio cujuslibet Canonici.

7. Præter recenſita onera, tenentur celebrare annuas triginta Miſſas in perpetuum, nempe quinque annuatim ex ſingulis eorum; diebus tamen Feſtivis occurrentibus in Aurora (exceptis Dominicis, in quibus adeſt Legatum per qu. Archipresbyterum D. Nicolaum de Paulo in ultimo ſuo Codicillo); Et ſi acciderit proventus alterius Legati vel Capitulo, vel Hebdomadariis pro miſſis etiam in Aurora iiſdem Feſtivis diebus; dictæ Miſſæ celebrandæ erunt ante meridiem poſt Miſſam ultimam in Cathedrali cantatam, completam. Verum cum aliquis iis diebus habuerit onus applicandi Sacrificium propter aliud ſtipendium acceptum, poterit alia die etiam feriali applicare prædicta Sacrificia (dummodo non omittatur tempus deſignatum pro Populi commodo) pro noſtro Domino Epiſcopo, ejuſque intentione, ob Legatum ab ipſo inſtitutum Capitalis in ducatis ſeptuaginta quinque; Et ex illo annuos ducatos quatuor cum dimidio ad rationem ſex pro centenario, iiſdem Hebdomadariis traditis ſolutis, & enumeratis cum facultate utendi in ſubſidium pro expenſis habitis

in

Digitized by Google

in Romana Curia propter Erectionem, Inſtitutionem, & fundationem ipſorum Hebdomadariorum. Etenim majores ultro expenſæ pro Sanativa, ſeu Apoſtolica Gratia, & pro Alternativa, & pro unione Beneficiorum ſuppeditatæ ſunt a noſtro Capitulo; & tenuem reſpective dictorum ducatorum ſeptuaginta quinque contributionem, quoniam nuperis Hebdomadariis non erat in ære, placuit Domino Epiſcopo erogare, inſtituendo enunciatum Legatum cum prædicto onere, & cum conditione, ut ſi ipſi, vel ſucceſſores Hebdomadarii neglexerint, vel renuerint ejuſmodi onus, tunc teneantur ex propriis fructibus, quos nunc pro tunc ſequeſtratos decrevimus, donec remittantur in Capſa Capitulari prædicti docati ſeptuaginta quinque, inveſtiendi in emptionem alicujus Fundi frugiferi, vel annuorum introituum emptionem; Ad hoc ut ex fructibus ſatisfiant per ipſos Hebdomadarios prædictæ Miſſæ triginta diebus, & hora, uti ſupra; onerando conſcientiam etiam noſtri Capituli, cujus ſinguli, Dignitates, & Canonici teneantur invigilare pro dicti Legati executione, quam itidem committimus, & commendamus pro tempore Præſulantibus Epiſcopis, ut clarius patet ex Inſtrumento inter Dominum Epiſcopum, & Hebdomadarios, Capitularibus interventis, rogato per Magnificum Notarium Regium, & Apoſtolicum Joſephum Euſtachium Mongelli hujus Civitatis, ſub die vigeſima ſeptima currentis Menſis Januarii Anni 1749.; ad inſtar alterius Legati ſimiliter ex ejuſdem Domini Epiſcopi Paterna erga Nos benignitate inſtituti ſub die tertia Februarii elapſi Anni 1748. per dictum Notarium Mongelli.

## CAPUT VI.

### *De Multis, ſive Punctis.*

1. PRæſuppoſita immemorabili conſuetudine, in Capitularibus Statutis confirmata, quod Deputatio Punctatoris (citra præjudicium Juris Fiſcalis Reverendiſſimæ Curiæ) pertineat ad Capitulum; nihil innovetur; niſi propter Alternativam Capitularibus conceſſam; duos eligendos Punctatores (ſicuti duos Secretarios, quorum prior electus cuſtodiat Archivi Clavem) ſtatuimus, quibus fides præſtanda ab Hebdomadariis, æque ac a Capitularibus, ut in Statuto de Punctatore, & in antecedenti Capite decrevimus. Quique electi teneantur tam Munus Punctatoris, quam Cæremoniarum Magiſtri in ſua præſcripta Hebdomada alternative exercere; & pro medietate frui Honorario in Capitularibus ſtatutis taxato (& ſimiliter dicimus de Secretariis). Quod ſi electi renuerint acceptare, ſolvent in pœnam prædictam Honorarii medietatem, nempe Carolenos decem, juxta laudata noſtra Statuta. Si vero electus in officium Punctatoris, & Cæremoniarum Magiſtri; ſicuti electus in Secretarium, & Archiviſtam, unum tantum ex iis Muniis exercuerit; cujus Honorarium erit Carolenorum tantum quinque; & Comes, qui auxerit ſibi onus, lucretur alios quinque, quos tranſgreſſor amiſerit.

2. Methodum autem præſcribimus punctandi Hebdomadarios, nimirum in dimidiam ſummam, qua punctantur Canonici, calculandam ex noſtro Inſtituto de Punctatore. Addimus autem, quod infirmi, & convaleſcentes, tantum præſentes in hac Civitate, a Punctis eximuntur, ut ſupra diximus in Capite III. Similiter, quod ſolito puncto multandi ſint tam Capitulares, quam Hebdomadarii non intervenientes poſt Completorium ad recitandum Matuti-

num

Digitized by Google

num cum Laudibus cujuſque Feſti de Præcepto ſequentis.

3. Addimus inſuper: qui ex Hebdomadariis acceſitus ab Archipresbytero pro cura exercenda Animarum; vel ultimus Hebdomadarius a Sacriſta Majori, ut ſupra Capite V. dictum eſt, renuerit munus ſuum adimplere, pro qualibet inobedientiæ vice, punctum erit duorum aſſium, onerando conſcientiam tam Archipresbyteri in punctandis deficientibus ad curam pertinentibus, quam Sacriſtæ Majoris, reſpectu ultimi Hebdomadarii ejus Coadjutoris: quorum intereſt de prædictis Punctis in fine Anni notam tradere Procuratori Capituli. Eodemque puncto multetur Deputatus a Capitulo, ſi accedere recuſaverit quo neceſſitas, vel utilitas ejuſdem Capituli poſtulat; & ſimiliter accedere recuſantes ad deferendum Viaticum, ut ſupra diximus Capite V. de Oneribus.

4. Inſuper ſtatuimus, quod cum acciderit abſentia omnium ſex, vel ſaltem quinque ex Hebdomadariis, punctentur pro rata portionis; vigore Concilii Tridentini per hæc verba (a): (*quod ſi quolibet die ſtatuto non impleverint, illius diei diſtributiones amittant*) ſuper viginti quatuor ducatis, nempe aſſium ſex cum duobus tertiis ob cujuslibet ex ſex, vel ex quinque conjunctim abſentiam in ſingulis diebus; quas portiones lucrentur pro medietate aſſiſtentes pro munere Diaconi, & Subdiaconi; & altera medietas adiiciatur punctis in Maſſa Communi.

5. Multam quoque præſcribimus tam Capitularibus, quam Hebdomadariis, quibus incumbit onus interveniendi *gratis* Exequiis, & aſſociare, ut moris eſt, Defunctum tam Capitularem, quam Hebdomadarium ſub puncto Capitularibus unius Caroleni, & Hebdomadariis caroleni dimidii. Ceræ autem quoad Capitulares ſubminiſtrentur ad normam Statuti in Cap. de Canonico Defuncto; Quoad vero Hebdomadarios, ſumptibus hæredum; vel ex ipſorum reſpective fructibus (qui exiſtent penes Procuratorem Capituli) ad Hebdomadarium Defunctum pertinentibus; Cum onere ſimiliter canendi Miſſam, & integrum officium Defunctorum in die obitus, tam pro Capitulari, quam pro Hebdomadario defuncto; & dumtaxat carolenus unus erit contribuendus Rev. Archipresbytero, vel alteri Canonico celebranti ex Maſſa Communi Capituli, quoad Capitulares, incluſo Domino Epiſcopo; & quoad Hebdomadarios ex communibus portionibus ad ipſos ſpectantibus; minime defraudatis duabus Miſſis vigore Concordiæ memoratæ in noſtris Statutis de Canonico Defuncto, cum alio Funerali perſolvendo tertio die, vel alio non impedito.

6. Multæ omnes, ſeu Puncta tam Capitularium, quam Hebdomadariorum cumulentur in Maſſa Communi, & dividantur pro tribus portionibus ipſis Capitularibus; & quarta diſtribuatur Hebdomadariis; quos, etiam advertimus, cenſendos eſſe præſentes in Choro, ac in Altari, cum vel ad excipiendas Confeſſiones in Cathedrali, vel ad quamlibet Animarum curam actu inſervierint.

## CAPUT VII.

### *De Alternativa.*

1. VIgore præinſertæ Bullæ, ac Decreti ſequentis ſtatuimus, debere Hebdomadarios quolibet die inſervire, & dumtaxat Capitulares gaudere Alterna-

(a) *Ex Trid. Seſ 22, cap. 3. de Reform. Zerol. prax. Epiſc. lit. diſtrib. ad 3. dub.*

Digitized by Google

ternativa ; exceptis Funeralibus, Miſſis votivis, Anniverſariiſque adventitiis, incertis, in quibus Emolumenta dividuntur inter præſentes, cum pecunia numerata ſolvuntur: Quando vero exigi debeant poſt aliquam temporis dilationem, debitis Cautelis concordatam a Procuratore, tunc punctentur ad portionem, ut ſupra diximus. Tempore vero Adventus, Quadrageſimæ, ac in ſingulis diebus Feſtivis convenire teneantur omnes ſub ſtatutis multis; & ſimiliter in omnibus Proceſſionibus.

2. Ne autem confundatur ordo prædicta Alternativa fruendi, ſtatuimus, & deſignamus: ***Pro prima Hebdomada*** intereſſe debeant = Prima Dignitas = Tertia Dignitas = Sextus Canonicus = Septimus Canonicus = Decimus Canonicus = ac Canonicus duodecimus = ***In ſecunda Hebdomada*** = Secunda Dignitas = Quarta Dignitas = Canonicus quintus = Canonicus octavus = Canonicus nonus = & Canonicus undecimus: omnes tamen aſſidendi in proprio Stallo. Quæque Hebdomada incipit a Dominica, & deſinit Sabbato poſt perſoluta omnia divina Officia tali diei præfixa = Quiſque Capitularis ſubſtituere de eodem gremio Capituli alterum poteſt, & ſubſtitutus certiorare tenetur Punctatorem de ſuo Principali, cujus vices gerit = In reſpective ſua Hebdomada Punctator, & Secretarius, cum adjunctis reſpective Officiis Magiſtri Cæremoniarum, atque Archiviſtæ, adimplere tenentur, ut ſupra diximus.

3. Tandem ad majorem Capituli commodum, ac Defunctorum hæredum opportunitatem, ſtatuimus: ex ſupradictis pro Funeralibus Emolumentis, quando erunt Carolenorum triginta quinque, deductis carolenis tribus ex Epiſcopali Quarta pro Hebdomadariis, ut ſupra explicatum eſt; duobus pro Miſſa ſpectantibus ad Rev. Archipresbyterum: carolenis viginti quatuor dividendis noſtris Capitularibus; alium ſuperſtitem Carolenum, de quo aſſes duo cum dimidio ſpectarent etiam ratione Quartæ ad Dominum Epiſcopum, & aſſes ſeptem cum dimidio ad duodecim Capitulares, dandum eſſe Sacriſtæ Minori noſtræ Cathedralis, (& quando Funeralia ſolvuntur pro medietate, tantum aſſes quinque) cum onere deferendi per ſe, vel per alium, Crucem, & parandi Delatores Feretri, ac cætera omnia neceſſaria pro dictis Funeralibus; quæ ſi ad libitum Capituli fuerint cum aſſiſtentia, teneatur etiam procurare Clericos, vel Novitios ad ejuſmodi ſervitium neceſſarios; qui ſi recuſaverint, annotentur a Canonico Sacriſta Majori, ut ab Ordinibus recipiendis, tanquam inobedientes, arceantur. Et cum *gratis* perſolventur, etiam ipſe *gratis* ad hæc omnia teneatur. Adjuncto pariter eidem onere dictam Crucem deferendi, vel deferre facere per alios gratis in omnibus Proceſſionibus Capituli, ſub pena in quacumque deficientia, ſeu prædicti oneris tranſgreſſione, aſſium quinque, ab ipſo Sacriſta Minori ſolvenda, vel retinenda ex ſtipendio ad eundem ſpectante, ac applicanda cæteris punctis =

Itaque tam præſentes Leges, & Conſtitutiones a Nobis ſubſcriptis, ac pariter a Nobis inſcriptis Dignitatibus, Canonicis, & inſtitutis Authoritate Apoſtolica Hebdomadariis, prævia Profeſſione Fidei, decernimus, eſſe obſervandas, tam a præſentibus ipſis, quam a Succeſſoribus, ad quos ſpectat, & pertinet, & pro tempore ſpectabit, & pertinebit; ſub pœnis in controvenientes in ipſis ſtatutis, (& in aliis prius editis, & Authoritate Apoſtolica approbatis) inflictis, & a Nobis pro opportunitate infligendis; ita ut nemini Poſſeſſio vel in Dignitatem, vel Canonicatum, vel in Hebdomadarium deinceps ſit tradenda, niſi præſtito formiter Juramento de earumdem ſedula obſervantia, ac Fidei Pro-

Profeſsione elicita, ſub pœna Poſſeſsionis invaliditatis, ac Fructuum privationis, etiam quoad Canonicos Honorarios Succeſſores in Cathedrali; prædicta perſolvenda, & Inſignia recipienda.

Et quoniam quæ ab initio voluntatis ſunt, poſtea Partium conſenſu fiunt neceſſaria (a); tanquam conventiones, ac pacta reciproco conſenſu edita, & acceptata, & Juramento roborata in perpetuum rite, recte, ſancteque a Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Capitularibus, & Hebdomadariis cuſtodienda, & ad unguem adimplenda, adſtringimur. Datum Nuſci ex noſtra Reſidentia die vigeſima ſeptima Menſis Januarii Anno Domini Milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo nono cum facultate addendi, minuendi, interpretandi, diſpenſandi opportune videbitur &c.

Cajetanus Epiſcopus Nuſcanus, ac Apoſtolicus Delegatus — Fabricius Archid. de Auria Vic.Gen.—Felix Archipr. de Paulo Secunda Dignitas—Cyriacus Prudente Primicerius Major Tertia Dignitas—Angelus de Paolo Primicerius Minor Quarta Dignitas—Jacobus Prudente Canon. —Nicolaus Canon. de Mita—Onuphrius Canonicus Mottula—Emmanuel Canon.Pellecchia—Andreas Canonicus Mongelli—Nicolaus Canonicus de Natale—Canonicus Andreas Benef. Santagata—Fabius de Paulis Parochus Sancti Joannis Evang.Can. Honorarius—Michael de Donatis Parochus Sanctæ Mariæ Veteris Canonicus Honorarius—Bartholomæus Piſcione Parochus Sanctæ Mariæ Zitæ, ſive Sanctiſſimæ Trinitatis Canonicus Honorarius—Antonius Gaudiello Hebdomadarius—Franciſcus Paſſaro Hebdomadarius—Franciſcus Verderoſa Hebdomadarius—Januarius de Natale Hebdomadarius—Cyriacus Ciciretti Hebdomadarius--Thomas Mongelluzzo Hebdomadarius--Io D.Nicola Spagnoletti ſono Teſtimonio--Io D.Antonio Juliano ſono Teſtimonio--Io D.Filippo d'*Arminio* ſono Teſtimonio--Io Suddiacono Antonio Santagata ſono Teſtim. -- Dominicus Ceſalo præſens & Teſtis--Io Filippo Clerico Juliano ſono Teſtim. -- U.J.D. Nicolaus Maria de Paula à Fontanaroſa, Actualis Gubernator, & Judex hujus Civitatis Nuſci præſens, & Teſtis--Ego Reg. & Apoſtolicus Notarius Joſeph Euſtachius Mongelli ſum Teſtis.

Supraſcripta Statuta Authoritate Apoſtolica edita, probata, confirmata, & ſubſcripta ab Illuſtriſs.,& Reverendiſs.Domino D.Cajetano de Arco Epiſcopo hujus Civitatis Nuſci, fuiſſe lecta, laudata, recepta, & acceptata a RR. Dignitatibus, Canonicis Reverendiſs. Capituli, Parochis Canonicis Honorariis, & Hebdomadariis ſupraſcriptis; & ab iis, & a ſingulis eorum omnium propriis manibus ſubſcripta, præſtito Juramento ſub infraſcripta formula, tactis Sanctis Evangeliis coram eodem Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domino Apoſtolico Delegato in mei, & ſupraſcriptorum Teſtium præſentia, teſtor Ego Canonicus Andreas Beneficiatus Santagata, ejuſdem Civitatis Apoſtolica Authoritate Notarius, in Archivo Romanæ Curiæ adſcriptus, Ordinarius Rev. Curiæ Epiſcopalis Nuſcanæ Cancellarius: Et in fidem, meo, quo utor, Signo requiſitus ſignavi. Locus ✠ Signi.

*Formula Juramenti.*

Ego N. N. hujus Sanctæ Cathedralis Eccleſiæ Nuſcanæ (Dignitas, Canonicus, Parochus Canonicus Honorarius, Hebdomadarius reſpective, ut ſupra) promitto, ſpondeo, voveo, atque juro coram Summo Deo Patre, Filio, atque Spi-

(a) *L. ſicut C. de oblig. L. ſæpe de Off. Præſ. Filius Familias §. Invitus ff. de Proc.*

Spiritu Sancto, Sacroſanctis Evangeliis tactis, me in hoc munere meo, Conſtitutiones, & Statuta hujs Reverendiſs. Capituli, ejuſque Cathedralis Eccleſiæ, ad unguem ſervaturum, defenſurum, ac curaturum, quantum in me erit, ut ab aliis obſerventur, & defendantur; nec unquam me ab iſto Juramento præſtito abſolutionem impetraturum, nec ea impetrata uſurum: Atque ſingula ſingulis referendo fieri me conſenſurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

*Jeſus, &c.*: Quam enunciatam Juramenti Formulam inſimul ac Fidei Profeſsionem peragendam eſſe ab omnibus, & ſingulis Dignitatibus, Canonicis, Parochis Canonicis Honorariis; & Hebdomadariis Succeſſoribus; ante Poſſeſſionem capiendam; atque Inſignia recipienda in noſtra Cathedrali in perpetuum; ſub pœna Invaliditatis Actus, Fructuum, & Inſignium Privationis, decernimus, & declaramus; atque ita ſervandum Apoſtolica Authoritate præcipimus, & mandamus &c.

*Cajetanus Epiſcopus Nuſcanus Apoſtolicus Delegatus.*

Eodem retroſcripto die vigeſimo ſeptimo Menſis Ianuarii 1749. Nuſci &c. Per me infraſcriptum, enunciatum Decretum propriis manibus Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domini Epiſcopi Apoſtolici Delegati ſcriptum, & ſubſcriptum, fuit lectum, & promulgatum coram retroſcriptis RR. Dignitatibus, Canonicis, Parochis Canonicis Honorariis, & Hebdomadariis, atque ab Ipſis receptum, acceptatum, & laudatum, iiſdem ſupraſcriptis Teſtibus præſentibus; Et in fidem &c. *Can. D. Andreas Benef. Santagata Not. Apoſt., & Canc.*

In Nomine Domini. Amen.

*Cajetanus de Arco U. J. D., & in Almo Theologorum Collegio Neapolitano Doctor, ac Magiſter, Abbas Sanctæ Mariæ de Fontiliano, Præpoſitus Sancti Petri in Vinculis de Trivico, ac Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Gratiâ ex Strongylenſi Epiſcopus Nuſcanus, necnon ad infraſcripta Authoritate Delegatus &c.*

Viſis retroſcriptis Litteris Apoſtolicis in forma Bullæ cum Plumbo expeditis a Sanctiſſimo D.N.D. Benedicto XIV. Pontificatus ſui Anno nono, Romæ apud S.Mariam Majorem Idibus Novembris Anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo cum Regio *Exequatur*, exhibitis per RR. Dignitates, & Canonicos Cathedralis Eccleſiæ Nuſcanæ, & per Sacerdotes, & Cives hujus Civitatis Nuſci, in Hebdomadarios in dicta Bulla nominatos, & cognominatos: Statutis tam prius, quam nuper editis pro Capitularibus, quam pro Hebdomadariis, ac Actis omnibus: Vocatis de jure evocandis, ac omnibus, ad quos ſpectat; auditiſque, ad quos pertinebat audiri; atque conſideratis, ac viſis omnibus in jure, & in facto videndis, & conſiderandis, preceſque eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro porrectas veritate niti comperimus, ac proinde locum eſſe petitis. Idcirco Authoritate Apoſtolica, qua in his fungimur, decernimus, & definitive declaramus, Curam Animarum, quæ olim imminebat quatuor Beneficiis Parochialibus annexa, jamdiu dirutis, & collapſis parvis Eccleſiis Sancti Andreæ Apoſtoli, Sancti Joannis Baptiſtæ, Sancti Bartholomæi Apoſtoli, & Sancti Euſtachii, perpetuo eſſe abdicandam, & ſeparandam, ſicuti præſenti Decreto abdicamus, & ſeparamus, ac eorum fructus, reditus, & proventus, inſimul cum aliis fructibus ex ſeptem ſimplicibus Beneficiis ſub titulis Sancti Alicandri, Sancti Pancratii, Sancti Potiti, Sancti Laurentii, San-



Digitized by Google

cti Juliani, Sancti Michaelis, & Sancti Antonii de Padua, necnon ex primo quomodocumque, & qualitercumque vacaturis (etiam cauſa reſignationis, vel vacationis apud Sanctam Sedem) aliis duobus Beneficiis, ſive &c. ſub Titulo Sanctæ Crucis, quod modo poſſidetur a Reverendiſſimo D. Fabricio de Auria Archidiacono Prima Dignitate dictæ Cathedralis, & alterius ſub titulo Sancti Donati a Rev. D. Andrea Santagata Canonico ejuſdem majoris Eccleſiæ Cathedralis, (quorum omnium præfatorum fructus, Reditus, & Proventus nonaginta quinque ducatorum auri de Camera, ſecundum communem æſtimationem, valorem annuum, Nobis etiam conſtat, non excedere) perpetuo uniendos, annectendos, & incorporandos, prout præſenti Decreto unimus, annectimus, & incorporamus Menſæ Capitulari dictæ majoris Eccleſiæ Cathedralis, ejuſque commodum, & utilitatem; cujus univerſis, & ſingulis Dignitatibus, & Canonicis legitimam, & Realem, & Perſonalem Poſſeſſionem eſſe tradendam, ſicuti tradimus, immittimus, & in eandem Poſſeſſionem inveſtimus; & nunc pro tunc reſpectu pariter dictorum duorum Beneficiorum Sanctæ Crucis, & Sancti Donati: Cum onere tamen eiſdem Dignitatibus, & Canonicis, ac integro Capitulo correſpondendi, ſolvendi, ſatisfaciendi, ac contribuendi viginti quatuor ducatos Monetæ Regni cuilibet ex præſentibus, & futuris Hebdomadariis in perpetuum annuatim perſolvendos: Quibus annectimus pro Exequiis ſummam trium Carolenorum pro quolibet integro funere, ac alia Emolumenta, ut in ſtatutis, Legibus, & Conſtitutionibus, etiam Authoritate Apoſtolica emanatis; ac prius editis, examinatis, probatis, & confirmatis; quibus omnibus ſtandum eſſe volumus, & mandamus, & præcipue tam pro Emolumentis, quam pro oneribus, Inſignibus, aliiſque præſcriptis, & deſignatis ipſis Capitularibus, & Hebdomadariis, tam etiam pro inſtituta Alternativa inter Capitulares tantum, ne diſſidia inſurgant inter Cives hujus Civitatis, quorum Majores, ac multi quoque ex iis viventes Anniverſaria legaverunt RR. Capitulo in eo ſtatu, quo omnes duodecim intereſſe, & perſolvere deberent. Ea propter in ſingulis Hebdomadis, ac diebus ipſos Hebdomadarios ſervitio Chori intereſſe, & pro exercitio Animarum Curæ Rev. Archipresbyterum coadjuvare præcipimus: Quæ omnia, & ſingula executioni demandanda, ſicut præſenti Decreto, Authoritate Apoſtolica, ad unguem, & ſedulo obſervari mandamus, ſervatis omnibus aliis, quæ in laudata Bulla continentur, & ſimiliter quæ in Statutis prædictis ſanximus, præcepimus, approbavimus, & exequi mandavimus, tam in prioribus prædigeſtis Statutis, continentibus viginti ſex Capita in noſtra Synodo confirmata, etiam Juramento roborata in tertia Sacræ Pentecoſtes die quarta Menſis Junii milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo octavo, quam in nuper editis in ſeptem Capita ſub die vigeſima ſeptima proxime elapſi Menſis Januarii currentis Anni, Juramento pariter firmatá. Et ita per eos, ad quos ſpectat, & pertinet, & pro tempore ſpectabit, & pertinebit ſervandum ſub pœnis in prædictis Conſtitutionibus in controvenientes inflictis, & a Nobis, & Succeſſoribus noſtris pro opportunitate infligendis. Pro quibus omnibus debitæ executioni demandandis, denominatis, & electis Hebdomadariis, nempe RR. D. Antonio Gaudiello, D. Franciſco Paſſaro, D. Franciſco Verderoſa, D. Januario de Natale, D. Cyriaco Ciciretti, & D. Thomæ Mongelluzzo tradenda eſt realis, & pacifica Poſſeſſio, ſicuti mandamus, quod iidem enunciati immittantur in veram, Realem, Corporalem, & Perſonalem Poſſeſſionem. Ita eâdem Apoſtolica Authoritate dicimus,

mus,

Digitized by Google

mus, decernimus, declaramus, & diffinitive ſententiamus, non ſolum præmiſſo, ſed omni meliori via, modo, & forma &c. a Jure permiſſis, & non aliter &c. Datum Nuſci ex noſtra Epiſcopali Reſidentia die prima Menſis Februarii milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo nono.

*Cajetanus Epiſcopus Nuſcanus Autheritate Apoſtolica Deleg.*
*Canonicus D. Andreas Benef. Santagata Not. & Canc.*

Eodem retroſcripto die præſens decretum ab Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domino D. Cajetano de Arco Epiſcopo hujus Civitatis Nuſci, Authoritate Apoſtolica ſententiatum, & evulgatum, fuiſſe lectum, latum, promulgatum (eodem Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domino Delegato Apoſtolico pro Tribunali Sedente) coram RR. Dignitatibus, Canonicis, Parochis Canonicis Honorariis, & Hebdomadariis, a quibus Omnibus, & Singulis eorum fuiſſe pariter laudatum, receptum, & acceptatum, præſentibus pro Teſtibus Magnifico Joſepho Euſtachio Mongelli Regia, & Apoſtolica Authoritate Notario, Magnifico Dominico Ceſalo, necnon RR. D. Nicolao Spagnoletti, D. Philippo de Arminio, Diacono Angelo Gaudiello, Subdiacono Antonio Santagata, Clerico Philippo Juliano, ac aliis hujus Civitatis Nuſci; Et in fidem Ego Canonicus D. Andreas Benef. Santagata Nuſcanus, Ordinarius Cancellarius Epiſcopalis Curiæ, ac Apoſtolica Authoritate Notarius, & in Archivo Romanæ Curiæ adſcriptus, requiſitus ſignavi . . . . . . . . . . Locus ✠ Signi.

*In Dei Nomine. Amen.*

Nuſci die ſecunda Menſis Februarii occurrente Dominica Septuageſimæ, Anno Incarnationis reparatoris Noſtri Jeſu Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo nono; Illuſtriſs., & Reverendiſs. Dominus D. Cajetanus de Arco Epiſcopus Nuſcanus, Delegatus Apoſtolicus pro executione præinſertæ Bullæ elargitæ a Sanctiſs. Domino Noſtro Benedicto Papa XIV., & Decreti, vigore dictæ Bullæ lati per eundem Illuſtriſs., & Reverendiſs. Dominum Apoſtolicum Delegatum, ut ſupra; hora decima quinta Rochetò, & Cappa indutus, comitantibus RR. Dignitatibus, Canonicis de Capitulo, necnon Parochis Canonicis Honorariis, Hebdomadariis, aliiſque dè Clero, ac de Regimine hujus Univerſitatis, cæteriſque Civibus, & Officialibus Laicalis Curiæ Localis, Pallii ſex haſtas deferentibus; ad Januam hujus Cathedralis Eccleſiæ, deoſculata Cruce ſuper ſtrato, porrecto per Reverendiſſimum Archipresbyterum Aſperſorio cum aqua luſtrali omnes adſtantes benedixit, & aſperſit; & ab eodem trino ductu thurificatus proceſſionaliter acceſſit ad Altare Majus, & abſolutis precibus juxta Pontificale Romanum, & adoratione aſſueta; eodem Illuſtriſſimo Domino aſſidente in ſua Sede Pontificali, fuerunt lectæ Literæ Apoſtolicæ in præfata Bulla cum Regio *Exequatur*, ſtatuta, & prælaudatum Apoſtolica Authoritate promulgatum Decretum: Pro quorum effectu fuerunt immiſſi in veram, & realem Poſſeſſionem de Beneficiis in ipſis Litteris, & Decreto enarratis Capitulares, & ſinguli eorum: conceſſa eiſdem Alternativa pro Cathedralis ſervitio, & ab omnibus, & ſingulis acceptum onus ſolvendi Hebdomadariis, quod præfinitum, ac lectum fuerit in prædictis Litteris: & per eundem Apoſtolicum Delegatum tradita Inſignia tam ipſis Parochis Canonicis Honorariis, quam Hebdomadariis, a quibus realis, & Corporalis Poſſeſſio capta in Choro, & pro curæ Animarum exercitio in adjutorium eorum Præſulis Rev. Archipresbyteri: immiſſi pariter in legitimam Poſſeſsionem Sacramentalium, & Sacramentorum adminiſtrationis, aperientes ſinguli eorum,

 & clau-

Digitized by Google

& claudentes Baptiſterium: & ſimiliter reſpectu ultimi Hebdomadarii in adjutorium deſignati Rev. Canonici Sacriſtæ Majoris, aperta, & clauſa ejuſdem Cathedralis Sacriſtiæ Janua: Et per prædictos omnes, nempe Reverendiſsimum U. J. Doctorem D. Fabricium de Auria Archidiaconum, & Vicarium Generalem, RR. D. Felicem Archipresbyterum de Paulo, D. Cyriacum Prudente Primicerium Majorem, D. Angelum de Paulo Primicerium minorem, & Theſaurarium, D. Jacobum Canonicum Prudente, D. Nicolaum Canonicum de Mita, D. Onuphrium Canonicum Mottula, D. Emanuelem Canonicum Pellecchia, D. Andream Canonicum Mongelli, D. Nicolaum Canonicum de Natale, meque infraſcriptum (abſente ſolummodo Canonico D. Dominico de Arminio), D. Fabium Parochum de Paulis Canonicum Honorarium, D. Michaelem Parochum de Donatis Canonicum Honorarium, D. Bartholomæum Piſcione Parochum Canonicum Honorarium; & per Hebdomadarios D. Antonium Gaudiello, D. Franciſcum Paſſaro, D. Franciſcum Verderoſa, D. Januarium de Natale, D. Cyriacum Ciciretti, & D. Thomam Mongelluzzi, emiſſa fuit publice, & ſolemniter, flexis genibus, inſimul cum ipſo Illuſtr. Domino Epiſcopo Fidei Profeſſio, ac præſtitum juramentum de obſervandis Statutis omnibus, & Conſtitutionibus tam prius editis, quam nuper additis, probatis, & confirmatis etiam Authoritate Apoſtolica; & ſub formula in ipſis Statutis appoſita, jure jurando, oſculatis Sacroſanctis Evangeliis, ſe adſtrinxerunt. Indeque ab Ipſo Illuſtr., & Reverendiſs. Domino, habita ad Populum concione, explicando vernacula lingua, & reaſſumendo, quæ in prædictis Literis continentur, omnibus ex prædictis, & adſtantibus quibuſcumque, nemine contradicente, imo acceptantibus, probantibus, & laudantibus; redditæ fuerunt Deo omnium bonorum Largitori debitæ gratiæ per Hymnum *Te Deum*, cum ſolitis verſiculis, & orationibus, cantantibus Organis &c.

Quibus omnibus adimpletis, ſtatim requiſiverunt me, ut Publicum de prædictis omnibus præſentem conficerem Actum. Propterea teſtor in fidem &c. Omni meliori &c. Et ad futuram rei memoriam omnia prædicta veritate niti teſtificor, præſentibus infraſcriptis Teſtibus, cæteriſque plurimis hujus Civitatis Nuſci; & in fidem Ego Canonicus D. Andreas Benef. Santagata Nuſcanus Ordinarius Cancellarius hujus Epiſcopalis Curiæ, ac Apoſtolica Authoritate Not. in Archivo Romanæ Curiæ adſcriptus, & ab eodem Illuſtriſs., & Reverendiſs. Domino Delegato Apoſtolico ad hunc Actum ſpecialiter deputatus, requiſitus ſignavi . . . . . . . . Locus ✠ Signi.

Io D. Nicolò Spagnoletti ſono Teſtimonio.

Io D. Antonio Juliano ſono Teſtimonio.

Io D. Filippo d'Arminio ſono Teſtimonio.

Dottor D. Baldaſſarre Stabile Governadore Generale dello Stato di S. Angelo Teſtimonio &c.

Io Suddiacono Andrea Santagata ſono Teſtimonio.

Io Clerico Filippo Juliano ſono Teſtimonio.

Dominicus Ceſalo præſens, & Teſtis.

Notar. Apoſtolicus Paſchalis de Palma præſens, & Teſtis.

D. Paſchalis de Auria præſens, & Teſtis.

Ego Reg., & Apoſtolicus Notar. Joſeph Euſtachius Mongelli ſum Teſtis.

A P-

Digitized by Google

# APPENDIX

## AD PRIMAM PARTEM CAP. IV. DE DOCTRINA CHRISTIANA

Pro Adoleſcentulis in Scholis a Ludimagiſtris Erudiendis, & ordinandis rationem reddituris in eorum Examine

### PRO PRIMA CLASSE.

*De ſigno Crucis.*

*Magiſter.* Quodnam eſt Signum Chriſtiani?
*Diſcipulus.* Signum Sanctæ Crucis, quod fit dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

*De Oratione Dominica.*

*M.* Quæ eſt Oratio Dominica?
*D.* Pater noſter, ſeptem continens petitiones.
*M.* Eas recita.
*D.* 1. Pater noſter, qui es in Cœlis, ſanctificetur nomen tuum. 2. Adveniat Regnum tuum. 3. Fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in Terra. 4. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. 5. Et dimitte Nobis debita noſtra, ſicut & Nos dimittimus debitoribus noſtris. 6. Et ne nos inducas in tentationem. 7. Sed libera nos a malo. Amen.

*De Salutatione Angelica.*

*M.* Quæ eſt Salutatio Angelica?
*D.* Ave Maria, diviſa in tres partes. 1. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. 2. Benedicta Tu in Mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, Jeſus. 3. Sancta Maria Mater Dei, ora pro Nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

*De Salve Regina.*

*M.* Præter Salutationem Angelicam habes aliam precationem ad venerandam Beatam Virginem?
*D.* Imo in quatuor partes diviſam. 1. Salve Regina, Mater Miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra, ſalve. 2. Ad te clamamus exules Filii Hevæ, ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. 3. Eia ergo, Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad Nos converte. 4. Et Jeſum benedictum fructum ventris tui Nobis poſt hoc exilium oſtende, o clemens, o pia, o dulcis virgo Maria. Dignare, me laudare te, Virgo ſacrata. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Amen.

*De Articulis Fidei.*

*M.* Quot ſunt Articuli Fidei?
*D.* Duodecim.
*M.* Qui?
*D.* 1. Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli, & Terræ. 2. Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unigenitum, Dominum noſtrum. 3. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. 4. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. 5. Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit a Mortuis. 6. Aſcendit ad Cœlos, ſedet ad dexteram

Dei

Digitized by Google

Dei Patris omnipotentis. 7. Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos. 8. Credo in Spiritum Sanctum. 9. Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem. 10. Remiſſionem peccatorum. 11. Carnis reſurrectionem. 12. Vitam æternam. Amen.

*De Septem Sacramentis Eccleſiæ.*

*M.* Ad conſequendum finem, quem Fides proponit, quid tandem eſt neceſſarium?

*D.* Sacramenta, quæ ſunt ſeptem, ideſt. 1. Baptiſmus. 2. Confirmatio. 3. Euchariſtia. 4. Pœnitentia. 4. Extrema unctio. 6. Ordo Sacer. 7. Matrimonium.

*De Decem Præceptis.*

*M.* Ut Cœleſtem Patriam conſequamur, quid eſt agendum.

*D.* Divina Præcepta obſervanda, quæ ſunt decem, & habentur Exodi 20. 1. Non habebis Deos alienos coram me. 2. Non aſſumes Nomen Dei tui in vanum. 3. Memento, ut diem Sabbati ſanctifices. 4. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram. 5. Non occides. 6. Non mœchaberis. 7. Non furtum facies. 8. Non loqueris contra Proximum tuum falſum teſtimonium. 9. Non concupiſces Domum Proximi tui. 10. Non deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, neque omnia, quæ illius ſunt.

*De Præceptis Eccleſiæ.*

*M.* Quot ſunt Eccleſiæ Præcepta?

*D.* Multa, ſed præcipua quinque. 1. Ut omnibus Dominicis, & Feſtis diebus, rei divinæ, quæ Miſſa dicitur, interſis. 2. Jejunium ſtatis diebus adhibeas. 3. Decimas ſolvas. 4. Semel ſaltem in Anno peccatis tuis confitendis te expies. 5. In Dominica Reſurrectionis, ſeu tempore Præcepti Paſchalis, Euchariſtiam accipias.

*De Peccatis Capitalibus.*

*M.* Quot ſunt Peccata Capitalia?

*D.* Septem ſunt. 1. Superbia. 2. Avaritia. 3. Luxuria. 4. Ira. 5. Gula. 6. Invidia. 7. Accidia.

*De Virtutibus, quæ peccatis Capitalibus adverſantur.*

*M.* Quot ſunt virtutes peccatis Capitalibus adverſantes?

*D.* Septem. 1. Humilitas adverſatur ſuperbiæ. 2. Liberalitas Avaritiæ. 3. Caſtitas Luxuriæ. 4. Patientia Iræ. 5. Abſtinentia Gulæ. 6. Amor Proximi Invidiæ. 7. Diligentia ſpiritualis Accidiæ.

*De Donis Spiritus Sancti.*

*M.* Quot ſunt Spiritus Sancti Dona?

*D.* Sunt ſeptem. 1. Donum Sapientiæ. 2. Intellectus. 3. Conſilii. 4. Fortitudinis. 5. Scientiæ. 6. Pietatis. 7. Timoris Domini.

*De Fructibus Spiritus Sancti.*

*M.* Quot ſunt Spiritus Sancti Fructus?

*D.* Sunt duodecim. 1. Charitas. 2. Gaudium. 3. Pax. 4. Patientia. 5. Longaminitas. 6. Bonitas. 7. Benignitas. 8. Manſuetudo. 9. Fides. 10. Modeſtia. 11. Continentia. 12. Caſtitas.

*De Operibus Miſericordiæ.*

*M.* Quot in partes opera Miſericordiæ dividuntur? *D.* In duas.

*M.* Peto, quas? *D.* Corporis, & Spiritus.

*M.* Quam multa ſunt, quæ Corpus attingunt?

*D.* Septem. 1. Cibum ſuppeditere eſurientibus. 2. Potum ſitientibus. 3. Nudis

Digitized by Google

dis amictum, 4. Captivis libertatem. 5. Morbo laborantes inviſere. 6. Hoſpitio Peregrinos recipere. 7. Mortuos ſepulturæ mandare.

*De Operibus Miſericordiæ Spiritualis.*

*M.* Miſericordiæ Spiritualis opera quot, & quænam ſunt?

*D.* Sunt etiam ſeptem. 1. Bonum Conſilium dare. 2. Corrigere peccantes. 3. Docere Rudes. 4. Conſolari Mœrentes. 5. Condonare injurias. 6. Orare pro vivis, & mortuis. 7. Ferre aliena errata.

*De virtutibus Theologicis.*

Tres ſunt. 1. Fides. 2. Spes. 3. Charitas.

*De virtutibus Cardinalibus.*

Quatuor. 1. Prudentia. 2. Juſtitia. 3. Fortitudo. 4. Temperantia.

*De Corporis Senſibus,*

Nempe. 1. Viſus. 2. Auditus. 3. Odoratus. 4. Guſtus. 5. Tactus.

*De tribus Animæ Potentiis.*

1. Intellectus. 2. Memoria. 3. Voluntas.

*De quatuor Noviſſimis.*

1. Mors. 2. Judicium. 3. Infernus. 4. Paradiſus.

*De Benedictione Menſæ.*

*M.* Cum accumbis ad Prandium, vel ad Cœnam, quid agis?

*D.* Precor in hunc modum: Benedic Domine Nos, & hæc tua dona, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

*M.* Poſtquam accubuiſti, quid ais?

*D.* Dico hanc precatiunculam: Agimus Tibi gratias, Omnipotens Deus, pro univerſis Beneficiis tuis, qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen. Pater Noſter &c. Ave Maria &c. Dominus det Nobis ſuam Sanctam pacem. Amen.

*De Oratione ad Angelum Cuſtodem.*

*M.* Ut Angeli cuſtodiæ Nos committamus, quid dicendum?

*D.* Hæc adhibenda precatio es: Angele Dei, qui Cuſtos es Mei, me tibi commiſſum pietate ſuperna, hodie illumina, cuſtodi, rege, & guberna. Amen.

## PRO MEDIA CLASSE.

*Declaratio de Nomine Chriſtiani.*

*M.* Laudatus ſit Jeſus Chriſtus. *D:* Semper laudatus ſit.

*M.* Es ne tu Chriſtianus? *D.* Sum beneficio Jeſu Chriſti Domini noſtri.

*M.* Unde dicitur hoc Nomen Chriſtianus?

*D.* A Chriſto, quod eſt profiteri Fidem Jeſu Chriſti.

*M.* Et quis eſt Jeſus Chriſtus?

*D.* Verus Deus, unicus Filius Dei Patris omnipotentis, & verus Homo, Filius unicus glorioſæ Virginis Mariæ; adeoque Salvator vocatur; quoniam pretioſiſſimo ſuo Sanguine redemit Nos, liberans a Dœmone, a peccato, & Morte æterna.

*M.* Quale eſt ſignum Chriſtiani? *D.* Signum Sanctæ Crucis.

*M.* Quid ſignificat hoc ſignum?

*D.* Sanctiſſimam Trinitatem, Incarnationem Jeſu Chriſti, ejuſque Paſſionem, & Mortem.

*M.* Cur primum admovetur Capiti manus, dum dicitur: In Nomine Patris?

*D.* Ut ſignificetur, Patrem Æternum eſſe Principium Filii, & Spiritus Sancti.

*M.* Cur vero ventri, cum dicitur, & Filii?

*D.* Ad ſignificandum, Patrem eſſe Filii Genitorem, Filiumque ex Patre genitum.

*M.* Cur

Digitized by Google

*M.* Cur ab uno humero ad alterum ducitur manus, dicendo: Et Spiritus Sancti?
*D.* Ut indicetur, Spiritum Sanctum amorem eſſe procedentem a Patre, & Filio.
*M.* Dic, quo modo Signum Crucis ſignificat Myſterium Sanctiſſimæ Incarnationis Jeſu Chriſti?
*D.* Primum enim tangendo Caput, dum dicimus in Nomine Patris, ſignificamus, Chriſtum Dominum noſtrum veniſſe a Patre; deinde, dum dicimus, & Filii, admovendo manum ventri, ſignificamus, Filium humanam Carnem in utero Mariæ Virginis, Spiritus Sancti opera, induiſſe. Denique ducendo manum a ſiniſtro humero ad dextrum, dicendo, & Spiritus Sancti; ad ſupplicium Crucis, & inde tranſiſſe ad gloriam, & dexteram Dei Patris Omnipotentis.
*M.* Cur obſignamus Nos hoc Signo?
*D.* Ut profiteamur, Nos eſſe Chriſtianos, & teſtificemur per Crucem Jeſu Chriſti eſſe redemptos, & ut vires Spiritus aſſequamur adverſus Dæmonem, illum a Nobis abigendo.
*M.* Quando adhibendum eſt Nobis hoc ſignum?
*D.* Quoties aliquid inchoamus: cum verſamur in aliquo periculo, vel tentatione: præcipue vero mane, lecto ſurgentes; Domo exeuntes; Eccleſiam ingredientes; ſumendo cibum, eundo cubitum, aliis quoque horis, & locis, quo frequentius poſſumus, ut omnes noſtræ actiones referantur ad honorem, & gloriam Dei, & ut ſæpius Paſſionem, & Mortem Chriſti commemoremus.

*De Explicatione Orationis Dominicæ.*

*M.* Quid vero agendum, ut quæ juſte optamus, a Deo obtineamus?
*D.* Utilis ad hoc in primis, & efficax eſt oratio.
*M.* Quid eſt Oratio?
*D.* Eſt excitatio Mentis in Deum, & petitio eorum, quæ ſpectant ad ſalutem
*M.* Quæ cæteris orationibus eſt præſtantior?
*D.* Oratio Dominica.
*M.* Cur ita?
*D.* Quia inſtituta a Jeſu Chriſto Domino noſtro vero Deo, & ab eo tradita ſuis Diſcipulis; quia etiam in ea petuntur, quæ præcipue petenda ſunt.
*M.* Quot petitiones continet?
*D.* Septem.
*M.* Explica mihi primam petitionem.
*D.* Prima bipartita eſt; continet enim brevem hanc Invocationem: Pater Noſter, qui es in Cœlis. Deinde vero petitionem, ideſt, Sanctificetur nomen tuum.
*M.* Quo ſpectat mihi prima pars?
*D.* Ad provocandum Deum ad amorem, benevolentiamque, dum eum Patrem noſtrum Cœleſtem appellamus, & recolimus ſummum illud beneficium, quo per Chriſtum Nos ſibi filios adoptavit, & hæredes Regni Cœleſtis efficit.
*M.* Quid continet prima petitio: Sanctificetur Nomen tuum?
*D.* Juſtum, & pium deſiderium verorum Dei filiorum, optantium honorem, & gloriam divinæ Majeſtatis; & ut agnoſcatur, honoretur, colatur ab omnibus rebus creatis.
*M.* Quid in ſecunda petimus: Adveniat Regnum tuum?
*D.* Petimus Regnum gratiæ ejus in hac vita, hoc eſt, ut Deus habitet, & regnet

Digitized by Google

gnet in Nobis per gratiam; In altera porro vita per gloriam:

*M.* Quid in tertia poſtulamus: *Fiat voluntas tua?*

*D.* Auxilium gratiæ ejus, ut integre, ſincere, hilariter ejus voluntati obſequamur in Terra, ut Beati omnes in Cœlo.

*M.* Quid in quarta: *Panem noſtrum quotidianum da Nobis hodie?*

*D.* Petimus omnia neceſſaria ad ſuſtentandam vitam, tum Corporis per alimenta Corporis, tum Spiritus per ſpiritualia; nimirum per verbum Dei, per Sacramenta Sanctæ Eccleſiæ, maxime vero per Sanctam Euchariſtiam.

*M.* Quid optamus in quinta: *Et dimitte Nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus Debitoribus noſtris?*

*D.* Miſericordiam, & veniam a Clementiſſimo Patre noſtro Deo, de omnibus peccatis noſtris, parati item Nos ejus amore ignoſcere omnibus inimicis noſtris.

*M.* Quid poſtulamus in ſexta, cum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem?*

*D.* Poſtulamus juvari, & divina virtute ſuſtentari, ne ullo modo tentationibus Dæmonis, Mundi, & Carnis ſuccumbentes, peccato conſentiamus.

*M.* Quid tandem ſeptima, & ultima: *Sed libera nos a malo?*

*D.* Precamur liberari ab omnibus malis, & miſeriis hujus vitæ tum Animæ, tum Corporis; ut peccato, & omni alio impedimento liberi, Dei voluntati abſequamur, ad gloriam ejus Divinæ Majeſtatis, & noſtram ſalutem.

*M.* Cur ad finem additur: *Amen?*

*D.* Ad confirmationem omnium dictorum: vox enim illa hebræa valet idem latine, quod, *ſic fiat, ita ſit.*

### *De Salutatione Angelica.*

*M.* Poſt orationem Dominicam quæ oratio præſtantior, & nobilior?

*D.* Salutatio Angelica.

*M.* Quis hujus Orationis Auctor?

*D.* Primæ partis Angelus, cum ſic glorioſam Virginem ſalutavit: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Alterius Sanctæ Eliſabet, cum dixit: *Benedicta tu in Mulieribus, & benedictusfructus ventris tui, Jeſus.* Tertiæ Eccleſia, illius vz. *Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtra. Amen.*

*M.* Cur dicitur *Ave Maria?*

*D.* Ut ſalutemus, & veneremur Sanctiſſimam Dei Matrem, Cœli Reginam, Matrem gratiæ, & miſericordiæ, matrem noſtram, & Advocatam pro Nobis apud ſuum Filium; illiuſque Patrocinium imploremus.

*M.* Quid prodeſt hujuſmodi Salutatione uti?

*D.* Revocat primum Nobis in mentem gratam, & ſalutarem memoriam ipſius Sanctiſſimæ Virginis, & Incarnationis Domini. Deinde monet, ut ejus gratiam, & Patrocinium apud Deum procuremus.

*M.* Quid præterea colligimus ex hac Oratione?

*D.* Singularia Privilegia, & laudes incomparabiles Beatiſſimæ Virginis: Eſſe vz. plenam gratia, & omnibus donis, & virtutibus. Eſſe benedictam præ cæteris Mulieribus. Eſſe Matrem Regis Regum, Chriſti Dei, & Domini Noſtri. Eſſe eandem Virginem, & Matrem.

### *De Symbolo Fidei Apoſtolico.*

*M.* Quid tenetur credere Chriſtianus?

*D.* Omnia, quæ credit, & tenet Sancta Catholica Eccleſia Romana; vel præcipue, quæ continentur in Symbolo.

 *M.* Expli-

Digitized by Google

*M.* Explica duodecim Symboli Articulos.

*D.* Primus Articulus docet primam Trinitatis Perſonam, nempe Patrem Cœleſtem, & æternum, cui nihil impoſſibile, nec difficile factu, qui ex nihilo Cœlum, Terram, & omnia viſibilia, & inviſibilia creavit, aſſidue conſervat, & ſua ſumma bonitate, & ſapientia moderatur.

*M.* Secundus Articulus: ***Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus, unicum Dominum noſtrum***, quem ſenſum habet?

*D.* Oſtendit ſecundam Trinitatis Perſonam, Filium Dei naturalem, & unicum ab æterno ex Patre genitum, Dominum, & Redemptorem noſtrum, qui nos perditos, ſuo Sanguine, & morte redemit.

*M.* Quid credendum proponit tertius Articulus?

*D.* Altiſſimum Dominicæ Incarnationis Myſterium: ipſe enim Dei Filius de Cœlo deſcendens, naturam humanam modo ſingulari, & admirabili aſſumpſit; ſiquidem conceptus eſt ſine Patre, virtute Spiritus Sancti, & natus ex Maria Virgine Immaculata.

*M.* Quartus Articulus, nempe: ***Paſſus eſt ſub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & ſepultus***, quid docet?

*D.* Myſterium humanæ Redemptionis, & liberationis per Sanctiſſimam Domini noſtri Paſſionem, qui ſecundum humanitatem, quamvis ſine peccato, & Innocentiſſimus, cum Præſes erat Pilatus, acerbiſſime pro Nobis Cruci affixus, vere mortuus eſt, atque ſepultus.

*M.* Quinto Articulo, ***Deſcendit ad Inferos: tertia die reſurrexit a Mortuis***, quid credendum proponitur?

*D.* Reſurrectionem Chriſti myſterium, cum ſecundum Animam deſcendiſſet in Limbum ad liberandos Sanctos Patres tertia a morte die; atque vi ſua proprio Corpore revixit.

*M.* Quid continet ſextus: ***Aſcendit ad Cœlos: ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis?***

*D.* Glorioſam Chriſti Aſcenſionem, qui, peracto Redemptionis noſtræ opere, tranſivit ex hoc Mundo ad Patrem, & virtute ſua ſupra omnes res creatas in æqualitate Paternæ gloriæ collocatus.

*M.* Et per ſeptimum? ***Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos:***

*D.* Extremum Judicium, quo Chriſtus, alio viſibili adventu ſuo, omnes bonos, & malos judicabit, & unicuique reddet ſecundum opera ejus.

*M.* Quid indicat octavus? ***Credo in Spiritum Sanctum.***

*D.* Tertiam in Trinitate Perſonam, ideſt Spiritum Sanctum, qui procedens a Patre, & Filio, verus eſt, & æternus Deus, una cum Patre, & Filio regnans; ac proinde pari cum illis adoratione colitur.

*M.* Quid nonus? ***Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem.***

*D.* Docet nos, Eccleſiam eſſe Congregationem Fidelium, quæ una eſt Fide, Doctrina, & Sacramentis Sancta, ideſt mundata Sanctiſſimo Chriſti ſui Capitis, & Sponſi Sanguine: ***Catholica***, ideſt univerſalis per omnes Mundi partes diffuſa, omnes omnino Fideles comprehendens, in qua fit communio, & participatio Sanctorum; cum enim fideles unius Corporis membra ſint, dum gratia potiuntur, invicem participes ſunt omnium meritorum, & orationum ejus.

*M.* Quid oſtendit decimus? ***Credo remiſſionem peccatorum.***

*D.* Eſſe, quamvis gravium, & multorum peccatorum tantum in Eccleſia Catholica remittendi poteſtatem.

*M.* Et

*M.* Et quid per undecimum ? *Credo Carnis Reſurrectionem* .

*D.* Quod omnes a mortuis excitati ſiſtemus ad Chriſti Tribunal anima, & corpore, ut judicetur quiſque, & recipiat, prout geſſit in Corpore, bene, vel male.

*M.* Explica duodecimum : *Credo vitam æternam* .

*D.* Poſt hanc mortalem vitam, aliam eſſe longe diverſam, vere tutam, beatam, ac ſempiternam, quam Chriſtus Fidelibus, & obedientibus promiſit. Et è contra incredulis, & inobedientibus ſupplicium, & æternam pœnam in Inferno inflixit.

*De Septem Eccleſiæ Sacramentis* .

*M.* Si tu es Chriſtianus, & Dei Filius per Jeſu Chriſti gratiam, age dic, quomodo hoc es conſecutus ?

*D.* Per Baptiſmi Sacramentum.

*M.* Quid eſt Sacramentum ?

*D.* Eſt ſignum quoddam externum gratiæ interioris, & inviſibilis, quam Deus per ipſum in Animam infundit, a Chriſto inſtitutum ut remedium contra peccatum.

*M.* Explica, quæ ſint Sacramenta.

*D.* Baptiſmus eſt ablutio Corporis exterior facta ſub forma præſcripta verborum.

Chriſma eſt ſignatio hominis baptizati in fronte facta ab Epiſcopo ad roborandum ipſum baptizatum in fide.

Euchariſtia, ſive Communio, eſt realis præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini.

Pœnitentia, vel Confeſſio, eſt converſio hominis peccatoris ad Deum, qua ex animo odit peccatum cum propoſito deinceps non peccandi.

Extrema unctio, ſive Oleum Sanctum, eſt Sacramentum unctionis Infirmorum ad ſalutem Animæ, & Corporis.

Ordo Sacer eſt ſignaculum quoddam, in quo poteſtas Spiritualis traditur ordinato, & officium.

Matrimonium eſt viri, Mulieriſque conjunctio maritalis inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.

PRO SUPREMA CLASSE

*De Decem Præceptis* .

*M.* Quid aget Chriſtianus, ut recte vivat ?

*D.* Obſervabit legem Dei.

*M.* Quæ eſt lex Dei ?

*D.* Ejus præcepta, quæ olim a Deo Moyſi in Monte Sina data fuerant, poſtremo a Chriſto Domino noſtro in Evangelio confirmata.

*M.* Quid ſibi vult præceptum Dei ?

*D.* Significat legem a Deo latam, quæ violatores ejus peccato obſtringit, & pœnæ item æternæ.

*M.* Quid mandat Deus in primo præcepto ?

*D.* Ut unum Deum propria illi uni adoratione colamus, & amemus : omnem infidelitatem, hæreſim, ſuperſtitionem, Magiam, omnem denique impiam Sectam deteſtantes.

*M.* Quid vetat Deus ſecundo præcepto ?

*D.* Ne juretur, ac nomen Domini temere uſurpetur, ideſt, ne ſine veritate,

ac neceſſitate: ne blaſphemetur Deus, nec Sanctis; quoniam eſt graviſſimum peccatum; & ne vota, & Deo promiſſa violentur.

*M.* Quid tertio præcipitur?

*D.* Ut Dominicus dies ſanctificetur, & omnis alius dies, quem Eccleſia obſervari præcepit: ne quod ſcilicet opus vetitum eo die fiat: Sed ut, devitatis in primis peccatis, occupetur homo in audiendis divinis Officiis, Miſſis, concionibus, & aliis piis vacet operibus.

*M.* Quid jubetur quarto?

*D.* Ut revereamur, & colamus Parentes, illorum juſtis juſſis obtemperemus, neceſſaria illis ſuppeditemus: hoc vero præcepto continentur Superiores omnes Eccleſiaſtici, ac Sæculares.

*M.* Quid prohibet quintum præceptum?

*D.* Ne quis per ſe, aut per alium facto, aut animo, occidat, aut lædat proximum ſuum, nec in Corpore, nec in Anima, præbendo illi occaſionem peccandi.

*M.* Quid vetat ſextum?

*D.* Adulterium, fornicationem, omnemque impurum, & illegitimum carnalem actum; quidquid denique repugnat honeſtati tam verbis, quam factis.

*M.* Quid prohibetur ſeptimo?

*D.* Ne ullo iniquo modo auferatur, aut retineatur alienum, contra Domini voluntatem: quod accidit in furto, rapina, uſura, & aliis injuſtis lucris.

*M.* Quid præcipitur octavo?

*D.* Ne falſum Teſtimonium adverſus quemquam proferatur, nec falſo accuſetur Proximus, nec lædatur ejus fama, nec ullo modo mentiamur, detractionem, & detractores devitantes.

*M.* Quid ſub duobus extremis nono, & decimo?

*D.* Prohibetur quodvis deſiderium, aut conſenſus Adulterii, & omnis turpitudinis: Cupiditas item rapiendi, & retinendi alienum; nec enim deſiderare licet, quod facere non licet.

*De Præceptis Eccleſiæ.*

*M.* Præter Dei Præcepta ſunt ne alia?

*D.* Sunt Præcepta Eccleſiæ, cui obtemperari vult Chriſtus, ut ſibi ipſi, dicens: *Qui vos audit, me audit: & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.*

*De Septem Peccatis Mortalibus.*

*M.* Eſt ne utilis cognitio Peccatorum?

*D.* Sane: ut devites, non ut ſequaris.

*M.* Quid eſt peccatum?

*D.* Eſt cogitatum, dictum, aut factum contra, aut præter legem Dei.

*M.* Quot ſunt genera peccatorum?

*D.* Tria. Originale, cum quo naſcimur Dœmonis filii, propter Adæ peccatum, in totum genus humanum transfuſum.

Secundùm, Veniale; quod fervorem Charitatis remittit, & ad mortale præparat.

Tertiùm, Mortale; quod Mortem affert Animæ, gratia privat, mortificat merita, excludit a Gloria, & obligat pœnis Inferni.

*M.* Quæ ratio delendi peccata?

*D.* Originale, & quodcunque aliud peccatum Baptiſmo tollitur.

Venia-

Digitized by Google

Veniale deletur quovis Sacramento, oratione, aqua benedicta, quovis charitatis actu cum culpæ deteſtatione.

Mortale per Pœnitentiæ Sacramentum, ſeu Confeſſionem; vel in neceſſitate per actum Contritionis cum deſiderio, vel voto confitendi.

*M.* Explica vitia Capitalia?

*D.* Superbia eſt immoderatus appetitus propriæ excellentiæ.

Avaritia eſt inordinatus appetitus facultatum.

Luxuria eſt inordinatus appetitus impuræ voluptatis.

Gula eſt inordinatus appetitus cibi, & potus.

Ira eſt inordinatus appetitus vindictæ.

Invidia eſt triſtitia de alieno bono; gaudium de malo.

Accidia eſt remiſſi animi languor ad bene operandum, ex quo neceſſaria ad ſalutem omittuntur.

*De Septem virtutibus prædictis peccatis oppoſitis.*

*M.* Explica virtutes, quæ adverſantur ſeptem peccatis mortalibus, quibus ipſa peccata vitari poſſunt?

*D.* Prima eſt humilitas; qua homo majoribus ſe ſubjicit, &, cum opus eſt, etiam æqualibus, & inferioribus, non ſibi, ſed Deo tantum confidens.

Secunda: Liberalitas, qua juxta rectam rationem moderate facultates noſtras diſpenſamus.

Caſtitas eſt virtus, per quam immoderatos carnis motus domamus, & compeſcimus.

Patientia virtus eſt, per quam cum quadam animi tranquillitate injurias, & res adverſas ex amore Dei perferimus.

Abſtinentia eſt virtus, qua immoderatum cibi, & potus appetitum reprimimus.

Amor Proximi virtus eſt, qua Proximo optamus ea bona, quæ Nobis ipſis vellemus, & de ejus malis, ut noſtris, dolemus.

Spiritualis diligentia eſt virtus, per quam facile, & prompte Spiritualia opera exercemus ad Dei gloriam, & noſtram ſalutem.

*De Theologicis Virtutibus.*

*M.* Quid eſt virtus?

*D.* Eſt habitus bonus animæ noſtræ, quo bene vivitur, juxta rectæ rationis præſcriptum, & divinum præceptum.

*M.* Quot genera virtutum reperiuntur?

*D.* Duo: Theologicarum, ſeu infuſarum; Cardinalium, ſeu Moralium.

*M.* Cur Theologicæ dicuntur?

*D.* Quia Deum reſpiciunt.

*M.* Cur infuſæ?

*D.* Quia eas noſtris viribus parare non poſſumus; ſed a Deo ad finem Supernaturalem, qui eſt Beatitudo, infunduntur.

*M.* Quid eſt Fides?

*D.* Eſt virtus a Deo infuſa Menti noſtræ, qua credimus quidquid Deus revelavit, ut nobis Eccleſia proponit, & credere jubet.

*M.* Quid eſt Spes?

*D.* Virtus a Deo infuſa, per quam certa cum fiducia æternæ vitæ ex Dei gratia, & cooperatione noſtrorum bonorum operum expectamus, primum quidem ad Dei gloriam, deinde vero ad noſtram Beatitudinem.

*M.* Quid

Digitized by Google

*M.* Quid eſt Charitas ?

*D.* Eſt virtus divinitus infuſa aliis duabus virtutibus præſtantior, & major; qua Deum propter ſe, ſupra quæ omnia; Proximum vero, ut Nos ipſos, ex Dei amore, diligimus.

*De Virtutibus Cardinalibus.*

*M.* Explica quare *Cardinales* appellantur ?

*D.* Præcipuæ enim ſunt acquiſitæ noſtro ſtudio, Dei tamen gratia adjuvante, tanquam Cardines, Robur, & fundamentum bene vivendi.

Prudentia enim eſt virtus, quæ quid expetendum, quid fugiendum homini ſit, oſtendit.

Juſtitia virtus eſt, qua ſuum cuique tribuitur.

Temperantia eſt virtus, quæ voluptates carnis ratione moderatur.

Fortitudo, qua uſque ad mortem adverſa omnia fortiter, & conſtanter perferuntur.

# RICORDI CRISTIANI

## Da porgerſi al Popolo tra gli Solenni della Meſſa Parrocchiale in tutte le Domeniche dell'Anno, ed a' Figliuoli nelle ore preſcritte da doverſi iſtruire.

### *In Nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo. Amen.*

*Parroco*: IN queſto ſegno Miſterioſo della S. Croce, col quale ſi diſcerne il Criſtiano dall'Infedele, vengono racchiuſi gli Articoli, e *Miſteri* principali della noſtra Santa Fede, ſenza la quale neſſuno può ſalvarſi, e ſono:

*Tutti*: Unità, e Trinità di Dio, Padre, Figliuolo, e Spirito Santo. Incarnazione del Divino Figliuolo, fatto Uomo nelle Viſcere Immacolate di Maria ſempre Vergine per opera dello Spirito Santo, paſſione, e morte di Croce del medeſimo Figliuolo di Dio Signor Noſtro Gesù Criſto.

Che Dio ſia Giudice giuſto, Rimuneratore, e Caſtigatore, che darà il Paradiſo agli Eletti, che ſaranno alla deſtra, e punirà coll' Inferno i ſcellerati Peccatori, che ſaranno alla ſiniſtra, anche nel corpo, quando tutti riſorgeranno colla riſurrezione della Carne nel giorno del Giudizio, colla conferma della Sentenza, che al preſente ſi dà all'Anima ſeparandoſi dal Corpo, o della vita eterna glorioſa, o dell'eterna Morte nell'Inferno: oltre a quelle Anime, che ſebbene giuſte, per i peccati veniali, o per non aver ſodisfatte le pene temporali in queſta vita, dovute a' peccati veniali, ancorche per la Confeſſione validamente fatta, ſia ſtata perdonata la colpa, e la pena eterna; che perciò Iddio gli fa purgare nel Purgatorio.

*Parroco*: Recitiamo il Simbolo della Fede, compoſto, ed inſegnato da' Santi Apoſtoli, nel quale ſi comprende la Somma della Dottrina di Gesù Criſto.

*Tutti*: Io credo in Dio Padre Onnipotente, Creatore del Cielo, e della Terra; Ed in Gesù Criſto ſuo Figliuolo unico, Signor noſtro, il quale fu conceputo di Spirito Santo: nacque di Maria Vergine: patì ſotto Ponzio Pilato:

fu

Digitized by Google

fu Crocifiſſo, morto, e ſeppellito: diſceſe all'Inferno : il terzo dì riſuſcitò da Morte. Salì al Cielo : ſiede alla deſtra di Dio Padre Onnipotente : di là ha da venire a giudicare i vivi, ed i Morti. Credo nello Spirito Santo : la Santa Chieſa Cattolica : la Comunione de' Santi: la Remiſſione de' peccati: la Riſurrezione della Carne : la vita Eterna. Amen.

*Parroco*: Impariamo quella preghiera imparataci da Gesù Criſto, colla quale dee ogni Fedele pregare il ſuo eterno Padre.

*Tutti*: Padre noſtro, che ſei ne' Cieli : ſia ſantificato il Nome tuo : venga il Regno tuo : ſia fatta la volontà tua come nel Cielo, così nella Terra. Dacci oggi il noſtro pane cotidiano; e rimetti a Noi i noſtri debiti, ſiccome noi gli rimettiamo a' noſtri debitori; e non ci indurre in tentazione, ma liberaci dal male. Amen.

*Parroco*: Impariamo ancora a pregare Maria ſempre Vergine, la gran Madre di Dio, ed Avvocata di tutti i Peccatori.

*Tutti*: Dio ti ſalvi Maria piena di grazia; il Signore è teco : Tu ſei benedetta fra le Donne, e benedetto è il frutto del tuo Ventre, Gesù. Santa Maria, Madre di Dio, prega per Noi Peccatori adeſſo, e nell'ora della Morte noſtra. Amen.

*Parroco*: Eccovi la legge del Signore Iddio, qual dobbiamo oſſervare colla ſua divina grazia, per ſalvarci; che ſi contiene in dieci Comandamenti, e ſono :

*Tutti*: Adorare un Solo Iddio. Non pigliare il Nome di Dio in vano. Ricordati di ſantificare le Feſte. Onora il Padre, e la Madre. Non ammazzare. Non fornicare. Non rubare. Non dire falſo Teſtimonio. Non deſiderare la Donna d'altri. Non deſiderare la roba d'altri.

*Parroco*: La legge della noſtra Santa Madre Chieſa, cui profeſſiamo ubbidire; ſi comprende in queſti cinque Precetti.

*Tutti*: Udir la Meſſa in tutte le Domeniche, ed altre Feſte comandate. Digiunare la Quareſima, e le Vigilie comandate, e le quattro Tempora : e non mangiar carne nel Venerdì, e Sabato. Confeſſarſi almeno una volta l'anno, e Comunicarſi almeno la Paſqua di Riſurrezione. Non celebrare le Nozze ne' tempi proibiti. E pagare le Decime.

*Parroco*: Ringraziamo Gesù Criſto, che col merito del ſuo Sangue prezioſo, per bene delle noſtre Anime, ci ha provveduto de' ſette Sagramenti, che ſono.

*Tutti*: Batteſimo, che ci fa Criſtiani, ed eredi del Paradiſo. Creſima, che ci fa perfetti Criſtiani. Penitenza, che ci cancella i peccati. Eucariſtia, che ci nudriſce l'Anima, e ci uniſce a Gesù Criſto, che ci ſi comunica in Corpo, Sangue, Anima, e Divinità. Eſtrema unzione, che ci dà forza a ſuperare il Demonio nel punto della Morte. Ordine Sagro, che ci provvede la Chieſa di Miniſtri. E Matrimonio, che fa generare figliuoli per il Paradiſo.

*Parroco*: Facciamo in compendio gli atti Criſtiani, che colle opere buone ſono, come ſapete, le quattro coſe neceſſarie per ſalvarſi.

## ATTO DI FEDE.

CRedo, Dio mio, e tengo fermo, e certiſſimo, che Voi ſiete un ſolo Iddio, in tre Perſone Divine, Padre, Figliuolo, e Spirito Santo. Credo, che il Voſtro Figliuolo per la ſua infinita Miſericordia ſi è fatto Uomo nell'Utero pu-

Digitized by Google

puriſſimo di Maria ſempre Vergine per opera dello Spirito Santo; abbia patito, e ſia morto in Croce per riſcattarci dal peccato, e dall' Inferno. Credo ancora, che ſiate per premiare chi fà bene, e per caſtigare chi fà male: Credo per fine quanto crede la Santa Chieſa Cattolica Romana; E lo credo, perchè l'avete rivelato Voi prima, e ſomma Verità, che non potete ingannare, nè eſſer ingannato.

## ATTO DI SPERANZA.

SPero, Dio mio, nella voſtra infinita Onnipotenza, e Miſericordia; che per i meriti del Sangue di Gesù Criſto ſparſo per Noi, e colla morte della Croce, mi perdoniate tutti i miei peccati: mi darete ſempre la voſtra grazia per amarvi, e ſervirvi; e finalmente vi laſcierete godere da me nel Paradiſo per tutta l'Eternità.

## ATTO DI CARITA'.

DIo mio, vi amo con tutto il Cuore, e con tutte le forze dell'Anima mia, perchè ſiete Sommo Bene, degno d'ogni amore: Vi amo ſopra ogni coſa, e deſidero amarvi, come vi amano gli Angioli, i Santi, e la Santiſſima Madre Vergine Maria nel Paradiſo: E per voſtro amore amo il mio Proſſimo, quanto me ſteſſo: ancora tutti i Nemici, che mi hanno offeſo, quali di Cuore perdono. E perciò vi ſupplico a darmi ſempre maggior lume, e grazia di conoſcervi, ed amarvi, come Voi meritate.

## ATTO DI CONTRIZIONE.

DIo mio, ſommo Bene, mi pento ſopra ogni male, e mi ſi ſpezza il Cuore d'avervi offeſo con tanti peccati. Mi ſpiace ſommamente per puro amore, avervi dato diſguſto, e traſgredita la voſtra Santa Legge: Ve ne cerco perdono con tutto il Cuore; e propongo fermamente da oggi in avanti amarvi ſopra ogni coſa; fuggire, ed odiare il peccato, e prima mille volte morire, che più offendervi.

*CAJETANUS EPISCOPUS NUSCANUS.*

VAL 1528615

Digitized by Google

# I N D E X
## RERUM NOTABILIUM.

### A


ABbates quando tenetur ad Synodum *Pag.* 2.
Abbatia Sanctæ Mariæ de Fontiliano quando Menſæ Epiſcopali unica ? 140.
Accuſationes quomodo, & quando licitæ ? 55.
Accuſatores falſi puniendi 56. *& ſeq.*
S. Amatus ex Archipreſbytero primus Epiſcopus Nuſci 139. Ejus Teſtamentum 140. Ejus Eccleſia furata, & ſigna ab eo patrata 143. Ejus apparitio 144. Ejus reditus male adminiſtrati 141. Adminiſtratio fraudulenta Gregum Ovium S. Amati ruina Civitatis Nuſci 190. Statuta pro fideli Adminiſtratione 189. *& ſeq.*
Alternativâ fruuntur tantum Capitulares, & quare ? 218.
Amicis favendum uſque ad Aras 61.
Appellationes vitia fovent 55. Appellantes impediunt juſtitiam, & ſæpe Ordinario affingunt crimina 55.
Archidiaconus quid ſit ; & quæ ejus onera 149.
Archipreſbyter princeps Curatorum Nuſci 151.


### B


BAptiſma ad ſalutem neceſſarium ; & reliqua ſcitu digna 78. *ad* 87. Patrini Eccleſiaſtici non admittuntur ſine Ordinarii licentia 80.
Beneficia Capitulo unita vigore Bullæ Apoſtolicæ *cum Regio Exequatur* 196.
Blaſphemare Chriſtum non lingua, ſed vita 2. Quam grave peccatum Blaſphemia, & acriter punita : & quid & quotuplex ſit 66.
Bona Cathedralis S. Amati quomodo adminiſtrari debeant ; Et a quo Sacra Supellectilia, & Reliquiæ conſervantur 189. *& ſeq.*


### C


CAlliditas ficta humiliantium 2.
Capitalia quomodo implicanda 147. & 163.
Capitulum Nuſci quibus componitur 146. & 205. Ejus ſtatuta 138. *ad finem*.
Clerici magis hortandi, quam minandi 2. Eorum Caſtitas ; Veſtes ; Servitium Eccleſiæ ; & quæ eis prohibeantur, *Vide de vit. & honeſt. Clericor.* 52.
Calumniatores ſunt Diabolici, & acriter puniendi 55. *ad* 62. Calumniæ productæ contra Chriſtum 62. *& ſeq.* Conturbant innocentem, qui roborandus eſt exemplo Chriſti 63. & 64. Pœnæ inflictæ in Jure contra Calumniantes 64.
Confirmationis Sacramentum : effectus, & reliqua 87. Eccleſiaſticus non poteſt eſſe Patrinus, niſi de Epiſcopi licentia *ibid.*


 Con-

Digitized by Google

Concionatores ad quid teneantur : Quam ſublime munus 1. & quæ Sanctitas requiratur 15. *ad* 17. Finis, & Methodus concionandi 17. *ad* 19.
Correctio non deſperanda 2. Omiſſa quam grave malum 8. Quomodo facienda Epiſcopo 55. *& ſeq.* Circumſtantiæ Loci, Temporis, Perſonæ ſunt animadvertendæ 2. Effectus amoris eſt 57. Requiritur in ea ſcientia 58.
Curati. *Vid. Parochi.*

# D

DEnunciationes Epiſcopo quomodo, & quando faciendæ 55.
Divinationes quid ſint, & quare prohibitæ 68.
Doctores, & Doctorati diſcriminantur 186.
Doctrina Chriſtiana, & ejus decreta, ac Conſtitutio Apoſtolica 23. *ad* 33.
Diſciplina Choralis animadvertenda, ut ſuos faciant fructus tam Canonici, quam Hebdomadarii 176. *&* 206.

# E

ELectio quando mala, & in culpa 190.
Epiſcopi ad labores vocantur: Grave, & periculoſum munus 3. Corrigere tenentur; aliter ſunt Canes impudici; & eorum omiſſiones lethales; neque Lupis, & Ovibus placere poſſunt 9. Unde dicti? Etymon explicatur 188. Criminantur ab Appellantibus 55. Quando, & quomodo accuſari poſſint 55. Eorum Calumniatores Diabolici 56.
Epiſcopatus Nuſci quando erectus 139.
Epiſcopi Nuſci a S. Amato uſque nunc ſunt XXXXII. 139. *ad* 145. Eorum variæ perſecutiones, & reliqua geſta *ibid.*
Epiſcopi ſpolium cuſtodiendum, & citantur Pontificum Bullæ 181.
Error quando tacite approbatur 8.
Error facti etiam prudentiſſimos fallit 10.
Examinatores Synodales ad quid teneantur 7.
Excommunicatio: Quæ ejus origo: Cauſſa: Effectus: & quando injuſte feratur 75. *& ſeq.* = Monitoria ſub pœna excommunicationis quando publicari poſſint 77.

# F

FAma publica non ſufficit ad judicandum 58.
Facere quantum poteſt, ſufficit 10.
Facere male, & non bene facere paria ſunt 190.
Familia, licet Sancta, habet aliquem Diabolum, ut in Arca Noe, in Apoſtolis 9.
Fides quid ſit: Ejus profeſſio 10.
Fidei edocendæ, profitendæ, & non diſputandæ neceſſitas 12. *ad* 14.
Furtum, quod accidit in Cathedrali Nuſci 143. *& ſeq.*
Furari bona Eccleſiæ eſt Crimen peculatus, Sacrilegii 190.

# G

GUbernanti prudentia neceſſaria 2.

Hor-

Digitized by Google

# H

Hortari, & non minari decet 2.
Hæreſes, & hæretici abigantur 59. Et cum iis non licet omnibus diſputare 60.
Humilitas ficta 2.
Hebdomadarii 196. *ad* 220.

# I

Impius fugit : Juſtus confidit 2.
Indulgentia, & benedictio in Articulo Mortis 136. & 137.
Inſignia pro Capitulo, Parochis, & Hebdomadariis 207. & 208.
Judicia Dei diverſa a noſtris 10.
Juramenti falſi gravitas, & pœnæ 70.
Juramentum quid, & quotuplex ſit, & quando licitum 71.

# L

Leges conditæ executioni demandentur 8. & 192.
Libros prohibitos legentes quando Excommunicationem incurrant 59.
Libri habendi a Parochis; & Formulæ ſcribendi 133. *ad* 136.

# M

Magia quid ſit, & quare peccatum ? 68.
Mala non credantur, niſi probentur 59.
Malæ opiniones evitandæ 59.
Miſſa. *Vid. Sacrificium*.
Membra ne diſcrepent a Capite 78.
Miſſiones quam neceſſariæ. Conſtitutio Apoſtolica 33. Miſſionarii ſicuti Navis Joannis in auxilium Petri 34.
Monitoria quando liceant 77.
Mutabilitas in bono, vel malo quam frequens 2.

# N

Navicula Petri turbatur, quia in ea erat Judas 9.

# O

Officiales Synodi 4. Capituli 161.
Orationis Mentalis exercitium, & an neceſſarium ad ſalutem 20. De ea Conſtitutio Apoſtolica cum indulgentiis 21.

# P

Parochi corrigere tenentur 8. Sacrificium pro Populo applicare 39. Dicuntur Vigiles 9. Eorum onera 38. Sunt Canonici Honorarii 208. In Cathedrali aſſiſtunt, & tenentur audire Confeſſiones 151. & 206.
Peccatum Sacerdotale quam maximum 9. & 54.
Periculum ubi majus, eo cautius 39. & 191.
Pœnitentiæ Sacramenti Miniſter callere debet Sanctitatem, prudentiam, ſcientiam quam maximam 90.
Pontificale Romanum ſervandum 87.


Præ-

Præjudicium non inferendum 3.
Pœnitentiarius a Reſervatis non abſolvit 94.
Propoſitiones damnatæ circa Doctrinam Chriſtianam 27. Circa ſtipendia Miſſarum 50. = Circa Periurium 72. = Circa uſuras 75 = Circa Sacramenta quoad adminiſtrationem, & tutiorem opinionem 78. = Circa Pœnitentiam 92.
Punitio effectus amoris eſt 56. & 57.

# R

Rituale Romanum paucis notum; ad cujus normam miniſtranda Sacramenta 78.

# S

Sacerdotes quam ſancti eſſe debeant 48. 54. & 110. = De eorum vita, & honeſtate 52. = Eorum peccatum quam grave 9. & 54. = Eorum ſcandala ruina Populi 54. Spiritu Eccleſiaſtico vivere debent 110. = Poſt Ordinationem non celebrent, niſi approbati in Sacris Rubricis cum Ordinarii licentia 49. = Similiter Exteri 49. & 171. = Non poſſunt diſcedere inconſulto Epiſcopo ex Trid. 54. = Neque negotiari, vel Laicis Comitiis accedere, vel tutelam exercere 53. & 54. = Aleatores quando puniuntur 55.
Sacrificium applicandum pro Populo a Parochis, & Capitulis 29. = Pro eo quæ ſanctitas requiratur 48. & 54. = Quales Veſtes, Tonſura, & paramenta; & nunquam cum annulo, & Pileolo 49. = Onera Miſſarum ſint in Tabella, & in Libro; neque nova recipiantur ſine Ordinarii licentia; & quando ſuſpendantur 49.
Salus æterna incerta 10.
Scriptura Sacra quid ſit; & quam neceſſaria 14. = Ejus ſenſus 18.
Sortes quando licitæ? 69.
Superſtitioſi damnantur 66.
Statuta tenentur formare alii Capitulares Diœceſis 138. = Ex iis, defuncto Epiſcopo, duo Capita legenda ſunt in Capitulo; nempè Cap. XXIII. & XXIV. ſub pœnis &c. 181. *ad* 188.; quibus aliqua addita ſunt in ſtatutis pro Hebdomadariis 205. & *ſeq.*

# T

Tacere eſt affirmare 8.
Teſtes Synodales qui, & quale eorum munus? 8.
Teſtes falſi producti contra Chriſtum 60.
Teſtari falſa quam grave peccatum 61.

# V

Venefici damnantur 66.
Verba voluntatem demonſtrant 110.
Verbum Dei quare ſic vocatum? 110.
Vicarii Capitularis electio quomodo facienda, ne ſit invalida 185. = Et ejus onera 186. & *ſeq.*
Vivere inter malos 2.
Uſuræ damnantur 73.

Digitized by Google

QUæ potiſſimum fieri non poſſe, autumarunt olim Sapientes, tria ſunt: Jovi Fulmina: Clavam Herculi: Carmina Homero, adimi (a). Quibus quartum, Codicem nempe ſine mendis evulgari, jure meritoque adjecit Loredanus. Igitur. (a) Macrob. Saturn. lib. 5. Cap. 2.

| Pagina. | ERRATA | CORRIGE |
|---|---|---|
| 1. | § 2. ſtatuantur | ſtatuatur |
| 10. | Præfatio uſque ad Pag.48. | Pars I. & ſeq. |
| 12. | Abbellis | Abellii |
| 26. | § 4. de recipiente | præcipiente |
| 27. | § 11. confexatur | conferatur |
| | § 12. habeat | habent |
| 38. | Cap. 6. § 1. quippue | quippe |
| | § 2. tibi | ſibi |
| 49. | §. 5. patentis | patenti |
| | In Annotat. (e) tractus | fructus |
| 53. | verſ. 21. non | nec |
| | § 4. Privilegia | Privilegio |
| | § 5. Convitia | Comitia |
| 54. | In annot. (b) ſi placet | L. Placet |
| | Ibid. Diſt. 88. | 86. |
| | § 7. aurum, & | avarum |
| 55. | Cap. IX. § 1. verſ.9. ſint | ſunt |
| | Ibib. verſ. 14. ſint, | falſa |
| | Ibid. Coſtitutiones.. | Conſtitutiones. |
| 56. | § 4. Apoſtoli Suc. | Apoſtoli, & Succeſſores |
| 57. | § 1. ulterius | alterius |
| 60. | verſ. 6. Dictorum | Doctor |
| 61. | § 3. luceant | luxent |
| | § 5. Gallius | Gellius |
| | § 6. jurantis | jurabis |
| 63. | verſ. 19. te | ſe |
| 68. | §. V. verſ 4. licitæ (adde) | : quædam illicitæ |
| | Ibid. verſ. 6. acquirenda | inquirenda |
| 70. | § 1. Clade, vade, advertunt | Clades; unde; adveniunt |
| | § 2. poſterius | poſteritas |
| | § 3. Religionis | Regionis |
| | § 3. reductas. | reductos |
| | § 4. affirmante | affirmatè |
| 72. | § 8. devenimus | deveniamus |
| 73. | Cap. XXVII. | Cap. XVII. |
| 96. | §. Ergo verſ.2. Divinitas | divitias |
| 101. | §. Poſtea. communicent | communicentur |
| 139. | Cap. I. verſ. 4. traditionem | traditione |
| | Ibid. invotione | invocatione |
| | Ibid. Clauſanus | Cluſanus |
| 143 | § XXXIX. Naja Clauſarii | Noja Cluſani |
| 146. | § 1. verſ. 3. ſive | ſicut |
| | Ibid. verſ. 8. Capituli | Capitulum |
| 160. | verſ. 2. Canonicos | Canonici |
| 208. | § 4. Fideles | Filiales |

Digitized by Google

S. R. M.

SIGNORE

Giovanni de Simone publico Stampatore in queſta Città umiliato al Regio Trono di V. M. l'eſpone aver deſiderio di ſtampare il Sinodo di Nuſco fatto dall'odierno Veſcovo di quella Città. Suplica per tanto la M. V. degnarſi dargliene la ſolita licenza. Ut Deus &c.

*Admodum Rev. U. J. D. D. Carolus Gagliardo in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor in Cathedra Decreti revideat, & in ſcriptis referat. Neap. die 15. Menſis Junii 1752.*

*C. GALIANO ARCHIEP. THESSAL. CAPELL. MAJOR.*

S. R. M.

Juſſu M. V. legi librum, cui titulus *Inſtructio Synodica, ſive Synodus pro Diœceſis Nuſcana tyrocinio*, in eoque nihil regiis juribus, publiciſve moribus adverſum inveni. Eundem præterea collatum cum altero MS, quod ſervatur in Secreto Delegationis Regalis Juriſdictionis, utrumque ſimul concordare agnovi. Typis idcirco vulgari poſſe cenſeo. Neapoli die 24. Auguſti 1752.

M. V.

*Humillimus Subditus*
Carolus Gagliardus.

*Die prima Menſis Septembris* 1752.

Viſo Reſcripto Suæ Regiæ Majeſtatis ſub die 29. proximi elapſi Menſis Auguſti, ac retroſcripta relatione facta per Rev. D. Carolum Gagliardum de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris prævio ordine præfatæ Regiæ Majeſtatis.

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbatione dicti Reviſoris: Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum &c.

CASTAGNOLA. ANDREASSI. GAETA.

Illuſtris Marchio Danza Præſes S. R. C. tempore ſubſcriptionis impeditus.
Illuſtris March. Fraggianni non interf.

Citus.

*Reg. fol. 44. at.*

Carulli.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

162
65
5

Digitized by Google